C. V.

6
39 MC
50



Metaphoræ Sacræ
eis documenta
Auctore
Patre Sancto
è Societate
Centuria
Coloniæ
Joannis

Aſſiſtentiæ Germaniæ

SACRÆ BIBLIORVM METAPHORÆ,

ET IN EIS

DOCVMENTA MORVM.

Auctore

SILVESTRO PETRA SANCTA

Romano, è Societate IESV.

CENTVRIA PRIMA.

Ab Hiſtoriæ Sacræ, & Mundi exordio, Geneſis capite primo, verſ. 2. vſque ad legationem Moyſis, Exodi cap. 4. verſ. 25.

PERMISSV SVPERIORVM.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Kinckium, ſub Monocerote.

ANNO M.DC.XXXI.

Dom. Prof. Rom.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

FRANCISCO AB HATZFELDT,

ELECTO EPISCOPO HERBIpolenſi, Franciæ Orientalis Duci,& S.R.I. Principi,

Salutem ac felicitatem.

HAs lucubrationes meas, in Scripturam Sacram, debeo, FRANCISCE Præſul Illuſtriſſime, dedicare potiſſimùm Tibi, recèns Electo Antiſtiti, & Principi Magno; vt inſtituto pio, atq; perueteri morem geram: cui non fuiſſe ætatem diuturniorem, dolendum ſanè videtur. Ille, per quem Reges regnant, cuiuis nouo Regi Hebræorum, hæc olim præceperat: *Poſtquam ſederit in ſolio Regni ſui,* Deuteron. c.17.v.18.
deſcribet ſibi Deuteronomium Legis huius in volumine,

accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus; & habebit ſecum, legetq́; illud omnibus diebus vitæ ſuæ: vt diſcat timere Dominum Deum ſuum. Et fortaſsè apud Hebræos idcircò ritus inaugurandi Regem hic erat;

Paralip. 3. v. 11.

nempè Diadema in caput, Volumen Legis in manum collocare; atque cum ijs inſignibus poteſtatis, & ſanctitatis, Regem inurgere, poſteaq; ſucclamare lætiſſimum illud: *Viuat Rex*. Itaque primum, in quo exerceret ſe calamus Principis, erat Lex Dei: & ma-

de crea. Prin.

nu quidem propriâ Rex ille exſcribebat, vt Philo Iudæus refert: mens verò intereà eandem exarabat in Tabulis cordis, atq; eueniebat pulcherrimè, vt cor, vnde manat in populos regimen, non tam membrũ Regis, quàm membrana Legis efficeretur. Cęterùm, etſi præ alijs ſacris Codicibus, nouo Regi Deutero-

ulenſis.

nomium tradebatur ideò, quia eſt adhortatio Moyſis ardens, atque perpetua, inflammans ad pietatem, & ad cultum Dei, ego nihilominus congruè videar offerre, Tibi nouo Epiſcopo, & nouo Principi, hanc primam Centuriam lucubrationum mearum, quoniam continet lineamenta plurima, floremque, & colorem, quibus vultus vnius optimi Principis poſſit diuinitùs conformari. Catulus Leonis, qui exprimit Iudam ſimul Regem, ſimul Sacerdotem (quemadmo-

admodum etiam Tu electus es ſimul Princeps, ſimul Sacerdos) & qui vel in Titulo Libri, geſtit, exſilitq; ad Patris imitationem, ſuſcitatq; Regiam indolem, ſolus enimuerò ſufficere poſſet, ad perfecti Principis *Metaph. LXXXII.* Ideam animo ſubſtituendam. Alibi ſparſa circumfluent multa, ex quibus aliqua ſummatim recenſeo, vt poſſint adiri ſi luberet, & ſi à curis grauioribus liceat. Quinam Cuſtodes atque Satellites Principem *Metaph. XLIII.* deceant, Rex Geraræ Abimelech oſtendet. Aulicos verè nitidos, & Principis, hoc eſt, magnę mentis ido- *Metaph. LXXI.* neos miniſtros figurabunt graphicè Eunuchi Pharaonis. Cibum quaſi victimam, potionem, quaſi vinum libaminum ſumi debere à Viro Principe, Io- *Metaph. LXXIII. & LXXIV.* ſeph Magnus Ægypti Prorex indicabit. Pęnas Reorum, quonam modo exigi à Principe oporteat, Deus *Metaph. XII. & XXXVII.* ipſe, etiam perſonatus, & veluti agens nobiſcum in ſcæna, repræſentabit. Perſuadebit clementiam, & *Metaph. LXXIII. & LXXIV.* iniuriarum ſemper memorabilem obliuionem, Ioſeph Ægypti Præſes. Iudices, & vindices æqui for- *Metaph. XLVII.* mabit Abraham, dum Princeps Dei ſalutatur: atque idem proferet lapidem Lydium, quo probantur Au- *Ibidem.* rei Principes, & qui nimirum lapis, eſt Pietas in Deum. Ad hæc, Epiſcopo (quæ altera Dignitas Te ſacrâ Cydari ornat) animarum ſollicitudinem præ anxia

Metaph. XIX. *Metaph. XLVIII.* *Metaph. XXVIII.*

œconomiæ curâ, inſpectionem frequentem Agri Domini, faſtuſque omnis glorioſum contemptum, commẽdari; exempla Putipharis, Iſaac & Iacob explicabunt. Quanquam hæc omnia, & documenta deinde accommodata cuiuis homini, quæ in hoc volumine ſuppetunt, ego Tibi, Princeps Illuſtriſſime, potiùs inſtar ſpeculi offero, vt Te ipſum cõtempleris, quàm inſtar exemplaris, vt Te ad normam eorum exigas: quippè cùm id egiſſe pridem, & abſolutus omnibus numeris Princeps iam eſſe videaris. Etenim qui Rhenum & Mœnum præſtantiæ Tuæ famâ impleuiſti, & qui non itineribus magis, quàm virtutibus peragraſti regiones varias, ſuffragatione mirâ electus, repentè in iſtâ Dignitate viſus es omnibus placere, quia omnibus placueras, antequam ad eam eligereris. Talis verò initio Principatûs apparuiſti, quales futuros ſe alij Principes ſolent polliceri, quando eliguntur. Coniunxiſti autem res diſſimillimas, nempè grauitatem olim gubernantis, & modeſtiam incipientis, vt ſuauiſſimè in Subditorum animis reuerentiam amor publicus temperaret. Ibit in ſæcula, Te iſtic fuiſſe Principem ætate florenti; & in robore annorum, feſtinâſſe animi ſenectutem; vt iuuenis ſenes regeres; & vt etiam eos pruden-

dentiam doceres. Sed hæc particulatim non commemoro, & ſubtraho auribus tuis verecundis elogia, quæ deberem conſecrare virtutibus tuis. Mitto dumtaxat teſtimonium hoc publicum obſeruantiæ meæ; quod pollicitus ſum, dum iſtic non ita pridem eram, in admiratione humanitatis pariter, & magnitudinis Tuæ. Epiſtolam autem voto concludam, & veluti obſignabo: vt det nimirum Tibi ætatem Deus, quam mereris; & vt ſeruet animum, quem acceptum ab eo, hactenus cum tam glorioſo virtutis, atque honoris fœnore retinuiſti. Ita voueo.

Addictiſſimus & obſequentiſſimus

Silueſter Petra Sancta è Societate IESV.

FACVLTAS R. PATRIS Prouincialis.

EGo infraſcriptus Societatis IESV *in Gallo-belgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do* Ioanni Kinckio *Typographo Colonienſi, vt Centuriam primam Metaphorarum Sacrarum R. Patris Silueſtri Petra Sancta, ex noſtra Societate, ad ſex annos proximos imprimere, & liberè diſtrahere poſſit. In quorum fidem has manu propriâ ſubſcriptas, & officij noſtri ſigillo munitas dedimus. Niuellis* 28. *Iulij*. 1631.

Ioannes Lobbetius.

BENEVOLO Lectori.

ADagia & Paræmias Teſtamenti Veteris ac Noui, commentarijs ſuis Eruditi ſcriptores illuſtrarunt. Metaphoras eius nulli, quod ſciam, antehac expoſuerunt: cùm tamen hæ illas eò ſuperent; quod elocutionis florem habeant, tùm frequentiſſimum, tùm longè pulcherrimum: & præterea ex calamo prodierint Diuini Scriptoris: proculdubio afflante Spiritu illo, cui tribuitur ſcriptio cœleſtis Voluminum Sacrorum. Neque enim natæ, celebratæque ſermonibus hominum, & veluti commodatæ vſibus, ac moribus humanis Metaphoræ, de quibus agimus, perinde atque Adagia & Paræmiæ fuerunt. Sed originem habent ſublimem ac cœleſtem, atque ab ipſo Deo vim omnem ſuam, & ſignificationem repetunt. Quod ſi quæuis tranſlatio eſt verbi, vel ſermonis, à

propria ſignificatione, in aliam cum virtute mutatio, ſeu vocabuli tranſitus, ex loco in quo proprium eſt, in eum, in quo aut proprium deſit, aut tranſlatum ſit proprio melius. Quis tam hebes fuerit, vt exiſtimet Spiritum Sanctum, eloquentiæ humanæ Magiſtrum, & Conditorem, voces ex propria ſignificatione in alium ſine virtute mutaſſe: & non imò id egiſſe, quod de Quintilianus l. 8. c. 6. *Metaphoræ vſu præcipitur: nempe vt aut vacantem locum occupet: aut ſi in alienum venit, plus valeat eo, quod expellit?*

Sanctus Auguſtinus expendens Metaphoram il- Geneſ c. 2. v. 22. *lam, Ædificauit Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & quærens, cur ibi etiam dictum non ſit; finxit aut fecit, ſicut in omnibus alijs operibus, ſed ædificauit, tanquam domum.* Non Lib. 9. de Geneſ. ad lit. c. 13. eſt dubitandum, *inquit,* (quoniam hæc facta ſunt, & ſtulta eſſe non poſſunt) ob aliquid ſignificandum eſſe facta: fructum futuri ſæculi, ab ipſo iam primordio generis humani, Deo præſcio, in ipſis ſuis operibus, prædicante. Vt certo tempore ſeruis ſuis, ſiue per hominum ſucceſſiones, ſiue per ſuum Spiritum, vel Angelorum miniſterium reuelata, atque conſcripta, & promittendis rebus futuris, & recognoſcendis

dis impletis, teſtimonium perhiberent. *Alibi etiam, poſtquam de ſimilibus locutionibus interrogauerat,* Putas ne ſine causâ iſta in Scripturis poſita ſunt, aut verè hoc totum habent, quod ſonant? *Subdit hoc pium, & prudens conſilium:* Antequam ſcias, quarè quid dictum ſit, crede ita dici debuiſſe, vt dictum eſt. Hæc enim pietas faciet te capacem, vt quæras quod dictum eſt; & cum quæſieris, inuenias; & cum inueneris, gaudeas.

Enar. in pſ. 147.

Ibidem.

Fateor: inuitauit me quidem delectatio, & ornatus, in quibuſdam metaphoris ſacris, tam comptus, & elegans: vt earum comparatione audeam, vel Tullij, ac Maronis tropos ſpecioſiſſimos prouocare. Sed vt aggrederer eas explicare, multò efficacius me induxit ea perſuaſio: quòd gratiâ ſignificationis alicuius nobilioris, & quæ ſapienter iuxtà, ac pulchrè mores inſtrueret, Spiritus Sanctus, in Codice ſacro, Metaphoras vſurpauerit. Conſtat ſiquidem, in eo, nec iota vnum, nec vnum apicem myſterio carere: atque id credo vtique, ſimulque profiteor, & ſpero mercedem pietatis, quam Sanctus Auguſtinus expertus in ſe, alijs etiam ominatur, & pollicetur. Adnitar verò, exponere in ſingulis ea-

rum, ſenſum Hiſtoricum, ſeu Litteralem, quem vocant: deinde promam documenta morum, & ea præcipuè, quæ Sancti Patres, & graues quiq́ue Interpretes tradiderunt. Mel ex ijs floribus exſugere, erit, opinor, peræquè iucundum, ac ſalubre. Argumentum certè id mihi viſum eſt: in quo, (dummodo ſcriptori adſit fœlicitas) ſponte ſua miſcebitur Vtile Dvlci.

INDEX
HVIVS PRIMÆ
CENTVRIÆ.

METAPHORA 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Gen c.1.v.2.
2. *Aedificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Geneſ.2.verſ.22.
3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terra.* Geneſ.3.verſ.1.
4. *Aperientur oculi veſtri.* Geneſ.3.verſ.5.
5. *Cum Audiſſet vocem Domini Dei, deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* Geneſ.3.verſ.8.
6. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen illius, & ſemen tuum.* Geneſ.3. verſ.15.
7. *Adam cognouit vxorem ſuam.* Geneſ.4.verſ.1.
8. *Peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum.* Geneſ.4.verſ.2.
9. *Iratus eſt Cain vehementer & concidit vultus eius.* Geneſ.4.verſ.5.
10. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* Geneſ.4.verſ.7.
11. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Geneſ. 4.verſ.7.
12. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Geneſ.4.verſ.10.
13. *Terra aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui, de manu tua.* Geneſ. 4. verſ.11.
14. *Iabel fuit pater habitantium in tentorijs, atque Paſtorum. Iubal fuit pater cantantium in cithara, & organo.* Geneſ.4.verſ.21.
15. *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Gen.4.v.23.
16. *Ambulauit Enoch cum Deo.* Geneſ 5.verſ.22.
17. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchra.* Geneſ.6.verſ.2.
18. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in aternum, quia caro eſt.* Geneſ. 6. verſ.3.

19. *Pænituit Deum, quod feciſſet hominem.* Geneſ.6.verſ.6.
20. *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* Geneſ.6.verſ.11.
21. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Geneſ.6.verſ.12.
22. *Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt.* Geneſ.7.verſ.11.
23. *Incluſit eum Dominus deforis.* Geneſ.7.verſ.16
24. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Geneſ.8.verſ.21.
25. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8.verſ. 1.
26. *Fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Geneſ.9.ver.6.
27. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, inter me, & inter terram.* Geneſ.9.verſ.13.
28. *Dilatet Deus Iapheth.* Geneſ.9.verſ.27.
29. *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis* Geneſ.12.verſ.17.
30. *Ego protector tuus ſu[illegible] merces tua magna nimis.* Geneſ.15.verſ.1.
31. *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem.* Geneſ.16.verſ.2.
32. *Ingredere ad ancillam meam* Geneſ.16.verſ.3.& 4.
33. *Erit pactum meum in carne veſtra, in fœdus æternum.* Geneſ.17.verſ.13.
34. *Cum finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ad Abraham.* Geneſ.17. verſ.22.
35. *Conſenui, & Dominus meus vetulus eſt.* Geneſ.18.verſ.12.
36. *Peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Geneſ.18.verſ.20.
37. *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Gen. 18.verſ.21.
38. *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Geneſ.18.verſ.29.
39. *Viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero, vſque ad ſenem.* Geneſ.19.verſ.4.
40. *Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei.* Geneſ.19.verſ.9.
41. *Eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate.* Geneſ.19.verſ.11.
42. *Dominus pluit ſuper Sodomã & Gomorrham, ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Geneſ.19.verſ.24.
43. *Cuſtodiui te, ne peccares in me.* Geneſ.20.verſ.6.
44. *Hoc erit tibi, in velamen oculorum.* Geneſ.20.verſ.16.
45. *Viſitauit Dominus Saram, & impleuit quæ locutus eſt.* Geneſ.21.verſ.1.
46. *Tentauit Deus Abraham.* Geneſ.22.verſ.1.
47. *Princeps Dei es apud nos.* Geneſ.23.verſ.6.
48. *Ipſa eſt mulier, quam præparauit Dominus, filio Domini mei.* Geneſ.24.verſ.44.
49. *Collidebantur in vtero eius paruuli* Geneſ.25.verſ.22.
50. *Eſau irrugijt clamore magno.* Geneſ.27.verſ.34.
51. *Supplantauit me, en altera vice.* Geneſ.27.verſ.36.
52. *Frumento, & vino ſtabiliui eum.* Geneſ.27.verſ.37.

53. *Tempus*

53. *Tempus veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius.* Geneſ.27.verſ.40.
54. *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Geneſ.28.verſ.17.
55. *Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui:* Geneſ.30.verſ.2.
56. *Ad me intrabis, quia mercede conduxi te, pro mandragoris filij mei.* Geneſ.30. verſ.16.
57. *Dotauit me Deus dote bona, eò quod ſex genuerim filios.* Geneſ.30.verſ.20.
58. *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea.* Geneſ.30.verſ.33.
59. *Non dimiſit eum Deus vt noceret mihi* Geneſ.31.verſ.7.
60. *Iurauit Iacob per timorem Patris ſui Iſaac.* Geneſ.31.verſ.53.
61. *Caſtra Dei ſunt hæc.* Geneſ.32.verſ.2.
62. *Ecce vir luctabatur cum eo, vſque manè.* Geneſ 32.verſ.24.
63. *Dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Geneſ.34.verſ.2.
64. *Et conglutinata eſt anima eius, cum ea.* Geneſ.34.verſ.4.
65. *Faciamus altare Deo, qui fuit ſocius itineris mei.* Geneſ.35.verſ.3.
66. *Pater appellauit eum Beniamin; id eſt, filius dexteræ.* Geneſ.35.verſ.18.
67. *Quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit.* Geneſ.37.verſ.5.
68. *Quare diuiſa eſt propter te maceria?* Geneſ.38.verſ.29.
69. *Iniecit Domina ſua oculos ſuos, in Ioſeph.* Geneſ.39.verſ.7.
70. *Dominus omnia opera eius dirigebat.* Geneſ.39.verſ.23.
71. *Accidit, vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna Regis Aegypti, & piſtor.* Geneſ.40. verſ.1.
72. *Vt malum inopiæ temperarent.* Geneſ.41.57.
73. *Occide victimas & inſtrue conuiuium.* Gen.43.verſ.16.
74. *Biberuntq;. & inebriati ſunt cum eo.* Geneſ.43.verſ.34.
75. *Cum anima illius, ex huius anima pendeat.* Geneſ.44.verſ.30.
76. *Vt comedatis medullam terræ.* Geneſ.45.verſ. 18.
77. *Reuixit ſpiritus eius.* Geneſ.45.verſ.27.
78. *Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum ſunt.* Geneſ. 47.verſ.9.
79. *Dormiam cum Patribus meis.* Geneſ.47.verſ.30.
80. *Aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Geneſ.49.verſ.4.
81. *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia,* Geneſ.49.verſ.5.
82. *Catulus Leonis Iuda.* Geneſ.49.verſ.9.
83. *Lauabit in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Geneſ.49.verſ 11.
84. *Iſſachar Aſinus fortis.* Geneſ.49.verſ.14.
85. *Dan coluber in via. & cераſtes in ſemita.* Geneſ.49.verſ.17.
86. *Gad accinctus præliabitur.* Geneſ 49.verſ.19.
87. *Aſer pinguis panis eius.* Geneſ.49.verſ.20.
88. *Nephtali ceruus emiſſus.* Geneſ.49.verſ.21.
89. *Filius accreſcens Ioſeph, inuiderunt illi habentes iacula.* Geneſ.49.verſ.22.& 23

90. *Sedit*

90. *Sedit in forti arcus eius.* Geneſ.49.veſ.24.
91. *Paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael* Geneſ.49.verſ.24.
92. *Donec veniret deſiderium collium æternorum.* Geneſ.49.verſ.26.
93. *Beniamin Lupus rapax.* Geneſ.49.verſ.27.
94. *Ego congregor ad populum meum.* Geneſ.49.verſ.29.
95. *Poſt mortem meam, Deus viſitabit vos.* Geneſ.50.verſ.23.
96. *Venite, ſapienter opprimamus eum.* Exod.cap.1.verſ.10.
97. *Loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Exod.4.verſ.16.
98. *Ego indurabo cor eius.* Exod.4.verſ.21.
99. *Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael.* Exod.4.verſ.22.
100. *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Exod.4.verſ.25.

META-

METAPHORA PRIMA.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Geneſ.cap.1.verſ.2.

EFficax aliqua vis, & operoſa in aquis, non pigris & inertibus, ſed motis ad generandum, hoc loco exprimitur. Nam *quod immobile*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *omnino inutile eſt: quod vero mouetur, ad multa conducit*. Eam porrò fuiſſe auram ſpirabilem, ac ventum generationi aptum, exiſtimarunt aliqui; neque abnuit Sanctus Auguſtinus. Ita namque, præter Terram, Aquam, & Cœlum, hoc eſt Ignem; videretur Aër etiam nominari; eſſetque in promptu materies vniuerſa: priuſquā in opus Mundi varium ea miſceretur: ſed enim ſcriptura ſacra de ipſo Aëre ſatis meminiſſe, cenſeri poteſt: dum *tenebræ*, inquit, *erant ſuper faciem abyſſi*. Quoniam Aër eſt hoſpitium lucis, & receptaculum tenebrarum: nec ſuper faciem abyſſi, ſine hoc habitaculo ſuo, tenebræ fuiſſent.

Homil 3. in Geneſ c.1.

Lib imperf. de Gene. ad litt. c 4.

Gen.c.1.v.2

Quocirca nos potius, vt Diuus Ambroſius loquitur, *cum Sanctorum, & fidelium ſententiæ congruentes ſpiritum ſanctum accipimus: vt in conſtitutione Mundi operatio Trinitatis cluceat*. Hoc autem ita explicat; vt quia præmiſerat Diuinus Auctor verba illa, *in principio creauit Deus cœlum, & terram*; ſenſus ſit; in Filio Deo, Pater Deus creauit Cœlum & Terram; & per Spiritum ſanctum, etiam Deum, habita eſt operis plenitudo. Hanc verò eſſe communiter Patrum interpretationem, citra omne dubium videtur; & quod ſpectat ad filium Dei; *Eſt principium*, inquit S. Auguſtinus. *ſine principio, & eſt principium cum alio principio. Principium ſine principio, ſolus Pater eſt; ideo ex vno Principio eſſe omnia credimus.*

Lib.1. Hexamer.c.8.

Gen c.1.v.1

Lib Imperf. de Gen. ad litt c.2.

Filius autem ita principium eſt, vt de Patre ſit: & de hoc Principio, non tantùm de principio temporis ipſe, opinatur loqui ſcripturam ſacram. Idem etiam docet alibi, ac præſertim vbi diſputat aduerſus Manichæos. Cæterùm eſt adeò recepta hæc interpretatio; vt referat S. Hieronymus; exiſtimari à pleriſque Hebræos codices habere; *in Filio fecit Deus Cælum, & Terram*. Quod ita eſſe tamẽ negat; cùm ſeptuaginta Interpretes, & Symmachus, & Theodotio, *in principio*, tranſtulerint, & in Hebræo ſcriptũ ſit בראשית *breſith*, quod Aquila interpretatur *in Capitulo*; non autem בבן *baben*; quod interpretatur *in filio*. Concludit deinde his verbis. *Magis itaque ſecundùm ſenſum, quam ſecundùm verbi trãſlationem, de Chriſto accipi poteſt: Qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput librorum omnium eſt; quàm etiam in principio Ioannis Euangeliſtæ Cæli, & Terræ Conditor approbatur.*

Lib p. de Geneſ. ad litt. c. 6. & lib. 1. de Geneſ. contra Manich. c 2.
Quæſt. Hebraic. in Geneſ.
Ibidem.

Quoad Spiritum ſanctum; idem S. Hieronymus Baptiſmi ſymbolum, & figuram deducit ex Spiritu Domini, qui in creatione Mundi ferebatur ſuper aquas. Quod fecit antea etiam Tertullianus; dicens ab eo, quod ferebatur, id quod ferebat, ſanctitatem mutuari, & de ſancto ſanctificatam naturam aquarum, ipſam etiam ſanctificare. Quin etiam addit; Nationes quę ſunt extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium, poteſtatem Idolis ſuis eâdem efficaciâ ſubminiſtrare: *ſed viduis aquis*, inquit, *ſibi mentiuntur:* hoc eſt, aquis ſterilibus; quas non fœcundat virtus Spiritûs ſancti; vt in anima progenerent ſanctitatem. Ac paulo poſt de Dijs; qui credebãtur circa lacus & fluuios habitare, *ſine vllo*, inquit, *Sacramento, immundi ſpiritus aquis incubant; affectantes illam, in primordio, ſpiritûs geſtationem.*

Commentar in c. 1. Marci
Lib. de Bapt. c. 4.
Ibidem c. 5.

Spiritus ſanctus igitur *ferebatur ſuper aquas*, velut Architectus, & Conditor Orbis terrarum; nec in eo ſenſu, quaſi aqua fuerit habitaculum eius, aut contineret ſpiritum Dei; vt cauillabantur Manichæi. *Cum enim dicimus*, inquit Diuus Auguſtinus, *ſol ſuperfertur ſuper terram; nunquid intelligi volumus, quòd in terra habitet ſol, & terra ſolem contineat? & tamen non ſic ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam: ſicut ſuperfertur ſol ſuper terram; ſed alio modo, quem pauci intelligunt. Non enim per ſpatia locorum ſuperferebatur aquæ ille ſpiritus; ſicut ſol terræ ſuperfertur: ſed per potentiam inuiſibilis ſublimitatis ſuæ. Dicant autem nobis iſti; quomodo his rebus, quæ fabricandæ ſunt, ſuperfertur voluntas fabri?* Sic pulchrè admodum, & ingenioſe hanc Metaphoram expoſuit; perinde ac ſi, veluti Magiſter operis, vagaretur Spiritus ſanctus, ſuper molem rudem, & indigeſtam; & formas rerum varias atque innumerabiles in eâ deſignaret; *vi quadam*, inquit alibi, *effectoria, & fabricatoria: vt illud cui ſuperfertur, efficiatur, & fabricetur, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei ſubiectæ ad operandum: vel etiam ipſis membris corporis ſui, quæ ad operandum mouet.*

Lib. de Gen contra Manich c 5.
Lib. imperf. de Geneſ ad litt. c. 4.

Magnifice itaque ille Princeps, Inuentor, & Architectus Mundi *ferebatur ſuper*

ſuper aquas;& tropus hic ſacer auguſtior eſt;quàm ille Lyrici Poetæ,de igne,
&vento;

Ceu flamma per tædas,vel Eurus *Horat.lib.4*
Per ſiculas equitauit vndas. *Ode.4.*

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas Sanctus Hieronymus aduertit, in He-
bræo eſſe מרחפת *merahephet h*:hoc eſt incubabat,ſeu confouebat , *in ſimili* *In Quæſt.*
tudinem,inquit,*volucris,oua calore animantis.* Et ita expoſitum fuiſſe textum *Hebraicis.*
hunc,à quodam erudito Chriſtiano Syro,narrat S.Auguſtinus,*ſicut oua*, in- *Lib.1.de*
quit,*fouentur ab alitibus:vbi calor ille materni corporis,etiam formandis pullis quodam-* *Gen.ad litt.*
modò adminiculatur,per quendam in ſuo genere dilectionis affectum. Recte autem, *c.18.*
quia Spiritus ſanctus amor eſt:amor autem generat omnia : ideoque ipſe a-
quis indidit vitalem fœcunditatem;vt non eſſent viduæ,quod ait Tertullia-
nus,ſed implerentur ab eo virtute quadam maritali, & ita Mundum partu-
tirent.

Eſt item alia translatio,quæ idem ſonat : ac ſi diceretur Spiritus ſanctus *Gloſſa in c.*
ſuper aquas volare,ſeu volitare;congruitque cum antedicta ſimilitudine A- *1.Geneſ.*
uis nidulantis , & volitantis anxiè,quadam ſollicitudine Matris, circa fines
niduli ſui. Atque id ſatis exprimit ſolertiam Artificis Diuini;qui volabat &
ferebatur ſuper aquas,conſilia quodammodo ineundo : ſicut interpretatur *In c.1. Gen.*
Abulenſis,intuendoque exemplaria,& Ideas, vt in Mundi opus perfectum
abſolutumque,materia demùm exiret.Sed enim ſpecies aliqua , & veluti
forma conſultandi adhuc magis apparuit, quando Deus, daturus corpori
caput,ciuitati Principem,& Mundo Regem,*faciamus*,inquit,*hominem , ad i-* *Gen.c. 1. v.*
maginem,& ſimilitudinem noſtram. Non dixit fac; inquit Diuus Ioannes Chryſo- *26.*
ſtomus,*ne ſeruile aliquid ſuſpiceris iuberi,ſed dicit faciamus : vt formâ conſultoriorum* *Serm. cõtra*
verborum æqualis detegeretur honor. Alibi verò quærens, quemnã alloqueretur *Anomæos.*
Deus,& minime hoc referri ad Angelos,aſſeuerans, qui vtique non habent *Serm.de*
prototypum imaginis Dei:dicere ait,Deum Patrem,Deo filio , & Deo Spi- *SS.Trinit.*
ritui ſancto:*faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram ; & non meam,& ve-*
ſtram;neque meam,& tuam.

S.Gregorius pariter notat,non haberi de homine,ſicut de rebus cæteris, *Lib.9.Mo-*
fiat & factum eſt,ſed *priuſquam*,inquit,*faceret,faciamus dicitur:vt videlicet, quia ra-* *ral.c.27.*
tionalis Creatura condebatur,quaſi cum conſilio facta videretur. Vſque adeò nos e-
rudimur,vt nihil ſine conſilio agere debeamus,& vt nihil auſpicemur , niſi
opem diuinam prius implorauerimus.Pudor ſit autẽ, vel ab Ethnicis Chri-
ſtianos in ea re ſuperari.Exprobrant enim hoc Virgiliani verſus illi:

Ab Ioue principium,Muſæ:Iouis omnia plena: *Ecloga 3.*
Ille colit terras,illi mea carmina curæ.

Plato perinde,*cum omnes*,inquit,*qui mentis quoquomodo compotes ſunt,in operis* *In Timæo,*

circa initium. Ibidem.

cuiuſque vel magni, vel parui principio, inuocare Deum ſoleant, quanto nos æquius eſt, de vniuerſo (ſiue genitum ſit, ſiue ingenitum) diſputaturos, inuocare Diuinam opem? Et hoc deinde agit his verbis, quàm maximè idoneis; *Deos omnes, Deasq́. precamur; imprimis quidem, vt ea dicantur à nobis, quæ illis placeant: deinde vt nobis ipſis conſtemus.* Ego certè bene auguratum hoc principium, & mihi, & ſcriptioni huic meæ reor: nam quia hæ Metaphoræ ſacræ, ſeu earum commentarij, ducunt initium à Spiritu illo, qui condidit, & ſeipſo repleuit Orbem Terrarum: poſſum precari, vt adſit ſcribenti; imò cum ſit dexteræ Dei digitus, vt regat calamum, atque adeo (ſi mea id promerentur vota) ſimul ſcribat.

In Hymno Eccleſiæ. Veni creat. r X. de legibus initio.

Quomodo autem, in operis cuiuslibet exordio, id poterit quiſquam intermittere, tametſi facillima ſint ea, quæ auſpicatur? *Potes paſſim, & celeriter omnia facere,* inquit Plato, *ſpeculum accipe, paſſimq́; circumferas, Solem protinus facies, & quæ in Cœlo ſunt, terram quamprimum, ocyſſime teipſum, & cætera pariter animalia, ſupellectilia, plantas.* Sed addit ſapienter, *imagines iſtorum quidem, res ipſas minimè.* Atqui Deus multo facilius ipſas res, omnipotentiâ ſuâ fecit, quàm homo poſſet ſpeculo imagines rerum; & nihilominus mutuam opem Pater, Filius, Spiritus ſanctus, maieſtate, potentia, & præſtantiâ pares, petiere conſultando, & velut inuicem deferendo. Vt multo minus homo, quippe artifex, qui agendo errare poteſt, moliri quidpiam præſumat, niſi Deo, & Spiritui eius antea ſupplicauerit. Si enim is non feratur ſuper animum, & mentem noſtram, fouendo eam pariter, atque illuſtrando, chaos in ea perſeuerabit, & tenebræ erunt ſuper faciem abyſſi.

METAPHORA II.

Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem. Geneſ. c. 2. v. 12.

Homil. 15. in c. 2. Gen.

CONDIDIT Mulierem Deus, inſtar ædificij: materiam dedit viri pectus, ideam verò Diuina mens. *Quanta,* inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *optimi Architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula tam elegantia membra concinnauit, tantos formauit ſenſus, & perfectum, & integrum, & abſolutum animal fecit: quod poſſit & colloqui, & communione ſubſtantiæ viro multa afferre ſolatia?* Exiſtimat verò, non iam dici *formauit,* ſed *ædificauit:* quia ex homine iam formato Deus partem, id eſt coſtam, accepit: & materiæ, quod deerat, ſuppleuit. S. Ambroſius aptè, ait, vſurpari verbum ædificandi, dum à Deo mulier formatur, *quia in Viro,* inquit,

Ibidem. Lib. de Paradiſo. c. 11.

& Mu-

& Muliere, domûs videtur quædam plena eſſe perfectio, qui ſine vxore eſt, quaſi ſine domo ſit, ſic habetur. Sicut enim vir publicis officijs, ita mulier domeſticis miniſterijs habilior æſtimatur. Cardinalis Caietanus putat mulierem, conceptæ & genitæ prolis, eſſe quaſi domum, atque illam intra ſe regere, & continere, ideoque in ſui origine à Deo, inſtar domûs, ædificari. S. Hieronymus propius rem attingere videtur: notat enim, procreationem filiorum in Hebræo ædificationem vocari, & eò pertinere opinatur illud: *quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos:* id eſt, quia ſpreto edicto Pharaonis ſeruarunt pueros Hebræorum; Deus propagationem, & ſobolem eis conceſſit. Quippe ſteriles fœminas, olim obſtetricia, in puerperijs exercuiſſe, Plato morum Ægypti ſatis gnarus, tradit, nullamque ait ex obſtetricibus, quamdiu conciperet, parientibus opitulari ſolitam, ſed cum iam ad fœtum erat inepta. Ad hæc non aliter interpretari poſſumus lætam illam acclamationem, quæ dicta eſt ad fœlices coniuges, Booz & Ruth: quando *reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: nos teſtes ſumus. Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael*, procreando nimirum duodecim duces populi, duodecim Patriarchas Iſraelitarum.

In Quæſt. Hebraicis. Exod. c. 1. v. 22.

In Theæteto, circa initium.

Libr. Ruth c. 4. v. 11.

Aedificauit Deus coſtam in Mulierem filius בן *ben* hebraicè dicitur à בנה *bana*, quod idem ſonat atque ædificare. Ex pectore Adæ, vbi ſedes eſt amoris, quaſi eius filia, formatur Eua: hinc etiam dicitur vſitato vocabulo filiorum, ædificari. Inuenitur autem ſimilis locutio etiam apud veterem Poetam, qui filios ædibus comparat, & Parentes eorum fabros vocat.

Plautus in Moſtelaria.

Nunc etiam volo dicere,
Vt vos homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primùm, dum Parentes fabri liberûm ſunt, & fundamentum
Liberorum ſubſtruunt.

Et fortaſſe, ſicut Ciuitatis manſurus diu habitator videtur ille, qui in ea domicilium habet. Ita Parentes videntur in Mundo habituri manſionem perpetuam: quamdiu in filijs, velut in propria domo ſuperſtites erunt.

Omiſi de induſtria R. Salomonis rudem, & omnino pinguem interpretationem: qui ait, ſicut ædificium latius eſt, in ima parte, quam ſupernè, ita ſe habere corpus mulieris, in qua deficit naturæ calor, & plus alimenti deſerit in ima eius parte. Ex quo fieri putat, vt aptius ipſa comparetur ædificio, quã vir, cuius calor fortior eſt: & ideo caput, pectus, armos, latiùs in eo enutrit. Prætereo has ineptias inutiles, vt ſubtexam alia, quæ ſint profutura moribus. Diſparem dati, & accepti compenſationem, in hac mulieris ſtructura mirabili, aduertit S. Auguſtinus. Nam quod ea prodierit de latere viri: *per ipſum*, inquit. *firma facta eſt, tanquam eius oſſe firmata: ille autem propter ipſam infirmus: quia in locũ coſtæ, nõ coſta, ſed caro ſuppleta eſt.* Et vtinã Vir dati, Mulier accepti memores, in prima tentatione, præſetuliſſent coſtæ, aut potius cõſtantiæ firmitaté.

Apud Lirã. in c. 2. Gen.

Lib. 9. de Gen. ad litt. c. 18.

Fuiſſet Eua, viri prima vxor, filiorum prima Mater, Mundi denique prima Mulier, in ſui met origine, ſimilior ædificio, quàm ruinæ.

Sed enim abſit; vt propterea mulieri ſubtraham eam, quam habuit à Conditore ſuo Ideam ædificij. Sit ædium ſimillima, domi contineat ſe, non
Geneſ.c.34. v.1. diuagetur; vtpote raiò, aut nunquam reditura caſtior. Dina adoleſcentula non pulchrior, quàm curioſior, egreſſa, vt videret mulieres regionis, & à
Cap.4.v.12 Principe Sichem compreſſa; grande fuit exemplum incuſtoditæ, & receptæ ideò, per vim & iniuriam, virginitatis. Sponſa in ſacris Canticis *Hortus concluſus* dicitur, & *fons ſignatus*. Immo interdum ſatis non fuerunt clauſtra, & pa-
Dan.c.13. rietes, ad tutelam honeſtatis. Sic Suſanna, pulchra imprimis ac timens Deũ, graue diſcrimen adijt: tametſi eſſent clauſa oſtia Pomarij: quando ex illius conſpectu, ſenum duorum marcidæ animæ acceperunt ignem; ita vt canities
2. Reg c.11. in ipſis, ad eum ignem, inſtar niuis, tabeſceret, & proflueret in lutum libidinis. Bethſabee domi agebat: & nihilominus viſa ibi ſe abluens fuit, ex quo lauacro non mundior exijt: ſed ſimul ſemet, viri thorum, & Dauidis hominis ſanctiſſimi Regnum inquinauit. Ad hæc Lucretia, (quæ tametſi dedecus
Liuius Dec. 1.lib 1. malè paſſa, & peius vlta; celebris eſt in Romanâ Hiſtoriâ) dedita lanæ, inter lucubrantes ancillas, in medio ædium, ſedens ab Adultero primùm inuenta eſt. Attamen pudicitiam, & vitam ſponte amiſit: poſtquam ex perſuaſione vitioſæ, & peruerſæ verecundiæ, minus culpam, quàm infamiam formidauit.
Terent in Eunucho. Demum veteres etiam Poetarum fabulæ imbrem aureum, & in eo ſtuprum Iouis, penetraſſe ad incluſam Danaen, finxerunt.

Mulier, quia condita eſt, inſtar ædificij, domi contineat ſe; non temerè aliò vagetur: ſed *ſicut vitis abundans, in lateribus domus* hæreat. Mos erat apud
Pſ127 v 3. Plutarchus in Probl 28 Bœotios, concremare pro foribus axem vehiculi, quo ſponſa immigrauerat in domum viri, & ea res argumento erat, à Muliere caſta, & proba limen ſanctè cuſtodiendum eſſe. Caſta Venus etiam, quæ erat ſymbolum mulieris
Pauſan in Lacon. honeſtæ, viſebatur apud Lacedæmones aſtricta compedibus, eò quod non deceat, fœminã pudicam diuagari. Eadem caſta Venus, opus Phidiæ ex au-
Pauſan.in Eliac. ro, & ebore, ſubiectam Teſtudinem (quàm à cognata, & proſequente ipſam habitatione Latini Domiportam vocarunt) pede altero premebat. Quo ſi-
Cic.2.de Diuin ex Pacuuio. mulacro, ſilentij & domus cuſtodiam mulieri egregiæ atque honeſtæ commendari, paſſim interpretantur: nam illa ſemper domi eſt, & vel lingua caret, vel linguæ ſono. Complexus verò vtramque eam laudem eſt Andreas Alciatus ijs verſiculis:

Embl. 195.

Me ſic effinxit Phidias, ſexumq; referri
Fœmineum, noſtrâ iuſſit ab effigie.
Quodq; manere domi, & tacitas decet eſſe puellas,
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

Ædifi-

Ædificata fuit à Deo prima Mulier: aliæ vt ab ea non degenerent, intra limen, veluti pars ædificij, morentur, & ædificent viro ſuo famam, ac poſteritatem. Quippe Mulier in domo, eſt in annulo gemma: ſi ex leui cauſa migrat & vagatur, fortaſsis perſeueret margarita: ſed cui facile ſit, vt proijciatur ante porcos.

METAPHORA III.

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Geneſ. cap. 3. verſ. 1.

ALIQVI verum ſerpentem hic non intelligi putant, ſed Diabolum, & calliditatis nomine, inſinuari verſipelles nequitias eius. Quo pacto Abbas Serenus dixit, de Angelica cum diſceſſiſſe ſanctitate: ita vt *non ſolùm*, inquit, *nominis huius* (nempe ſerpentis) *inſigniri mereretur infamiâ: ſed etiam in nequitia tergiuerſatione cæteris præferretur beſtijs terræ.* Docet tamen maior conſenſus Patrum, veri ſerpentis alloquio Euam deceptam fuiſſe, quem vtique Diabolus, vti oratorem, & nequitiæ miniſtrum adhibuit, quò illam circumueniret. Ita S. Io. Chryſoſtomus, *verba quidem*, inquit, *ſunt diaboli; quem ſua inuidia incitabat, vt ita hominem falleret: animali autem hoc, vt inſtrumento accommodo, vtebatur.* Cyrillus Alexandrinus hoc ſupponit, & cum Iulianus Apoſtata carperet ſcripturam ſacram, quaſi figmenta, & fabulas de animalium locutione, peræque ac Poetarum libri, contineret: probat Dæmonem per animalia, ſtirpes, amnes, lacus poſſe loqui. Adfert verò Homerum, qui ait Xanthum, Achillis equum, Heroi ſuo mortem prædixiſſe, & Porphyrium; qui perhibet, Cauſum Flumen, dum illud Pythagoras, & alij plures pertranſirent, dixiſſe, *ſalue Pythagora*, & Philoſtratum, qui narrat, vlmum, voce articulata, & muliebri, allocutam eſſe Apollonium Tyanæum. Commemorat inſuper quercum Dodonæam, humanis vſam vocibus, & Iouis Taurum in Inſula Rhodo: vt proinde etiam ex Diaboli magiſterio in Paradiſo potuerit ſerpens loqui. S. Auguſtinus item opinatur, fuiſſe verum ſerpentem, quem Diaboli virtus impleret, & faceret diſertum, & hoc habet pluribus locis. Immo notat, ſerpentes ideò magis, quam alias vllas animantes, moueri carminibus hominum. *Hoc enim*, inquit, *non parua teſtatio eſt, naturam primitus humanam ſerpentis ſeductam eſſe colloquio. Gaudent enim Dæmones, hanc ſibi poteſtatem dari, vt ad incantationem*

Caſsian. C ll. 8. c. 10

Homil 16. in c. 3. Gen.

Lib. 1 contra Iulianū

Lib 11. de Gen ad litt. c. 2 c. 28. c. 29.

Ibid. c. 28.

nem

nem hominum ſerpentes moueant,& quolibet modo fallant,quos poſſunt.Hoc autem permittuntur,ad primi facti memoriam commendandam,quod ſit eis quadam,cum hoc genere,familiaritas.

In eo tamen S.Auguſtino minime aſſentior,quod putet, ſerpentem ſapientiſſimum dici omnium beſtiarum,*propter Diaboli*,inquit,*qui in illo, & de illo*
Ibid.c.29. *agebat dolum:quemadmodum dicitur prudens,vel aſtuta lingua, quam prudens vel aſtutus mouet,ad aliquid prudenter,aſtuteq́; ſuadendum.* Nam communior eſt ſententia,eum ſapientiorem, ſeu callidiorem vocari, omnibus beſtijs terræ, propter ingenij naturæque eius conditionem,etiam ſolitariè conſideratam.
Num.c.22. v.28. Alioquin iumentum,quod Balaam allocutum eſt Angeli opera, poſſet dici prudentius cunctis animalibus terræ:& Ruſticus aliquis energumenus, qui Dæmone magiſtro mira pronuntiat,Ariſtotele,& Platone ſapientior vocaretur.Quamquam haud videtur S.Auguſtinus naturæ ſerpentis negare omnino eam ſapientiæ prærogatiuam.Siquidem Metaphoram hanc exponens,
Ibid.c.2. *Tranſlato verbo*,inquit,*dictus eſt prudentiſſimus,vel ſicut plures Latini codices habent, ſapientiſſimus,non proprio,quo in bonum accipi ſolet ſapientia, vel Dei, vel Angelorum, vel animæ rationalis:tanquam ſi ſapientes Apes,formicasq́; dicamus: propter opera,velut imitantia ſapientiam.*

In quæſt. Hebraicis. Etiam S.Hieronymus non in bonum hoc loco accipi prudentiam ſerpentis,inſinuat:non ait pro ſapiente in Hebræo haberi ערום *arum*:quod Aquila & Theodotion interpretati ſunt,*nequam & verſipellem.Magis itaque,* inquit,*ex hoc verbo calliditas & verſutia,quam ſapientia demonſtratur.* Ceterum in ſerpente figurari prudentiam bonam, euincit Diuinum conſilium illud
Matt.10.v.16. Chriſti Domini:*Eſtote prudentes,ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ.* Prudentia hæc ſerpẽtis apparet in multis,& præcipue in eo,quod cũ impetitur ſaxo, vel baculo,totũ corpus pro capite objciat ferienti.Hinc inſtruimur nos, *vt*
Lib.2 de doct.Chriſt. c.16. *pro capite noſtro*,inquit D. Aug.*quod eſt Chriſtus,corpus potius perſequentibus offeramus:ne fides Chriſtiana,tanquam caput,necetur in nobis, ſi parcentes corpori, negemus Deum.*In eo etiam proponitur nobis imitandus ſerpens,quod *per cauernæ an-*
Ibidem. *guſtias*,inquit idẽ S.Auguſtinus,*coarctatus depoſitâ vetere tunicâ,vires nouas acci-*
Ad Epheſ.c.4 v.22. *pere dicitur.*Et hoc ait concinere ad illud Apoſtoli,vt exuamus veterem hominem,& induamus nouum,& ad conſilium illud Euangelij, vt intremus
Matt c.7. v.13. per anguſtam portam.Quæ duo,hic S.Doctor,alibi etiam recenſet:ſed vnũ
Lib 3 quæ. Euang.in Matt. illud ſilentio præteriri non debet,ſerpentem,ad dies quadraginta, cibo abſtinere;antequam rimas peruadat,ac ponat exuuias detritas, ſuamque renouet iuuentutem.Atque hoc S.Epiphanius tradit:& in hunc modum no-
In Phyſiolog. bis ieiunium,& temperantiam ſuadet coluber ille idem,qui ſuaſor pomi e-
Lib.de ſalutar.docum. c.28. dendi olim Euæ fuit.Ad hæc ſubſtituit in re alia ſerpentem nobis imitandũ S.Auguſtinus,dum ſerpentes eſſe ait,qui cum ad fontem veniunt,vt bibant,

venenum

venenum prius euomunt,ne aquam inficiant. Ita enim peccati virus reuomere par eſt,antequam Sacramenta,quæ ſunt veluti fluenta gratiæ, ſuſcipiantur: & hoc item S.Epiphanius notauit.Propter hæc verò ſerpens propriè appellari prudens,& callidus nequit,quia non eſt particeps rationis, translatè id ei tamen accommodatur,ſupra cæteras animantes,in quibus mentis quædam imitatio,& veluti ſcintilla rationis elucet:quo pacto Ciceroni,Elephanto belluarum nulla videtur eſſe prudentior,& Plinio nulli alteri animalium,quam vrſo videtur,in maleficio ſtultitia eſſe ſolertior. *In Phyſiolog.* *1.De natur. Deor.* *Hiſt.natur. lib.8 c 36.*

Sunt qui aptum fuiſſe ſerpentem,aiunt,vt Euæ inſidias ſtrueret, quippe qui latet in gramine,clàm ac ſenſim adrepit,linguam vibrat celerrimè, ſpirisque & voluminibus implicatur,& veluti dolos nectit:quaſi aſſinni ad decipiendum orator nequior,à Dæmone non potuerit. Alij palam,& non per inſidias ſerpentem Euæ impoſuiſſe,potius credunt,& fuiſſe formâ præſtantem,quaſi ſpecie eſt Scytale:de quo perhibēt,tanta eum eſſe præditum tergi varietate,vt notarum gratia,quibus pictus eſt,aſpicientes moretur, quos aſſequi alioquin,rependo pigrior,nequiret;& ſic,hærentes miraculo ſui, capit.Ego cum eas inſidias abfuiſſe cenſeam,de quibus poſtea Deus, in pœnā facti,loquutus eſt,agnoſco conſilium potius diuinæ miſericordiæ : quæ videlicet permiſit,Euam colubri miniſterio tentari:vt faceret cum tentatione prouentum.Siquidem Eua(quæ,ſicuti & Adam, in ſtatu innocentiæ naturam,& dotes animalium non ignorauit) potuiſſet diſcere à ſerpente ipſo, claudēdas aures eſſe improbæ ſuggeſtioni.Potuiſſet autem vnā terrę apprimere,conſiderans originem ſuām,de limo terræ,ex quo ſaltem Adam exierat.Potuiſſet autem alteram,veluti caudæ iniectu, (quod ſerpens agit aduerſus venefici ſonum)obſerare,conſiderans finem ſuum:nempe futurum, ſi delinqueret,vt in terram,& in ſua initia per mortem, cuius ei metum intentauerat Deus,reſolueretur.Sic eam tentatio non apprehendiſſet,niſi humana,neque auſa fuiſſet aſpirare ad ſtatum, conditione humana ſublimiorem,credens temerè illi perſuaſioni, *Nequaquam morte moriemini* , *eritis ſicut Dij.* *Solinus Polyhiſt.* *Gen.c.3.v.5*

Serpens erat callidior cunctis animalibus,fortaſſe ideo,vti ſymbolum prudentiæ,Tiberius Cæſar ſerpentem in oblectamentis habuit, eumque ex conſuetudine quotidie manu ſua nutriuit.Quin & ſymbolum Principis in eo Aruſpices agnouerunt;nam cum repertus fuerit à formicis,quadam die,conſumptus monuere Tiberium,vt multitudinis vim caueret,quòd cauſæ fuit, vt in ſeceſſu,& ſecretis voluptatibus marceſcere,quàm Romam redire deinceps maluerit. Vtinam hic Imperator,cum prudentiâ ſerpentis, alteram laudem ſpretâ ſimulatione,coniunxiſſet,id eſt columbæ candorem , & doli expertem ſimplicitatem, ſine qua vtique ij Principes qui ſolam affectant *Sueton.in Tiberio.*

prudentiæ famam:calliditatis potius infamia tinguntur. Enimuero, ſi detur optio. præſtat ducem populi ſimplicem,& non prudentem; quàm prudentem,& non ſimplicem habere; ſaltem quod ad Religionem ſpectat, & ad cultum Dei; quem alioqui prudentia huius mundi nimium, quantum imminuat. *Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt*, inquit Tertullianus, *ſerpens verò tentare. Illa eſt à primordio Diuinæ pacis præco; ille à primordio Diuinæ imaginis prædo. Ita facilius ſimplicitas ſola Deum,& agnoſcere poterit,& oſtendere, prudentia ſola concutere potius,& prodere.* Deinde hic Auctor, perfecto odio in ſerpentem, his verbis inuehitur. *Abſcondat itaque ſe ſerpens quantum poteſt, totamq; prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per amfractus ſeriem ſuam euoluat, tortuoſe procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia.* Quæ ipſe aut in malum Principem, verbis ijs translatis dixit, aut patitur, eidem accommodari.

Lib aduerſus Valentinianos c.2. & 3.

Ibidem.

Concludam ſuadendo potius, hortandoque, vt ea vtraque laus miſceatur,& quod vtrique deeſt perfectionis, pulchrè id, grata viciſſitudine, per alterutram ſuppleatur. *Dictum ad Apoſtolos Domini eſt*, inquit S. Hilarius: *eſtote prudentes, vt ſerpentes,& ſimplices, vt columbæ. Per quod, diſſidentium à ſe animantium inesse nobis voluit naturam: ſed ita, vt ſerpentinam prudentiam, columbæ ſimplicitas temperaret,& ſimplicitatem columbæ, prudentia ſerpentis inſtrueret, fieretq; & ſimplex ſapientia,& ſapiens ſimplicitas.* Sic ipſe: nam cæteroqui prudentia, quæ medicata non eſt, ſalubri eo temperamento; vel quæ, vt Plato ait, ad iuſtitiam, ſeu ad rectè facta non conducit, calliditas eſt; eſt ſola,& ſine ſimplicitate columbæ, prudentia ſerpentis.

Lib. de Synod. contra Arian.

In Menexene.

METAPHORA IV.

Aperientur oculi veſtri. Gen. cap. 3. v. 5.

LITTERÆ, quæ occidit, nimirum obſequi voluerunt ij, qui vt refert Abulenſis, crediderunt; Parentes primos humani generis, cæcos initio fuiſſe,& profectò infelicius eis aperuiſſet, ad primã ſ(?) item oculos, nocentiſſimis perſuaſionibus ſuis, lingua ſerpentis quam catellis quibuſdam eos aperiat lingua officioſa Parentum. Quis verò putet, Adamum & Euam, (quos decimo tertio die, quàm orbis Terrarum fuerat conditus,& octiduo, quam creati ambo fuerant, item ſextâ feria, deliquiſſe contra Diuinum mandatum, Auctores graues opinantur) quis, inquam, putet, in Paradiſo eos cæcos tamdiu oberraſſe: quæſiuiſſe palpando tentandoque fructum vetitum, & cum dubia manu decerpſiſſe? Præterea *quomodo animalia*, inquit D. Auguſtinus, *& volatilia adducta ſunt ad Adam, vt videret, quid ea vocaret, ſi non videbat?* & paulo poſt, *quomodo vidit Mulier: quia bonum eſt lignum in eſcam,& quia placet oculis ad videndum; & decorum eſt cognoſcere: ſi eorum clauſi erant oculi?*

In c. 3. Gen.

Apud Salian tom. 1. Annal.

Lib. 1. de Gen ad litt. c. 31

Ibidem.

Neque

Neque obeſt, quod ſcriptura ſacra deinde ſubdat: *& aperti ſunt oculi amborum:* quia hoc factum eſt: *non ad videndum,* inquit S. Auguſtinus, *ſed ad diſcernendum, inter bonum quod amiſerant, & malum, in quod deciderant.* Sic de Agar Sarę ancillâ ſcribitur. *Aperuitq́; oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditq́; puero bibere.* Sic de Balaam habetur. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via, euaginato gladio.* Sic de puero Eliſei narratur. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſei:* Et de Diſcipulis Domini, euntibus in Emmaus, dum *oculi illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent,* & cum *aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum.* Hoc eſt, agnoſcere inceperunt, quem antea non agnouerant, & videre, quem anteà non viderant. *In fractione panis,* inquit S. Leo, *conueſcentium aperiuntur obtutus, multo felicius eorum oculis patefactis, quibus naturæ ſuæ manifeſtata eſt gloria: quàm illorum generis noſtri Principum, quibus præuaricationis ſuæ eſt ingeſta confuſio.*

Gẽ c. 3. v. 7. Lib. 14. de Ciuit. c. 17. Gen. c. 21. v. 19. Num. c. 22. v. 31. 4. Reg. c. 6. v. 17. Luc c. 24. v. 16. & v. 31. Serm. 1. de Aſcenſione Domini.

Vidit Eua itaque pomum; acceſſit ad interdictam arborem, & apprehendit fructum eius. Arbor erat fœlix, ſed vitio Euæ, fructum habuit mortis: infecitque vniuerſam humanam poſteritatem. Venit hoc loco in mentem, illius Matronæ Regiæ, quæ Kenethum Regem Scotorum, ita vlta eſſe dicitur, propter filium, & cognatum Regem ab eo interemptum. Statuam miro artificio parari iuſſit, in cuius manu pomum aureum, gemmis nitens, hærebat occulto nexu. Quiſquis enim tetigiſſet, ſtatim iaculis plurimis ad mortem ſauciabatur. Rex incautus, & ignarus doli, pomum carpſit, & confoſſus illico interijt. Similibus telis, & multo quidem damnoſius, quippe in animo Eua confoditur, carpens blandum illud, ſed exitiale pomum, & ſerpenti credens, improbo declamatori. De quo S. Bernardus, *auget curam,* inquit, *dum incitat gulam, acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem: offert tandem prohibitum, & aufert conceſſum, porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.* Deinde recenſet ſpicula, quæ vibrauit, & damna quæ intulit, dum ſic Euam alloquitur: *Hauris virus peritura, & perituros paritura: Perijt ſalus, non deſtitit partus. Naſcimur, morimur; ideoque naſcimur morituri, quia prius morimur naſcituri. Aperientur oculi veſtri.* In ſtatu innocentiæ ſenſus eorum implebat quædam ingenuitas, erant oculi eorum ſimplices, & totum corpus lucidum reddebant, neque corporis nuditatem neceſſitas verecundiæ premebat. Verum vbi contigit, per inobedientiã proſcindi velum pulcherrimum eiuſdem innocentiæ, ac detrahi gratiæ ornatum, & indumentum: *extitit in motu corporis,* inquit Eucherius, *quædam impudens nouitas, vnde eſſet impudens nuditas: & fecit attentos, reddiditque confuſos.* Senſerunt videlicet, ſerpere in membris ſuis legem peccati, & legi mentis repugnare, motuſque exſurgere, aduerſus rationem,

Cardan. de rerum variet. l. 12. c. 56. Tractatu de gradibus Humilit. circa medium. Ibidem.

fœdos viſu,& factu fœdos. Atque hinc ortum habuit; vt ex aſpectu mutuo eos perpuduerit nuditatis,non aliàs viſæ cum pudoris tormento:quando animam gratia,honeſtas membra decorabat. Ante quidem nudi erant, ſed *non ſine virtutum integumentis*,inquit Sanctus Ambroſius. Nudi erant,propter morum ſimplicitatem,& quod amictum fraudis natura neſciret. Et paulo poſt,*cognouerunt,non tunicam*,inquit,*ſibi,ſed virtutum deeſſe velamina*. Theodoretus hac ſimilitudine vtitur,& perinde actum cum Adam,atque Eua iudicat, ac fieri cum infantibus,& paruulis videmus. *Qui veſte nudati*,inquit, *erubeſcere naturâ non ſolent:paulatim autem creſcente corpore,cum mens poſtea propriam naturam exſerere cœperit,adulti non iam patienter ferunt ſe nudari:ſed erubeſcunt, & conteguntur. Quod ſi quis veſtem eis abſtulerit,genitalia manibus abſcondunt*. S. Auguſtinus, poſtquam dixerat,contraxiſſe eos morbidam vim,quæ ineſt etiam pecorum carni,& per quam in pecoribus fit appetitus concumbendi,vt ſuccedant naſcentia morientibus,tribuit indoli magnæ,ac generoſæ hominis, quod nuditatem ſuam erubuerit. *Etiam in ipſâ pœnâ*,inquit,*ſuæ generoſitatis vindex anima rationalis,beſtialem motum,in membris ſuæ carnis erubuit:eiq; incuſſit pudorem, non ſolum,quia hoc ibi ſentiebat,vbi nunquam antea tale aliquid ſenſerat:verùm etiam,quòd ille pudendus motus,de præcepti tranſgreſſione veniebat. Ibi enim ſenſit, quia prius gratiâ veſtiretur:quando in ſua nuditate nihil indecens patiebatur*.

Lib. de Parad.c.13. — In Geneſ. quæſt 28. — Lib.11.de Gen.ad litt c.32.

Ceterùm oſtendi originem noſtram,etiam in hæreditario eiuſmodi pudore,opinatur idem S.Auguſtinus. Poſtquam enim dixerat, Adamum & Euam feciſſe ſibi campeſtria;(nempe ſubligaria,quibus vti,mos erat iuuenes, cum in campo nudi exercebantur;dicti ab eis vulgo campeſtrati)hæc ſubdidit. *Omnes gentes,quoniam ab illâ ſtirpe procreatæ ſunt,vſque adeo tenent inſitum, pudenda velare;vt quidam Barbari,illas corporis partes,nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lauent. Per opacas quoque Indiæ ſolitudines, cum quidam nudi philoſophentur,vnde Gymnoſophiſtæ nominantur,adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent*. Si ita eſt tamen, reuerentiores publici fuere priſci homines:cum ſeculis labentibus, vt aduertit etiam Theodoretus,conſuetudo pudorem hunc aboleuerit;natantes enim ſæpe in amnibus, & qui balneas frequentant,nudi viſuntur. Sed & nationes aliquæ iam efferatæ inueniuntur,quæ velut oblitæ generis,etiam deprauati, nullam retinent eius generoſitatis notam, vti Braſilienſes, viri,fœminæque,qui domi foriſque,ab omni parte,nudi commeant,& verſantur.

Lib.14.de ciuit.c.17. — Ibidem. — In Gen q.28

Sic infeliciter prædixit ſerpens fore,vt oculi Adam & Euæ aperirentur, quo ita,vel ab origine mundi,lamentabili anticipatione dicere poſſent; *imperfectum meum viderunt oculi mei*. Subligacula conſuerunt ſibi ex frondibus fici:quæ quia pruritum generant,carnem in libidines prurientem congruo amictu veſtierunt. Succeſſerunt deinde inſignia mortis:cũ nimirum pellibus emor-

Alcuinus q. in 5. Gen.

emortuarum pecudum Deus circumuoluit eos. Interim ſerpens hæc impune non patrauit, orator nequam, & primus auctor Idololatriæ: dum dixit, eritis *ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*: nam ex eo plures Deos, in hominum errorem, videtur induxiſſe; vt aduertit Diuus Ambroſius: & ipſi ſerpenti, vel Dæmoni ſub ſimulacro eius, veroſimile eſt primum Idololatriæ cultum tributum fuiſſe. Ex quo pariter factum fuerit, vt Dacronia olim templa nominarentur. Alias pœnas, inflictas ſerpenti, non commemoro; quia percenſet eas Hiſtoria ſacra. Vnum inſinuo; in qua itidem deceptio prodit ſe originis noſtræ. Nam oculi ſerpentis, qui nimirum dixit, *aperientur oculi veſtri*, velut in pœnam mendacij, quotannis miſerè caligant, & neceſſe habet quoties mutat pelliculam ſuam, mutare etiam orbes oculorum, & detrahere eis quædam veluti ſpecilla: quæ videntur ſemper in exuuijs ſerpentum; vt ex hac etiam re, ſumi poſſit non inutilis recordatio deceptoris. *Lib. de Paradiſo c. 13.* *Strab. li. 14.* *Gen c. 3. v. 14. & 15.*

Denique vt explicem breuiter: quomodo adſcribi debeat infirmitati; quòd Adam & Eua viderint ſe tales, quales ſe eſſe, antea non viderant: & agnouerint ſe eſſe nudos: adferam exemplum in homine; de quo Ariſtoteles meminit, & qui, cum laboraret ophtalmia, quocumque incederet, intuebatur ſemper imaginem ſuam, adeò vt ea præcedere ipſum, aduersâ tamen facie, ſemper videretur. Sicut & Seneca, quoſdam ait, eo valetudinis genere ægros eſſe, vt vbique ſibimet videantur occurrere. Eius rei cauſa peti, ex Philoſophia debet, nec alia eſt, quam quod ægri Antipherontis Oretani oculi (ſic enim ille vocabatur) egererent, atque effunderent expirationem vaporemque; ex quo inficiebatur aër, & humeſcebat reddebaturque ex perſpicuo denſior, & opacior, adeò vt aër inſtar ſpeculi fieret, cum eſſet prius inſtar vitri; & ſpeciem hominis, fuſam ex vultu, minime tranſmitteret, ſed redderet eam, hominemque vbique ſuiipſius oculis repræſentaret. *Lib. 3 meteor. c. 4.*

Ceterùm aeris humefacti eſſe eam vim, vt inſtar ſpeculi, referat imagines rerum; Albertus Magnus hoc tradit. Ideò cuidam, equitanti manè ad crepidinem vnius amnis, alter eques viſus eſt præcedere, ſimili ſchemate, vultu, & geſtu, cum idem à ſeipſo interim, veluti ludente natura, exterrefieret. Quod corporis igitur ægrotatio in Antipheronte, hoc ægrotatio animi, & languor mentis in Adamo, atque Eua effecit: & infirmitas fuit, quod ita viderint ſe, & quod pudibundi agnouerint propriam nuditatem.

(?‹?)

METAPHORA V.

Cum audiſſet vocem Domini Dei, deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem. Gen. c. 3. v. 8.

ETIAM Deus ſcenam introiuit tragœdiæ luctuoſæ: quam actores tres, nempe ſerpens, Eua & Adam inchoauerât; intra Paradiſi amœnitates. Deambulat, loquitur, iubet eos ſolum vertere, & neſcire fœlicitatem; damnat ad laborem, & ærumnas plurimas: percellit ſententiâ mortis. Sed enim vt hæc tragica mala eis infligeret, non ex nube, & quaſi Deus per machinam, cum fulminibus, tonitruis, & procellis venit: adfuit imo tranquilliſſime, veluti captans amœnam auram in meridie. Non videtur exiſtimare Diuus Chryſoſtomus, perſonatum, formâque indutum aſpectabili, veniſſe Deum. *Deambulat Deus,* inquit, *pedes ipſi tribuemus? & de eo nihil ſublime cogitabimus? Non ambulat Deus, abſit: quomodo enim ambularet; qui vbique præſens eſt, & omnia implet?* Credit verò, per conſcientiam, quam indidit Deus accuſatricem perpetuam, hæc in animo contigiſſe: dum intus hæc, clarâ & accuſatoriâ voce, rationem delicti exigeret; poneret ob oculos offenſionis Diuinæ grauitatem; & de ea, pœnis propoſitis, expoſtularet. Verùm etſi in comperto habetur, Deum (qui vbique ſit, & repleat omnia) non ambulare propriè; nec, tanquam deſcenderet ex intermundijs Epicuri, mutare locum; tribui congrue tamen ambulatio poteſt formæ alicui corporeæ, & aſpectabili; ex qua Deus loquatur, & ambulet, & adeſſe coràm, videatur. Nec dubitant alij Patres; quin hac ſpecie Deus viſus fuerit, ambulare ad auram poſt meridiem in Paradiſo.

Hom. XVII. in c. 3. Gen.

Myſterium verò diuerſum agnoſcit, & diſtinguit in Deo pulcherrimè, S. Hieronymus; cum ſtare, vel ambulare, vel ſedere in ſcriptura ſacra Deus perhibetur. Non poſſum melius, quam verbis eius hoc explicare. Exponens illud, Deus ſtetit in Synagoga Deorum *Multa ſunt ſchemata,* inquit, *frequenter enim ſedemus, interdum ſtamus, interdum ambulamus. Ita & Deus deſcribitur pro varietate hominum, & ſtatus ipſius diuerſus inducitur. Si ſancti ſumus, & ſumus ſimiles Moyſi, dicitur ad nos, tu vero hic ſta mecum. Hoc enim dixit Deus ad Moyſem; ſtabat enim Moyſes ſupra petram: propterea & Dominus ſtabat illi. Si verò prius Sancti fuerimus, & poſtea peccatores; iam non nobis ſtat Deus, ſed ambulat: hoc eſt, mouetur de loco ſuo, qui nobis ante ſteterat. Poſtquam nos moti fuerimus, & ipſe nobiſcum pariter mouetur. Denique & Adam quamdiu in Paradiſo fuit, & mandatum ſeruauit, ſtabat ei Deus: poſtquam*

Comment. in pſ. 81.

Pſal. eodem

Exod. c. 17.

poſtquam verò tranſgreſſus eſt, audiuit vocem deambulantis in Paradiſo. Vis ſcire, quia ambulabat ei Deus? quid ei dixit? Adam vbi es? Qui ante ſtantem Deum non fugerat, poſtea ambulantem fugit. Diximus de ſtante, diximus de ambulante, dicamus de ſedente. Quandocumque ſedens inducitur Deus, dupliciter inducitur, aut quaſi Rex, aut quaſi Iudex: ſi quaſi Rex, videtur ſicut Iſaias: vidi Dominum, ſedentem ſuper thronum excelſum, Cap. 6. v. 1.
& eleuatum: ibi quaſi Rex regnans inducitur. Quando verò, quaſi Iudex inducitur, throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt, vt in Daniele ſcriptum eſt. Cap. 7. v. 9.
Sic ipſe.

Hanc eandem ambulationem Dei ſanctus Gregorius interpretatur in eo (Lib. 28. Mor. c. 2.) ſenſu; quaſi Deus ſe à corde hominis, propter culpam eius, motum demonſtrare voluerit; & deinde accommodat ingenioſè, ac piè ſingula, quæ in hoc textu diſtingui, & conſiderari poſſunt. *Increpauit Adam*, inquit, *deambulans: vt* (Ibidem.) *cæcis mentibus nequitiam ſuam, non ſolùm ſermonibus, ſed etiam rebus aperiret: quatenus peccator homo, & per verba, quod fecerat, audiret: & per auram, feruore charitatis à ſe expulſo, torporem ſuum animaduerteret, ac per declinationem ſolis aduerteret, quòd ad tenebras propinquaret.* Simile quid alibi habet, atque: primum hominem, inter (Lib. 33. Moral. c. 3.) arbores Paradiſi, ad auram poſt meridiem, abſconditum inueniri: quia meridianum charitatis calorem perdiderat: ex quo fiebat, vt ſub peccati vmbra, quaſi ſub frigore auræ, torperet. Hic innuere obiter poſſum, apud S. Hieronymum ſic haberi; *& audierunt vocem Domini deambulantis, in Paradiſo ad* (In quaeſt. Heb. ſuper Gen.) *veſperam*: tametſi fateatur; in pleriſque codicibus Latinis poni *poſt meridiem*. Idem eſt apud ſanctum Auguſtinum: qui & infert, *ea quippe hora tales iam conuenerat viſitare, qui defecerant à luce veritatis*. Et alibi, *& bene ad veſperam*, inquit: (Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 33.) *ideſt, cum ab eis Sol occideret, ideſt, auferretur ab eis lux illa interior veritatis.* Aquila interpretatur, *in vento diei*: Symmachus *per ſpiritum diei*. Pagninus, & Vatablus, (Lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 18.) *ad auram diei*, Chaldaica paraphraſis, *ad quietem diei*, nempe verſus veſperam: quo tempore Zephyri ſpirant, in regionibus maritimis: qualis erat Terra Chanaan, ad occaſum circumfuſa mari mediterraneo.

Sed eſt in Hebræo codice, *ad auram Dei*, quæ ſanè nihil eſt aliud; niſi miſericordia Dei, temperans grato quodam refrigerio iuſtitiam eius, cetero qui lucidam, & calidam, ſicut meridiem: vt ita citra delicti grauitatem, ſemper hominem Deus puniat, & hoc decuit vt in prima hominis pœna Deus profiteretur, atq; vt velutum miſericordia & veritas obuiarent ſibi: quemadmodũ occurrunt ſibi, aura quæ perflat, & is qui graditur aduerſus eandem aurã. Inſinuat id Abulenſis etiã, qui ait, Deũ ambulaſſe ad aurã; quaſi aliquem, (In Gen. c. 3.) qui cõtra ventum eat, & idcirco tardius moueatur. Infert verò, cũ tardè veniſſe ad puniendum peccatum Adæ: quia Dei *proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*. Et profectò, quantum à Iuſtitiã, Deus incitatur ad pœnam, tantundẽ à miſericordia retardatur, & inclinatur ad veniã: cũ veluti gemens, ſupplicia hominum ſumat, vt teſtatur ipſius miſericors ille gemitus, *heu conſolabor,*

Iſa c. 1. v. 24. *bor, ſuper hoſtibus meis.* Tamen Deus, etiam in exercitio Iuſtitiæ, ſicut & aliarum virtutum, percipit ſolatium & voluptatem. Sanctus Auguſtinus & ipſe *Lib 2. de Gen. contra Manich. c. 16.* ait, ante pœnam primorum parentum, in Paradiſo Deum ambulaſſe, & congrue moueri viſam eſſe præſentiam eius, quandoquidem ipſi ſtabiles, in eius præcepto non fuerant. Alibi, *Tropicum eſt*, inquit, *qui enim ad auram ambulat, re-* *Lib. de Gen. ad litt. c. 33* *frigerari à calore vult: ſic enim notatur, quod Deus per peccatum, calore iracundiæ incaluerat, & per pœnam refrigerari volebat.*

Dicerem ego potius, ante pœnam aliquantulum refrigerari voluit, in aura leni, ne iratus eam irrogaret. Socratem omnis miratur poſteritas, quod famulo ſe offendenti dixerit: *ego te percuterem, niſi iraſcerer.* Et Seneca ideo, *Lib. 3. de Ira* *Maximum*, inquit, *remedium iræ, dilatio eſt: vt primus eius feruor relangueſcat, & caligo, quæ premit mentem, aut reſidat, aut minus denſa ſit.* Sed ecce plus quam Socrates hic nempe Deus, qui propriè irâ non exagitatur. Vt nos, veluti è ſcena, ita vt erat perſonatus, inſtrueret: non ruit præceps ad vindictam, ſed ad auram ambulat, iramque ſuam tempori tradit, ac videtur ſibi obſtare, donec illa ſubſidat. Diſcant verò, præſertim Principes, non ſtatim ad pœnas Reorum ire præcipites, dent iracundiæ ſpatium, iuſtius punituri, ſi prius illa remiſerit.

Denique aderat dramatis huius cataſtrophe, & infelix exitus, & ſolum deeſſe videbatur vſitatum illud, plaudite. Suppleuit Deus, & plauſit, ſed iro- *Gen. c. 3. v. 22.* nicè, dum Ecce *Adam*, inquit, *quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Ceterùm ironia ſatis fiebat manifeſta, ex tunicis eorum pelliceis. *Quo enim maiori indui*, inquit S. *Lib. 2 de Gen contra Manich. c. 21.* Auguſtinus, *potuit ſignificari mors, quam ſentimus in corpore; quam pellibus, quæ mortuis pecoribus detrahi ſolent? Itaque dum contra præceptum, non imitatione legitima, ſed illicita ſuperbia Deus eſſe appetit homo, vſque ad belluarum mortalitatem deiectus eſt.* Vbi rectè diſtinguit, quomodo innocenter & ſanctè, vt ſicut Deus eſſet, appetere potuiſſet homo, nempe ſectando iuſtitiam, & imitando ſanctitatem eius.

Sed & diſcant homines, qui in coniugio ſunt: illecebris vxorum non in- *Gen. c. 3. v. 17.* duci ad ea, quæ præceptis Diuinis repugnant. Dixit enim Deus Adæ: *quia au-* *In paru. ſer. 27.* *diſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo. Iuſtum erat*, inquit S. Bernardus, *vt illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat, plus eum debere Conditori, quam vxori? Siquidem vxori erat aſtrictus tantum per amorem, Deo autem per timorem ſimul, & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum, erga Dei præceptum; quàm vnum tantum erga coniugis affectum.* Sic Tragœdiæ huius finem excepit luctus perpetuus, ideoq; omnes flentes orimur, omnes naſcimur filij iræ.

METAPHORA VI.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen illius, & ſemen tuum. Gen.c.3.v.15.

SICVT vſum humani ſermonis habuerat ſerpens, ita tribuuntur ei iam humani mores: nempe inimicitiæ, inſidiæ, & cœdes cum Eua, & cum eius poſteritate. Horror verò ille intelligitur; quem ſerpente viſo experimur: à quo vtique ſcimus, nos perimi poſſe. Ad hanc inimicitiam ſerpens veneno armatur, homo aduerſus eum ſaliua, ne ſit inermis, inſtruitur: eâ enim reſperſos ſerpentes cruciari, ait Ariſtoteles; & continuo exanimari, ſi eâdem tingantur fauces eorum. Saliuà verò
hominis ieiuni ſemper eos interſici, ſcribit Plinius. Pœna idoneâ punitur *Natur. Hiſt. l 7. c. 2*
ſerpens: & in faucibus tormentum patitur is, qui Euæ oblectando fauces, ipſam cum ſobole interemit: vinciturque recte abſtinentia & ieiunio is, qui perſuaſit lethalem intemperantiam. Suppetunt homini præterea plures alię nocendi artes, feriendo ſerpentem, & proterendo corpus eius. Mirum au-
tem eſt id, quod Rupertus Abbas affirmat, experimento etiam eſſe manife- *Lib. 3. com-*
ſtum. Videlicet, ſi nuda Mulieris planta preſſerit, quantumuis leuiter, caput *ment. in*
ſerpentis: fore, vt momento pereat, ſine agmine, ac ſine motu omni. Cum ta- *Gen.*
men etiamſi malleo quis protriuerit caput eius, ſpiras voluat, videaturque adhuc poſt obitum indignari; & iniuriæ acceptæ memoriam loco animæ re-
tinere. Contra S. Epiphanius, ſerpentem id conſueuiſſe ait, vt hominem ve- *In phyſiolog.*
ſtitum fugiat, nudum verò adoriatur. Si ita eſt, hoc inimicitiam ſerpentis in ſemen mulieris; illud mulieris de eo victoriam, exprimeret.

S. Hieronymus videtur hæc omnia referre ad Beatiſſimam Virginem, &
ad eius filium. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te, & mulierem: non certe pono, dicit,* *Epiſt. de viro perfecto*
ne ad Euam hoc pertinere videretur: verbum promiſſionis eſt, quod tranſmittitur in futu- *ad Amicũ*
ra. Ponam, inquit, *inimicitias inter te, & mulierem: illam vtique mulierem, quæ Sal-* *ægrotum.*
uatorem parturiat: non quæ generet fratricidam. Deinde adfert diſcrimen, inter Euam, & Mariam; ex quo poſſit pulchrè inſtrui mulier pudica, ne facile ac ci-
tò credat; niſi velit etiam facile, ac citò decipi. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter* *Ibidem.*
te, & mulierem, id eſt, ſuſcitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non ſolum te non audiat. ſi aut ſuauitatem pomorum pro adapertione monſtraueris oculorum, aut Dijs ſimilem eſſe promiſeris. Sed ipſo etiam Gabriele deferente Verbum, rationem de pro-

miſſionis exigat nouitate,dicendo quemadmodum erit iſtud,quoniam virum non cognoſco. Illam vtique,quam ad viſionem Angeli pudor aureus tremefecit:fidei tamen ardor,& conſtantia labi neſciam,ad inquirendam rationem, reddidit audacem. S. Ioannes Chryſoſtomus etiam,alijque SS. Patres,ac Interpretes Scripturæ ſacræ,cômuni ſuffragio,victoriam hanc,& non ſolam inimicitiam tribuunt Beatiſſimæ Virgini ſimul,& ſemini eius:ſolique eam detrahere illi conati ſunt Hæretici; vtpote genimina viperarum,& ſemen verum ſerpentis. Caluinus inter eos,*locus hic,*inquit,*nimis luculento documento eſt, quanta fuerit in Papatu Doctorum omnium inſcitia,& ſocordia,& incuria. Obrepſit fœmininum genus,loco maſculini,vel neutri. Qui Hebraicos,vel Græcos codices conſuleret,nemo inter eos fuit: vel qui ſaltem Latina exemplaria conferret. Communi igitur errore vitioſiſſima lectio recepta fuit. Deinde inuenta eſt ſacrilega expoſitio,dum ſanctæ Chriſti Matri adaptarunt,quod de ſemine dictum erat.* Sic ore virulento Caluinus: qui ſane, poſt acceptum ſtigma Nouioduni: nimium adhuc fauet generi maſculino.

Homil 17. in c.3. Gen

Cæterùm eſto,aliqui ex Patribus legerint,in maſculino genere, vt S.Cyprianus,*ipſe,*inquiens,*tuum obſeruabit caput,& tu obſeruabis calcaneum eius:* attamen Chryſoſtomus,Auguſtinus,Ambroſius,Gregorius,Bernardus,Eucherius,Rupertus,Beda,Rabanus,Strabus,Lyranus,omnes teſtes egregij, adferuntur à Card.Bellarmino(& hos Caluinus aut inſcitiæ, aut explicationis ſacrilegæ redarguat)qui omnes legunt,*ipſa conteret caput tuum.* Neque obeſt; verbum conteret in Hebræo eſſe maſculini generis, non euenit frequenter in ſcriptura ſacra, vt cum nominibus fœmininis iungantur pronomina, & verba generis maſculini: quemadmodum exemplis varijs oſtendit idem Card.Bellarminus.Quin imo,vt teſtis alienæ Religionis Caluinum confundat;etiam Ioſephus Hebræus,de muliere victoriam hanc pollicetur,*Præcepit,* inquiens,*vt mulier capiti eius plagas inferret.* Itaque velint, nolint, qui ſerpenti fauent; Ieſus Chriſtus ſemen Mariæ, in Cruce propriâ virtute calcauit, & contriuit caput Diaboli:& idem egit Maria, virtute Beati ſeminis ſui; quæ de eo ſemper triumphauit,& ne peccatum quidem originis, quod cæterorum eſt caput,in conceptu ſuo contraxit. Denique in Apocalypſi tam Mulier illa,amicta ſole,viſa eſt in cœlo:quàm filius mulieris, quem peperit maſculum,& qui recturus erat omnes gentes,raptus fuit ad Deum, & ad thronum eius:tam altè autem niti nequit ſerpens,vt eis noceat:quoniam, vti victus & proſtratus,graditur in terra ſupra pectus ſuum:nec ad cœlum, vel ad thronum Dei poteſt aſcendere.Torpent ſerpentes,neque admodum nocét, vbi calor non eſt: vbi verò eſt vmbra, ibi calor non eſt.In generatione Chriſti,calor non fuit ſolis & hominis,qui generant hominem: ſed virtus Altiſsimi obumbrauit Mariæ, & ideo quod natum eſt ex ea ſanctum, vocatum

Lib 2. Teſtimon ad uerſus Iudæos.

Tom 1. lib 2. de verbo Dei c.12.

Ibidem.

Lib.1.c.3.

Cap.12.

vocatum eſt filius Dei. Perinde virgo Deipara, vt eſſet tuta à ſerpente, & ab eius inſidijs, circumfuſum habuit frigus noctis calcaneo ſuo. Noctu ſerpentes torpeſcunt ex frigore, ac minimè nocent, proterique ſecurè poſſunt. Mulier hæc Cœleſtis Lunam habuit ſub pedibus, & noctis frigus, cui Luna præeſt. Quia in conceptu eius, gratia Diuinæ protectionis, obſtupefecit ſerpentem, inſidiantem calcaneo illius. Hinc morſum & tabem originis non habent veſtigia eius: ſed pulchri ſunt greſſus huius filiæ Principis in calceamentis, fuit extra inſidias calcaneus eius, & inimicum caput colubri nequiſsimi protriuit. *Apoc.c. 12.*

Nos etiam, ad ſocietatem aliquam victoriæ, de ſerpente, ac de ſemine eius inuitamur. Contriuit enim Eua caput eius, quando pœnitentiam egit: Conterere nos illud poſſumus perinde, ſi & ipſi pœnitentiam egerimus, vel ſi cordi habuerimus adhortationem illam Diui Ambroſij. *Non ergo ambulemus in terrenis, & ſerpens nobis nocere non poteſt. Sumamus Euangelicum calceamentum, quo venenum ſerpentis excluditur, morſus eius hebetatur: vt ſimus calceati pedes in Euangelium.* *De fuga ſæculi c.7.*

METAPHORA VII.

Adam cognouit vxorem ſuam. Gen. cap. 4. verſ. 1.

ADIVTORIVM fœminæ viro datum fuiſſe, ait S. Auguſtinus, non vt ſimul cum eo operaretur, & terram coleret, quia maſculus quiuis alius fuiſſet aptior. Neque vt ſolatio eſſet, aduerſus tædium ſolitudinis: quia magis congrue duo amici, quam vir & fœmina, colloqui, ac ſe ſolari mutuo potuiſſent. Sed vt filios ei pareret. Aliquanto poſt addit, iſtiuſmodi adiutorium, cauſa progenerandi ſobolem & poſteritatem, ei ſubtrahi non debuiſſe: quia etſi virginitas magnum eſt, & magni honoris meritum hoc tempore, cum ex omnibus gentibus ſuppetit copia coniugum, ad implendum numerum Sanctorum; tamen *vtriuſque ſexus infirmitas*, inquit, *propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium.* Sanctus Ioannes Chryſoſtomus vocat peccatorum, & ruinæ prima monimenta, quòd homines, facti mor- *Lib.9 de Gen.ad litt. c.5.* *Ibid.c.7.* *In cap.4. Gen hom. 20.*

tales,immortalem ſuam memoriam reddere;partim ex filijs,quos procrearunt;partim ex locis,quibus indidere filiorum nomina, ſtuduerint. Propagationis huius itaque primum ex coniugio initium,non poterat honeſtius à Spiritu ſancto explicari,quam per cognoſcendi vocabulum , & per actum mentis,puræ à labe omni ſordidæ corporeæ voluptatis.

Scio morem eſſe Scripturæ Diuinæ;vt nomine cognitionis,nonnunquam ipſum opus,& experientiam eius,appellet, quemadmodum aduertit S. Cyrillus Alexandrinus:& id prorſus homini conuenit , qui rationis particeps eſt,& conſiderat,quæ agit.*Hominis nomen, ἄνθρωπος,*inquit Plato *, eſt quaſi contemplans,quæ vidit:& ſignificat,quod cætera quidem animalia,ea quæ vident,non conſiderant:homo autem,& videt ſimul,& contemplatur.quod videt.* Hoc,inquam,non ignoro:ſed fatendum eſt tamen , id peculiari quadam ratione dici de viro & muliere,cũ inuicem ij coëunt.Sicuti contra virgo apud Hebræos עלמה almanominatur:nempe abſcondita , ſeu quemadmodum interpretatur S. Hieronymus,virgo nimiâ diligentiâ cuſtodita.Nec alio ſenſu,admiſsâ ſyderei Nuncij legatione,Deipara virgo reſpondit,*quomodo fiet iſtud , quoniam virum non cognoſco?*

Lib 3 contra Iulian. *In Cratylo.* *Quaeſt. Hebraic.in Geneſ.* *Luc c.1.v. 34.*

Iam vt exponam,cur prima hominis,ex viro & muliere , generatio circumſcribatur potius,quaſi operatio animæ cognoſcentis vxorem , quam corporis eâ perfruentis:vtar ſimilitudine præſtãtis alicuius Artificis,qui ſtatuam formaturus,lapidem eligit,eumque tradit cognitioni , & meditationi ſuæ,priuſquam operetur in illo. Conſiderat verò eum , vti aptum ad ſculpendum Herois alicuius imaginem,quã mente animoque concipit , forma pulcherrimam,& plenam in vultu,ac partibus alijs,Heroica quadam dignitate.Sic autem inſtructus,& præparatus animus,aggreditur opus,& formatur feliciſſimè Achilles aliquis,aut Alexander. Homo nihil efficit homine præſtantius,quippe ſimulacrum ſui,nec illud motu,ac ſenſu carens,ſed viuens,& ſpirans,& permanens,donec ſimile opus,manſurum à ſeculo ad ſeculum (cum in ſe homo ætatem diuturnam non ferat) poſuerit,ſeu generauerit.Si ergo opera quæuis alia materiata homo efficit prius , animo per ideam,& ea dein manu,per opificium ſuum repræſentat, quanto æquius eſt, vt vſum conſideret vxoris ſuæ , & vt matrimonij vtilitatem præferat voluptati,mediteturq; animo,quibuſnam dotibus , quaue indole præditos velit filios procreare?Merſæ æſtu libidinis belluæ coëunt , ſuamque progenerant ſobolem duce,non comite voluptate.Nihilominus ſi,dum hæ miſcentur inuicem,excitetur animæ vis,partus erit nobilior atque præſtantior.*Sicut Artifex,*inquit Abulenſis,*per formam exemplaris retenti in mente , imprimit ſimilitudinem formæ ipſi rei fabricatæ Sic in animâ ſenſitiuâ imaginem ſenſibilem,quàm concipit, in vltimo æſtu,& ardore libidinis,fœtui imprimit:quia tunc conceptio fit.* Sic oues Laban,

Comment. in Geneſ. c. 30.

ban admiſſis arietibus, dum illæ ad riuos biberent, & ſpectarent virgas diſcolores in canalibus diſpoſitas, greges maculoſos pepererunt: ita enim factum eſt, *vt ex duplici deſiderio*, quemadmodum loquitur S. Hieronymus, *dum auide bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum, & hircorum deſuper aſcendentium, in aquarum ſpeculo contemplabantur: ex virgis enim in canalibus poſitis, varius erat etiam imaginum color.* Id verò eueniſſe abſque miraculo vllo idem S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Iſidorus, Abulenſis, Valeſius, & Interpretes plurimi docent. Sic enim abſque miraculo oues ex Gerone fonte bibentes nigræ fiunt, ex fonte Melan albæ, ex vtroque autem variæ. Imo S. Hieronymus id mirum eſſe non debere, putat; quia greges equarum in Hiſpania diſcolori, ait, partu eniti, propter ſpecies imaginum varias; quæ ſubjiciuntur oculis earum, dum concipiunt. Refert etiam; Quintilianum eo argumento vſum eſſe, vt defenderet Matronam honeſtam, quæ Æthiopem pepererat: & Hippocratem medicum (qui matronam alteram liberauit à ſuſpicione adulterij) monuiſſe, vt quærerent, eſſet ne talis pictura in cubiculo, qualis erat puer, vtique formoſulus, & Parenti, generique diſſimilis, eâque reperta ſuſpicio ceſſauit. Eadem repetit S. Auguſtinus, atque id cauſæ eſt etiam, cur Medici ſuaſerint, in thalamis coniugum pulchras formas, ingenuos & liberales vultus, pingendos eſſe; vt quoniam anima vim omnem ſuam exſerit, eo momento, quo eſt voluptas maior, in promptu ſint ideæ pulcherrimæ, quas Pater generans, & Mater concipiens poſſint ſoboli apprimere.

In Geneſ. ecd 30.
Quæſt. Heb. in Geneſ.
Plin. natur. Hiſt. l. 31. c. 2.
Ibidem.
Quæſt. ſuper Gen. lib. 1. q. 93.

S. Iſidorus, poſtquam narrauerat, Iudæos aſſerere, Anaam Abnepotem Eſau, equarum greges aſinis in deſerto miſcuiſſe, & ad aſinas onagros admiſiſſe, vt ex illis muli, ex iſtis aſini velociſſimi naſcerentur: cum exemplum etiam propoſuiſſet gregis maculoſi, quem procurauit Iacob, *columbarum dilectores*, inquit, *depictas ponunt pulcherrimas columbas, eiſdem locis, quibus illæ verſantur: quò rapiente viſu, ſimiles generent.* Et poſtea ſubdit: *inde eſt quod quidam grauidas mulieres iubent, nullos intueri turpiſſimos animalium vultus, vt cynocephalos, & ſimias: ne viſibus occurrentes, ſimiles fœtus pariant. Hanc enim fœminarum dicunt eſſe naturam: vt quales proſpexerint, ſiue mente conceperint, in extremo voluptatis æſtu, dum concipiunt: talem ſobolem procreent. Etenim animal in vſu venereo formas extrinſecùs, intùs tranſmittit, eorumq; ſatiata typis, rapit ſpecies eorum, in propriam qualitatem.* Sic ipſe; atque eò referendum eſt, quod inter fabulas legitur, de alba puellula, quàm nigra mater, Æthiopiæ Regina, enixa fuerit, ex aſpectu candidæ virginis, dum Heros in pictura eam à Dracone liberaret. Hiſtoriæ tamen meretur fidem; in oppido Italiæ, vt quidam eſt auctor, puerum procreatum villoſa cute, ac feræ inſtar, hirſutum: nec aliam ob cauſam, niſi quia mater, dum cum conci-

Cap. 1. lib. 12. orig.
Heliodorus, Torquatus Taſſus.
Marcus Damaſcenus, in oppido prope Piſas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

tales,immortalem ſuam memoriam reddere;partim ex filijs,quos procrearunt;partim ex locis,quibus indidere filiorum nomina, ſtuduerint. Propagationis huius itaque primum ex coniugio initium,non poterat honeſtius à Spiritu ſancto explicari,quam per cognoſcendi vocabulum, & per actum mentis,puræ à labe omni ſordidæ corporeæ voluptatis.

Scio morem eſſe Scripturæ Diuinæ;vt nomine cognitionis,nonnunquam ipſum opus,& experientiam eius,appellet, quemadmodum aduertit S.Cy-
Lib.3 contra Iulian. rillus Alexandrinus:& id prorſus homini conuenit, qui rationis particeps
In Cratylo. eſt,& conſiderat,quæ agit.*Hominis nomen,* ἄνθρωπος,inquit Plato, *eſt quaſi contemplans,quæ vidit:& ſignificat,quod cætera quidem animalia,ea quæ vident,non conſiderant:homo autem,& videt ſimul,& contemplatur quod videt.* Hoc,inquam,non ignoro:ſed fatendum eſt tamen, id peculiari quadam ratione dici de viro & muliere,cũ inuicem ij coëunt.Sicuti contra virgo apud Hebræos עלמה almæ nominatur:nempe abſcondita, ſeu quemadmodum interpretatur S.
Quæſt. Hebraic.in Geneſ. Hieronymus,virgo nimiâ diligentiâ cuſtodita.Nec alio ſenſu,admiſſâ ſyderei Nuncij legatione,Deipara virgo reſpondit,*quomodo fiet iſtud, quoniam vi-*
Luc c.1.v.34. *rum non cognoſco?*

Iam vt exponam,cur prima hominis,ex viro & muliere, generatio circumſcribatur potius,quaſi operatio animæ cognoſcentis vxorem, quam corporis eâ perfruentis:vtar ſimilitudine præſtãtis alicuius Artificis,qui ſtatuam formaturus,lapidem eligit,eumque tradit cognitioni, & meditationi ſuæ,priuſquam operetur in illo. Conſiderat verò eum, vti aptum ad ſculpendam Herois alicuius imaginem,quã mente animoque concipit, forma pulcherrimam,& plenam in vultu,ac partibus alijs,Heroica quadam dignitate.Sic autem inſtructus,& præparatus animus,aggreditur opus,& formatur feliciſſimè Achilles aliquis,aut Alexander. Homo nihil efficit homine præſtantius,quippe ſimulacrum ſui,nec illud motu,ac ſenſu carens,ſed viuens,& ſpirans,& permanens,donec ſimile opus,manſurum à ſeculo ad ſeculum(cum in ſe homo ætatem diuturnam non ferat) poſuerit,ſeu generauerit.Si ergo opera quæuis alia materiata homo efficit prius, animo per ideam,& ea dein manu,per opificium ſuum repræſentat, quanto æquius eſt, vt vſum conſideret vxoris ſuæ, & vt matrimonij vtilitatem præferat voluptati,mediteturq; animo,quibuſnam dotibus, quaue indole præditos velit filios procreare?Merſæ æſtu libidinis belluæ coëunt, ſuamque progenerant ſobolem duce,non comite voluptate.Nihilominus ſi,dum hæ miſcentur inuicem,excitetur animæ vis,partus erit nobilior atque præſtantior.*Sicut Arti-*
Comment. in Geneſ. c.30. *fex,*inquit Abulenſis,*per formam exemplaris retenti in mente, imprimit ſimilitudinem formæ ipſi rei fabricatæ.Sic in animâ ſenſitiuâ imaginem ſenſibilem,quàm concipit, in vltimo æſtu,& ardore libidinis,fœtui imprimit:quia tunc conceptio fit.* Sic oues Laban,

ban admiſſis arietibus, dum illæ ad riuos biberent, & ſpectarent virgas di- *In Geneſ. cap. 30.*
ſcolores in canalibus diſpoſitas, greges maculoſos pepererunt: ita enim fa- *Quæſt. Heb.*
ctum eſt, *vt ex duplici deſiderio*, quemadmodum loquitur S. Hieronymus, *dum* *in Geneſ.*
auidè bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum,
& hircorum deſuper aſcendentium, in aquarum ſpeculo contemplabantur: ex virgis enim
in canalibus poſitis, varius erat etiam imaginum color. Id verò eueniſſe abſque mi-
raculo vllo idem S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Iſidorus, Abulenſis, Vale-
ſius, & Interpretes plurimi docent. Sic enim abſque miraculo oues ex Gero- *Plin. natur.*
ne fonte bibentes nigræ fiunt, ex fonte Melan albæ, ex vtroque autem variæ. *Hiſt. l. 31.*
Imo S. Hieronymus id mirum eſſe non debere, putat; quia greges equarum *c. 2.* *Ibidem.*
in Hiſpania diſcolori, ait, partu eniti, propter ſpecies imaginum varias; quæ
ſubijciuntur oculis earum, dum concipiunt. Refert etiam; Quintilianum eo
argumento vſum eſſe, vt defenderet Matronam honeſtam, quæ Æthiopem
pepererat: & Hippocratem medicum (qui matronam alteram liberauit à
ſuſpicione adulterij) monuiſſe, vt quærerent, eſſet ne talis pictura in cubicu-
lo, qualis erat puer, vtique formoſulus, & Parenti, generique diſſimilis, eâ-
que reperta ſuſpicio ceſſauit. Eadem repetit S. Auguſtinus, atque id cauſæ *Quæſt. ſuper*
eſt etiam, cur Medici ſuaſerint, in thalamis coniugum pulchras formas, in- *Gen. lib. 1.*
genuos & liberales vultus, pingendos eſſe; vt quoniam anima vim omnem *q. 93.*
ſuam exſerit, eo momento, quo eſt voluptas maior, in promptu ſint ideæ
pulcherrimæ, quas Pater generans, & Mater concipiens poſſint ſoboli ap-
primere.

S. Iſidorus, poſtquam narrauerat, Iudæos aſſerere, Anaam Abnepotem
Eſau, equarum greges aſinis in deſerto miſcuiſſe, & ad aſinas onagros admi- *Cap. 1. lib.*
ſiſſe, vt ex illis muli, ex iſtis aſini velociſſimi naſcerentur: cum exemplum et- *12. orig.*
iam propoſuiſſet gregis maculoſi, quem procurauit Iacob, *columbarum dile-*
ctores, inquit, *depictas ponunt pulcherrimas columbas, eiſdem locis, quibus illæ verſantur:*
quò rapiente viſu, ſimiles generent. Et poſtea ſubdit: *inde eſt quod quidam grauidas*
mulieres iubent, nullos intueri turpiſſimos animalium vultus, vt cynocephalos, & ſimias:
ne viſibus occurrentes, ſimiles fœtus pariant. Hanc enim fœminarum dicunt eſſe natu-
ram: vt quales proſpexerint, ſiue mente conceperint, in extremo voluptatis æſtu, dum con-
cipiunt: talem ſobolem procreent. Etenim animal in vſu venereo, formas extrinſecùs, intùs
tranſmittit, eorumque ſatiata typis, rapit ſpecies eorum, in propriam qualitatem. Sic ipſe; *Heliodorus,*
atque eò referendum eſt, quod inter fabulas legitur, de alba puellula, quàm *Torquatus*
nigra mater, Æthiopiæ Regina, enixa fuerit, ex aſpectu candidæ virginis, *Taſſus.*
dum Heros in pictura eam à Dracone liberaret. Hiſtoriæ tamen meretur *Marcus Da-*
fidem; in oppido Italiæ, vt quidam eſt auctor, puerum procreatum villoſa *maſcenus, in*
cute, ac feræ inſtar, hirſutum: nec aliam ob cauſam, niſi quia mater, dum eum *oppido prope* *Piſas.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

conciperet, iuxta lectulum iconem ſuſpenſam habuerat Diui Ioannis Baptiſtæ,in Eremo agentis,cum amiculo pellium villoſarum.

Adam cognouit vxorem ſuam. Crediderim itaque ex Dei pronubi magiſterio,eum fuiſſe inſtructum;vt conaretur corporis operi miſcere animæ virtutem;quò ita ſuſciperet proles,in quibus feliciter ſtirps humana propagaretur.Et verò,quid poſſit,tum ipſe Pater generans,cum eâ cogitatione virtutis,tum ipſa mater,cum eius afflatu benigno concipiens; vel ſecus quantum ambo noceant,in animi deprauatione aliqua conſtituti,Philoſophus ille iudicauit;qui turbati ingenij adoleſcentem quendam,his verbis eſt allocutus. *Pater tuus proſeminauit te ebrius.*Quaſi inſinuaret; oportuiſſe, vt eſſet deiectus de poteſtate mentis vir,ex quo adeo impos animi filius exierat.

6.De legib. Plato præterea coniugibus maxime commendat temperatum vini vſum. *Sponſus & ſponſa,inquit,tunc mentis compotes eſſe debent, quando non paruam ineunt vitæ mutationem:præſertim,vt ex quam maximè moderatis ſemper generatio fiat.* *Ferme enim incertum eſt quæ nox aut dies cum Deo illam peragat.* Et ſubdit paulò pòſt: *Ebrius, tanquam mente captus,ad ſerendum eſt inutilis:*nempe veriſimile eſt, eum fœtus inæquales, inſtabiles, obliquos, tàm membris,quàm moribus procreare.

Ibidem.

Cæterùm leges omnes,qua laicæ,qua ſacræ,ab ordinario iure filij,excludunt eos;quotquot ex ijs parentibus naſcuntur,qui ſine matrimonio, & ſola voluptate inducti,liberos progenerant.Quanquam haud ſemper eſt metuendum,ne intemperantiam ij pariter deſpument:ſi quid enim à Parentibus ineſt eis vitij;extergitur ſæpe id virtute atque ingenua educatione. Sic Sancta Brigida virgo,Duptaci,viri Nobilis in Scotia,& eius ancillæ filia, illuſtris fuit ſanctitate:& fortaſſe reperietur aliquis alius in albo Sanctorum, qui ortus fuerit abſque Dei,& Eccleſiæ benedictione; tametſi plures ego minimè reperiam.Recenſeam facilius eos,qui cum aliquâ cogitatione virtutis,ſobolem felicem progenerauerunt. Sampſonis Genetrici dixit Angelus, *Sterilis es,& abſque liberis,ſed concipies,& paries filium:caue ergo;ne bibas vinum, ac ſiceram,nec immundum quidquam comedas:quia concipies & paries filium,cuius non tanget caput nouacula.Erit enim Nazaræus Dei,ab infantiâ ſuâ,& ex Matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſtinorum.* En Mater ideam futuræ prolis præcipit mente,& ſimilem deinde filium concipit ventre.

Iudic. c.13. v.3.

Anna etiam,Elcanæ vxor,cum filium à Deo flagitaret, *dabo eum,* inquit, *Domino,omnibus diebus vitæ eius,& nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Cum ijs cogitationibus genitus eſt Samuel,tantum nomen, & vir, quo poſt Moyſem maiorem non habuit Reſpublica Hebræorum. Ad hæc ſanctiſſimos coniuges Ioachimum, & Annam, diu ſteriles, impetraſſe ſimili voto, virginem Deiparam, & dedicaſſe eam Templo, ſcribit inter alios

Lib.1.Reg. c.1.v.11.

De fide orthodoxa lib. 4.c.15.

Beatus

Beatus Damaſcenus. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, hæc ſupergreſſa eſt vniuerſas.

Conſiderandum etiam eſt, quid Angelus Raphael, conſiliarius caſtiſſimus, quippe extra aleam nubentium, dixerit Iuueni Tobiæ: quando eum præparauit ad nuptias Saræ, quæ priuſquam deſineret virgo eſſe, ſepties vidua fuerat. *Audi me, inquit, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus præualere poteſt dæmonium. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Si non debet excludi Deus à mente, apparet, in coniugio mentem etiam operari debere: etſi vacare libidini non oportet, *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, vtantur igitur boni coniuges eodem intellectu, in matrimonij coniunctione. Dein Angelus, poſtquam præceperat Tobiæ, vt ſeruaret continentiam trium dierum; *tranſacta, inquit, tertiâ nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.* Quàm fuerit verò eius ſancta poſteritas, (quia ita mente, animoque antea formauit proles, quam maritali coitione) in fine hiſtoriæ Tobiæ declaratur illis verbis. *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius, in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit: ita vt accepti eſſent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Tanti refert, ſi mens, & animus in coniugio ſimul operetur, & ſi præclara idea in intellectu præceſſerit.

Tob. c. 6. v. 16. 17.

Ibid. v. 22.

Cap. & verſu vltimo.

Vidimus hoc etiam frequenter, in conceptu & partu aliquot piorum, quos iam in Eccleſia veneramur. Nam S. Nicolaus Tolentinas, genitus ex voto Parentum, & ex imploratione Diui Nicolai Epiſcopi Myrenſis, ab exemplari ſuo non receſſit: ſed ſicut ille lac in infantia, ſemel tantum, IV. & VI. feria, ſumpſerat, ita ipſe ieiunii eam legem ſeptennis, & in omni vita retinuit. Simillimi voti filius etiam Franciſcus de Paula, animi demiſsione, paupertate, & charitate, imitatus eſt egregiè ſanctum Franciſcum Seraphicum, perfectionemque habuit exemplaris, & archetypi ſui. Concludam, non poſſe in agendo falli eum, qui hoc pacto hominem efficit. Quod ſi ſpe ſua aliquando fraudetur, id non vitio eius adſcribi, ſed operis potius, cui ſponte vitium ineſt: ſicut nec ſtatuarij vitium eſt, ſi omnibus numeris abſolutum opus, nempe ex ligno mercurius, aut rimas agat, aut cariem ſentiat, & marceſcat. Deus Adam formauit ex limo terræ, & ex coſta huius Euam ædificauit. Artificis culpa non eſt, ſi mox ſemet opera eadem deprauarunt, & immortalia quæ erant, tineâ temporis, ac mortis carie contabefieri miſerè cœperunt. Sic Adam potuit, quando cognouit Euam vxorem ſuam, ex mente & cum virtute operans, optimam indolem Cain filio imprimere, quam is inuidiæ atque iræ tabe, ſponte ſua poſtmodum infecit.

Cain appellauit à Kana; quod Hebraicè ſignificat poſſidere; ad-
diditque *poſſedi hominem per Deum*, vt ex eo detur intelligi: filios eſſe quidem
in poteſtate Parentum: ſed manere nihilominus in poteſtate Dei, à quo vtri- *In Phædo.*
que, tanquam à Domino feudi ſupremo, eſt eorum accepta poſſeſsio. *Id mi-*
hi rectè dici videtur, inquit Plato, *Deos quidem curam habere noſtri: nos verò homines*
vnam quandam, ex poſſeſsionibus eſſe Deorum. Alibi etiam. *Nos Deorum*, inquit, *poſ-* *X. de legi-*
ſeſsio ſumus. Intelligant itaque Parentes, Dei dona eſſe liberos eorum: nec da- *bus.*
ta quidem in omnem vſum, ſed commodata, eâ nimirum lege, vt etiam per
calcatum pergere Patrem, & per calcatam pergere Matrem, ad Deum ſu-
premum Dominum poſsint, ſi velint. Eſt enim ei ius, & facultas illos repe-
tendi; quod propè agnouit Sanctus Iob: cum paſſus acerbiſsimam filiorum
iacturam, dixit. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt:* *Cap. 1. v. 21.*
ſit nomen Domini benedictum.

Præterea hæc poſſeſsio filiorum, à Parentibus exigit curam eandem; quę
eſt naui & induſtrij Agricolæ, circa proprium fundum, aut prædium. Hic
nunquam credit ſatis eſſe; ſi ſeuerit in eo bonum ſemen, ſed colit illud aſsi-
duè, repurgat, & ſteriles herbas, internatas tritico, reuellit; nec ceſſat vnquã,
donec ſata maturuerint. *Hæc mihi mei filij*, vt eſt apud Platonem (*ſiue planta-* *In Theage.*
tio, ſiue generatio appellanda ſit) omnium facillima extitit: educatio autem diffici-
lis, & plena timoris ſemper. Deinde ait, nullum conſilium diuinius dari, aut
accipi poſſe, quam de inſtitutione ſui, atque ſuorum: nec maiore diligentiâ
opus eſſe, in vlla re, ſi quis mentem modò habet, quam vt filium optimum
reddat. Aliqui Parentes, poſtquam filios procrearunt, habent illos, quaſi a-
gros alienos, quos excolere ſua ipſorum non interſit. Succreſcunt intereà
mali mores: fruges virtutis nulla ſperatur: ſterilitas & inutilis glarea occupat
omnia. Credere ij deberent; hæc etiam prædia impinguari oculis Domini:
ideo quia filij ſunt poſſeſsio, & veluti prædium eorum, inſpiciant frequen-
ter, explorent mores, & dum habent adhuc teneram animam, in omnem
virtutem eos reflectant.

Præclarè S. Iob excoluit, & cuſtodiuit poſſeſsionem hanc filiorum ſuorũ.
Ibant filij eius, inquit Hiſtoria ſacra, *& faciebant conuiuium per domos. vnuſquiſ-* *Cap 1. v. 4.*
que in die ſuo: & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum
eis: cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos,
conſurgensq́; diluculo, offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim, ne fortè peccauerint
filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Pudeat è contra, Parentes illos, qui
minus propriæ naturæ pignora, quam propriæ hæreditatis prædia curant: &
dum ſilueſcunt in filijs mores, videntur ſolliciti dumtaxat, circa culturam a-
grorum, ac circa rei temporariæ adminiſtrationem. Quæ verò amentia eſt,
omni ope ac ſtudio hæreditatem augere, atque ipſos hæredes interim negli-

In Protagora. gere; qui malè geniti, & malè educati, mox eam diſſipabunt? *Ita afficior*, inquit Plato, *vt exiſtimem inſaniam eſſe, filiorum gratiâ per cætera occupatum eſſe, vt circa coniugium, nempe qui ex matre generoſiſſima naſcantur: deinde vt amplam eis patrimonium relinqueretur; illorum autem educationem negligere.* Videlicet interim negligunt poſſeſſionem, quæ eſt omnium pretioſiſſima, vt alibi pulchertime habet idem Plato, *An exigua quadam de re*, inquiens, *vos periclitari cenſetis potius,* *In Lachete.* *quam de veſtrarum poſſeſſionum omnium pretioſiſſimâ? filijs namque, bene, maleuè inſtitutis, vniuerſa domus paterna, eodem modo gubernabitur, quo & filij affecti ſunt.*

Sic ergo parentes afficiantur erga filios ſuos, vt excolant aſſiduè mores eorum, & vt poſſideant eos per Deum, atque hunc ab eis, tanquam verum Dominum & ſupremum agnoſci, & coli veneratione ſumma procurent. Ius hoc domeſticum & familiare ſapienter adminiſtrent, & domi ſuæ Reges fœlices Regni manſuetiſſimi erunt.

METAPHORA IX.

Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Geneſ. cap. 4. v. 6.

STATIM à partu, poſt nouenos quoſque menſes Eua pepererat alios gemellos promiſcui ſexus: & ideo poſt Cain, Abel, Octobri menſe ineunte, ſecundi anni ab orbe condito naſci potuerat. Ille agricolam, hic paſtorem agebat, & circa annum mundi quinquageſimum, qui fuerit in eis terminus Iuuentutis, de nuptijs ambo facile cogitarint. Cum verò ſit veriſimile, eos Deo ſacrificaſſe aliquoties, ſiue inſtructos à ratione ipſa duce, ſiue ab Adamo genitore: exiſtimant Auctores graues ſacrificium aliquod celebrius fuiſſe illud: ex quo Cain iratus eſt, aduerſus Abel, & ipſum interfecit. Aliqui vero id contigiſſe credunt, euoluto priori mundi ſeculo, & cum offerretur ab eis ſacrificium opimius; Deũ igne cœlitus miſſo incendiſſe victimam Abelis, alteram autem reſpuiſſe. Ego tamen, ne ijs aſſentiar, inducor, quia abſque liberis, & ſucceſſione, imo etiam virgo Abel deceſſit: itaque ſi hoc reijciatur, in annum mundi centeſimum, debuiſſet vel ſemper cœlebs, vel ſterilis, annos quinquaginta perſeueraſſe, quod vtrumque parum congrueret propagationi generis humani. Credibile eſt proinde, vel in primo Iubilæo, vel dum inirent ambo nuptias (quas Abel non expleuerit) eos ma-

iore apparatu ſacrificaſſe; vt propitium coniugio, & proli Deum habe-rent.

Homines primis ſacrificijs, neque thus adoleuiſſe, neque obtuliſſe victimas, ſed folia, veluti primam pubeſcentis naturæ lanuginem, opinatur Porphyrius, quam veteres, ait ipſe, manibus decerptam adurebant, & Deum eſſe, qui omnia produceret, profitebantur; ſed ſiue fruges, ramoſue arbuſcularum; ſiue agnos, & cicures animantes obtulerint, immolauerintque, quærit S. Hieronymus, ex quonam ſigno Cain conijcere potuerit, ſuſcipi à Deo [*In quæſt. Hebraic.*] fratris munera, & ſua repudiari: adfert verò interpretationem, quam habet Theodotio his verbis, *Et inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius: ſuper Cain verò, & ſuper ſacrificium eius non inflammauit.* Sic igitur contigiſſe S. Hieronymus exiſtimat, & *ignem*, inquit, *ad ſacrificium deuorandum, ſolitum venire de Cœlo, & in dedicatione templi ſub Salomone legimus: & quando Elias, in monte Carmelo, conſtruxit altare.* [*2. Par. 7. v. 1. 3. Reg. 18. v. 38.*] Cæterum ſi Deus inflammauit Abel igne charitatis; Diabolus inflammauit Cain igne iracundiæ: ille ſurſum ad Cœlum erigit, quia cœleſtis ignis eſt: hic ignis Erebi eſt, & inclinat deorſum; ideo quæ dicitur in ſacro textu, *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius:* oculos humi defixos habuit, quemadmodum ij conſueuerunt, qui triſtia agitant animo, & facinus meditantur. *Ira in odium verſa,* inquit Rupertus Abbas, *trabali pondere declinauit in terram vultum, & oculos eius. Terram namque aſpiciunt, qui crudelia meditantur: vnde eſt illud in pſalmo: proijcientes me, nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* [*Lib. 4 commentar. in Gen. c. 3.*] [*Pſ. 16. v. 11.*]

Attamen ponere humi vultus, interdum poteſt argumentum eſſe conſtantiæ. Sic de Attilio Regulo, quando in Africam, exul egregius, remeauit, Horatius loquitur;

Fertur pudica coniugis oſculum,
Paruosq; natos, vt capitis minor,
A ſe remouiſſe: & virilem
Toruus humi poſuiſſe vultum.

Sed cadere vultus Cain, in irâ eius, adhuc dicitur maiori cum energiâ, quia in iræ furore homo, veluti fera eſt, & ideo in eo vultus hominis cadit, ac manet vultus feræ. Non ſecus ac ſi leoni larua hominis caderet, quam ei quis appoſuerit; os autem eius crudele, & rictus immanes emicarent. Seneca, in ea ipſa vltione publicâ, & ſanctâ, quâ in Reos animaduertitur, putat vultum iræ præſeferri a Iudice non debere, quia ille vultus hominem non decet. *Procedam,* inquit, *in tribunal, non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis: age iubebo, non iratus, ſed ſeuerus.* [*Lib. 1 de Ira*] Honeſtas nimirum hæc eſt: at facies hominis irati, qui agitur præceps in priuatas vltiones, teriras eſt. *Quibuſdam iratis,* inquit [*Lib. 2. de Ira*] Sextius apud eundem Senecam, *profuit aſpexiſſe ſpeculum: perturbauit*

illos tanta mutatio. Videlicet quia concidit vultus eorum proprius, & ſucceſsit vultus alienus; ſucceſsit facies animi fœda, in illâ iracundiæ perturbatione. Speculũ, in quo perſpici hæc animi ob iram deprauatio, vtiliter admodum, poſſet, eſto lenitas illius, qui *diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Poteſt ſpectari commodè: pendet ex Crucis edito loco; licet intueri miraculum illud heroicæ lenitatis, qua filius Dei, ſufferens indigniſsimam, acerbiſſimamque necem, *Pater*, inquit, *dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt.* (Luc. c. 23. v. 34.)

(Lib. de patientia c. 5.) *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Iram eſſe filiũ impatientiæ, ex ſemine Diaboli conceptum, & malitiæ fœcunditate procreatum, ait Tertul. *Fruſtra*, inquit, *iſtud impatientiæ adſcripſerim, ſi Cain ille primus homicida, & primus fratricida oblationes ſuas, à Domino recuſatas, æquanimiter, nec impatienter tulit, ſi iratus fratri ſuo non eſt, ſi neminem denique interemit. Cum ergo nec occidere potuerit niſi iratus; nec iraſci, niſi impatiens: demonſtrat, quod per iram geſſit, ad eam referendum, à qua ira ſuggeſta eſt, per hæc impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula.* Potuiſſet verò infelix Cain omnem impatientiæ, vel iræ impetum declinare prorſus, ſi à virtute bene præparatum animum, vna cum muneribus ſuis, obtuliſſet Deo. (In Alcibiade 2.) Sapientiſsime enim Plato, *non eiuſmodi eſt*, inquit, *Dei natura, vt ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator. Etenim graue eſſet, ſi Deus ad donaria, & ſacrificia reſpiceret potius, quàm ad animum, vtrum iuſtus ſanctuſque ſit.* Hæc Philoſophi Maximi aurea vox, anteceſsit feliciter ea, quæ, in eandem ſententiam, Chriſtiani ſcriptores protulerunt. Sic Tertullianus; *Si ad oblationes Abel*, inquit, *aduertit, & holocauſta Noë odoratus eſt: quæ iucunditas, ſiue viſcerum veruecinorum, ſiue nidoris ardentium victimarum? ſed animus ſimplex, & Deum metuens, offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & ſuauis olentiæ gratiâ apud Deum deputabatur.* (Lib. 2. aduerſus Marcionem.) Hoc igitur ſit in præcipuis homini; quando vult Numini offerre munera ſua; ſanctus animo ſit, quoniam Deus ſanctus eſt, ſic munera dabit, & viciſsim accipiet. (In Euthyphrone.) *Sacrificare*, inquit Plato, *eſt munera Dijs offerre: vouere autem, à Dijs petere*: ac poſtea infert pulcherrimè: *Mercatura igitur, inter Deos & homines, mutua quædam ſanctitas erit.* Contractus non fiet; nec accipiet Deus, qui ſanctus eſt, quidquam ab homine, aut ei quidquam rependet, niſi etiam homo ſanctus fuerit, ſiquidem iure optimo, hæc mercatura, debere eſſe mutua ſanctitas, perhibetur.

METAPHORA X.

Statim in foribus peccatum tuum aderit. Geneſ.c.4.v.7.

EGREGIE Deus,quaſi magiſter morum, inſtituere videtur homines recentes,quomodo animi perturbationes regere,& virtutem colere debeant. Viderat Cain perturbatum;& fluctibus mœroris,quaſi merſum, iracundiæque æſtu vehementi commotum:nec cum deſpexit:ſed,vt loquitur S. Ioannes Chryſoſtomus:*quam erga Patrem ipſius miſericordiam declarauerat, dando illi ſatisfaciendi occaſionem,& fiduciæ ianuam aperiens,& dicens,vbi es?poſt grauem illam ruinam, miſericordiam & nunc,erga ingratum illum,declarat,manum illi,quaſi in praeceps eunti, porrigens,& occaſionem præbere volens,vt delictum corrigat,dicit: Quare tam mœſtus es,& quare concidit vultus tuus?* Adit eum familiariter,alloquitur placidè,interrogat blandè.*Ita percunctando,*inquit Rupertus Abbas,*vocat illum mitis ad miſericordiam,mittit ad conſcientiam ſuam,inuitat ad cor ſuum,vt videat ipſe, quid cogitet,bonum ſit,an malum.*Conatur deinde ęgrum eius animum,ſuauibus monitis ſanare,& offerens remedium idoneum,vt in tranquillo ſit,hortatur.Habent hoc Septuaginta Interpretes his verbis,*quare concidit vultus tuus? nonne ſi rectè offeras,non autem rectè diuidas,peccaſti? Quieſce,ad te conuerſio eius,& tu eius dominaberis.*Ita ipſi transferunt, & veteres fere omnes ſequuntur hanc eorum translationem.Peculiariter verò ad rem noſtram, Diuus Ioannes Chryſoſtomus,*igitur quia peccaſti,*inquit,*quieſce:tranquillitatem facito tuarum cogitationum,& libera mentem à procellis fluctuum inundantium,cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato grauius aliud.*

In c.4. Gen. hom.18.

Lib.4.comment. in Geneſ c.3.

In c.4. Gen. hom.18.

Denique vt Deus conſultò reiecerat, in poſtremam partem orationis ſuæ,minas,& pœnas peccati,ſubdit,*nonne ſi male egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?*Diſcant Prælati hanc cœleſtem artem corripiendi ſubditos *in ſpiritu lenitatis:*nec in auſteras,ac triſtes obiurgationes, confeſtim erumpant,vel in minas ſeueras,pœnaſque rigidas,illico ſint præcipites. Hæc intentare,vltimo loco,abunde nimirum erit:præcedat clementia,etſi vlcus ea non ſanauerit:tunc opportunius ſeueritas,aut claudo,aut lento gradu, eam ſubſequetur.

*Statim in foribus peccatum tuum aderit.*Hebræi Codices habent: ſi non bene

In quæſt. Hebraicis. feceris, ad oſtium peccatum accubat. Nec Sanctus Hieronymus etiam multo aliter tranſtulit. *Nonne ſi bene egeris, inquit, dimittetur tibi : & ſi non benè egeris, ante fores peccatum tuum ſedebit, & ad te ſocietas eius, ſed tu magis dominere eius ?* Et paulo pòſt ; *Ibidem.* *illico peccatum tuum, ante veſtibulum tuum, ſedebit, & tali ianitore comitaberis : verum quia liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris.* Ea quæ breui euentura ſunt, dicuntur frequenter, ab Hiſtorico ſacro, in foribus, atque in oſtio eſſe, & ideo eâ locutione, ipſi Cain ſignificat Deus; pœnam peccati eius, fore ineuitabilem, niſi reſipiſceret. Fortaſſe etiam, vt conſuetudo apud Iudæos fuit; exercere in portis iudicia, & damnationes Reorum; hoc quod ait Scriptura ſacra, *ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*; facit ad Diuini Iudicij certitudinem, & ſeueritatem.

Sunt qui putant; hoc intelligi debere de culpa peccati. Sic Hugo de S. Victore, *Duabus*, inquit, *de cauſis dicitur aliquid in foribus adeſſe, vel vt intret, vel vt exeat. Peccatum in foribus, vt intret, eſt poſt malam cogitationem, occaſio parata peccandi. Peccatum autem, quod eſt in foribus, vt exeat, praua voluntas eſt, quæ non poteſt celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo ſigno.* Alij tamen ad peccati pœnas potius *In quæſtion. ſuper Gen.* pertinere id arbitrantur: inter quas, in hac vitâ, eſt omnium grauiſſima, deſtitui præſidio, & patrocinio diuino. Atque in eo ſenſu, *ſi pura mente*, inquit Albinus, *obtuleris ſacrificium, recipies præmium: reſpiciente Deo ad te, & ad ſacrificium tuum: ſi autem male egeris, intrantem vel exeuntem te ſemper peccatum tuum comitabitur, & deſinet Dominus cuſtodire introitum tuum, & exitum tuum.* Præterea ſtimulus conſcientiæ, excrucians illos miſerè, qui criminibus varijs polluuntur, intelligi poteſt in ijs verbis, cum is pariter ſit pœna peccati: ſenſus autem hic erit. Conſcientia, quaſi moloſſus, accubabit foribus cordis tui, & allatrabit perpetuo: neque obſtrepere, niſi reſipueris, vnquam deſinet : donec morſus vltionis Diuinæ, latratum eius ſubſequatur. Iam vt obiter exponam verba illa Septuaginta interpretum. *Nonne ſi recte offeras, non autem recte diuidas, peccaſti: Quieſce, ad te conuerſio eius, & tu eius dominaberis.* *Lib. 2 de Cain & Abel c. 6.* S. Ambroſius putat, ſenſum eſſe, Recte Cain quidem obtuliſſe, quia oblatio eſt inſigne deuotionis, & indicium gratiarum: non rectè autem diuiſiſſe, quia qui debebat primitiua munera Deo ſacrificare, ſecundaria obtulit. *Non recte*, inquit, *diuiſit: quia ante omnia Deo debuit deferre primitias: vt à gratia inchoaret Auctoris: Etenim diuiſionis hic ordo eſt, vt prima ſecundis, non ſecunda primis præcurrant.* Ad hæc gracilem ipſius Cain victimam, ipſius verò Abelis opimam fuiſſe, inſinuare videtur verſus ille, in quo ſic Abel loquitur, ordine recto.

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo.

Ordine autem retrogrado loquitur Cain, & diſtichum abſoluit.

Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum.

S. Au-

S. Auguſtinus hunc eundem textum, ſatis obſcurum, explanans, *Rectè offertur ſacrificium*, inquit, *cum offertur Deo vero, cui vni tantummodò ſacrificandum eſt. Non autem rectè diuiditur: dum non diſcernuntur loca, vel tempora, vel res ipſæ, quæ offeruntur; vel qui offert, vel cui offertur; vel hi quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt, vt diuiſionem intelligamus his diſcretionem.* Poſt alia nonnulla, inter quæ etiam illud recenſet, ſi homo videlicet electiora ſibi retineat, quam ſunt ea, quæ offert Deo: explicationem hanc aliam pulcherrimam ſubdit: *Datur intelligi: propterea Deum non reſpexiſſe in munera eius: quia hoc ipſo male diuidebat, dans Deo aliquid ſuum, ſibi autem ſeipſum:* quippe nos mauult Deus, quam munera noſtra, & præ omni re animum, obedientiamque deſiderat, per quam, vt verbis S. Gregorij vtar, *voluntas propria mactatur:* cum in victimis aliena caro immoletur. Peſſimè itaque Cain ſua obtulit Deo, ſibi verò ſemet retinuit: *quod omnes faciunt*, inquit idem Sanctus Auguſtinus, *qui non Dei, ſed ſuam ſectantes voluntatem, ideſt non recto, ſed peruerſo corde viuentes, offerunt Deo tantum munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur ſanandis prauis cupiditatibus, ſed explendis.* Poſtremò adfert diſcrimen illud, inter bonos, & malos, quod notari prorſus debet, dum hæc habet; *Boni ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo; mali autem contra, vt fruantur mundo, vti volunt Deo.*

Lib. 15. de Ciuit. c. 7.

Ibidem.

METAPHORA XI.

Sub te erit appetitus eius; & tu dominaberis illius. Geneſ. cap. 4. v. 7.

NE Cain filius parentum, qui excuſauerant excuſationes in peccatis, diceret Deo: iræ perturbatio, quam dediſti mihi, adegit me, vt interimerem fratrem meum, ſicut Adam in Euam, Eua in ſerpentem, culpam inobedientiæ coniecerant, videtur de induſtriâ malo huic, & infirmo patrocinio Deus occurrere, *ſub te*, inquiens, *erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hoc eſt ira, quæ eſt appetitus vltionis, & quæuis alia perturbatio, inferioris animæ, quoties turbinibus, & procellis ſuis, incipient miſcere Rationis ſerenitatem, haud præualebunt: niſi ijs victoriam ſponte ceſſeris. *Quia liberi es arbitrij*, inquit Albinus, *non habet peccatum ſuper te dominium: ſed tu ſuper*

In quæſt. ſuper Gen.

illud,

Serm. 5. de Quadrag. *illud, & in tua poteſtate eſt, ſiue compeſcere, ſiue concupiſcere illud* S. Bernardus etiam, *Poteſt*, inquit, *inimicus excitare tentationis motum, ſed in te, eſt ſi volueris dare, vel negare conſenſum, in tua poteſtate eſt, ſi volueris inimicum tuum, facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Quæ enim, inſinuat inimicus deſiderium, cibi, vanitatis, aut impatientia cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum; Tu ſolummodò ne conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis.*

Lib. 15. de Ciuit. c. 7. S. Auguſtinus textum à nobis propoſitum ita legit, ſicuti eſt apud Septuaginta Interpretes, aitque Cain à Deo non dimitti, ſine mandato ſancto, iuſto, & bono, *Quieſce*, inquit, *ad te enim conuerſio eius, & tu dominaberis illius. Numquid fratris? abſit: cuius igitur, niſi peccati?* Deinde explicat poſſe intelligi, conuerſionem peccati, debere eſſe ad ipſum hominem: vt ſciat, nulli alij, præterquam ſibi tribuendum eſſe, quòd peccet: & tunc dominari vnumquemque peccato. *Si*, inquit, *id ſibi, non defendendo propoſuerit, ſed pœnitendo ſubiecerit.* Denique verba illa, *ad te erit conuerſio eius*, & tu eius dominaberis, exiſtimat ita ſumi debere, ſicut quando Euæ dixit Deus, *ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui: Quod dictum eſt*, inquit, *ad Cain de vitioſâ carnis concupiſcentiâ, hoc iſto in loco de peccatrice fœmina*, vbi intelligendum eſt, virum in regenda vxore, animo carnem regenti, ſimilem eſſe oportere. Pulchra hæc ſimilitudo videtur, perinde caro menti ſubditur, atque vxor viro; hæc virum, illa mentem adoritur, atque pertentat illecebris, & blanditijs ſuis: ſed neque vxoris eſt viro, neque carnis eſt menti, ac rationi dominari. Domita igitur, & victa caro, ipſi animo, & menti ſubdatur, & quæ pars nobilior eſt in homine, ac generoſior, illa dominetur. Notare eſt autem, hoc loco nomine peccati à Diuo Auguſtino, nequaquam ſumi peccatum, quod reipſa conſummatum eſt, ſed partem inferiorem hominis, quæ ad ipſum peccatum inclinat, iuxta illud Apoſtoli, *Non ego operor illud: ſed quod habitat in me peccatum*, quam eandem animæ partem Philoſophi quoque aiunt eſſe cum vitio; atque hæc mentem non debet trahere, ſed mens ei debet imperare.

Gen. c. 3. v. 16.

Ad Rom. c. 7. v. 20.

Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, nemo accuſet carnis rebelles motus, etenim ij rationis frœnum habent, & in poteſtate noſtra eſt, eos cohibere. Vetus controuerſia fuit, & certarunt Stoici, ac Peripatetici cum aſſererent illi, perturbationes animi ſemper obeſſe, & debere ideo malas cenſeri: hi verò ſecus, prodeſſe eas interdum, & videri medias, inter vitium ac virtutem. Et ſane citra dubium eſt, voluiſſe Deum hominis conditorem, ijs motibus nos inſtruere, ad liberi arbitrij vſum. Sunt enim veluti ſatellites, quorum auxilijs bene aut perperàm agere, & ex quibus ad grandia ſæpe, veluti quendam impetum accipere poſſumus. Vt huius rei exemplum ſtatuatur in ira (de quâ fortaſſe, in textu propoſito, peculiariter eſt ſermo, cum ſit ille appetitûs vltionis, qui Cain aduerſus fratrem Abel incitauit; quaſi offendiſſet

diſſet eum, dum præ illo Numini ſ[illegible] ira feruet circa cor, videtur ad auguſtale ſeu prætorium animæ pr[illegible], & [illegible] pœnas: ſed conciliat animum, [illegible] cogitatque [illegible] cuius Tribunal adi- tur, annuere, vel [illegible] *Cor, inquit Plato, venarum originem fontemque ſangui- nis, per omne corpus impetu quodam manantis, in [illegible] regione, ſuſpendere volue- runt, vt quando iræ vis exardeſceret ratione [illegible] quod extrinſecus iniuſte fiat, vel intrinſecus, aliqua concupiſcentia turbet, tunc celeriter per anguſtos corporis meatus, quid, quid in corpore ſenſus eſt particeps, iuſſa, [illegible] perciperet, atque ita obediat, obſe- quatur, q; omnino, [illegible] in omnibus præſtant[illegible].*

In Tymæo.

En diſertè, & planiſſimè ait Plato; eas, quas loquimur, animæ inferioris perturbationes, ad obediendum, obſequendumque, & ad capeſſendum Rationis imperium datas, & inditas homini fuiſſe, ac miniſterium earum prorſus eſſe vtile virtuti. Homerus certè laudatur; qui iram dixit eſſe cotem fortitudinis, quia vtique illam acuit: nec viro forti tantum, ſed prudenti etiam, & iuſto prodeſt in adminiſtratione Reipublicæ; exequiturque fortiter, & conſtanter, quæ ſalubriter decernuntur.

Quia tamen exceditura, Ariſtoteles, neſcio ingenioſius, an ſapientius, oſtendit quonam pacto contingat iſtiuſmodi exceſſus eius. *Ira, inquit, parere il- la quidem videtur quodammodo rationi, ſed non attente eam audit: more miniſtrorum, qui antequam omnia quæ iubentur, audierint, abeunt: deinde in officio præſtando peccant; & ritu omnium, qui prius quàm conſiderarint, ſitne amicus, qui pulſauit, allatrant.* Videlicet in eo ſubito naturæ motu, audit rationem declarare; contumeliam vel contemptum interueniſſe, ſed mandato eius non penitus dato, nec abſo- luto, ad vltionem confeſtim rapitur, quaſi ratiocinando ſit deliberatum, cō- temnenti, vel iniuriam inferenti, bellum inferendum eſſe. At ſi Ratio præſi- dens in cordis regia, habeat iram in poteſtate, ſi conſuefaciat eam, vt ſit di- cto audiens: abſque [illegible] illius, imò vtenti proderit.

7. Ethic. c. 6.

Certè abſque [illegible] aliquando eam eſſe, demonſtrat ſacrum oraculum illud, *Iraſcimini, & nolite peccare.* Nec [illegible] videri debet, hos inferioris animę motus reluctari, aut ſtatim non obſequi imperio rationis: vt enim optimè perpendit Diuus Auguſtinus, *Quid hac pœna iuſtius; quàm vt non ad omnem nu- tum ſeruiat corpus, ideſt ſuus famulus animæ: ſicut Domino ſuo detrectauit ipſa ſeruire?* Alioqui [illegible] conſtituti ſumus, vt iis perturbationibus non cogamur mala a- gere, ſed ſolum incitemur, vt mala agamus: cùm interim iis reddamur etiam idonei, vt bona agere poſſimus: ſed hæc potentia, potius infirmitas dicenda eſt. vt [illegible] loquitur Plato, *Poſſe per licentiam, & libidinem, omnia perpetrare, hoc non eſt habere poteſtatem, quoniam neceſſe eſt, eum, qui iſta perpetrauerit, pœnas luere.*

Pſal. 4. v. 5.

Lib. 9. de Gen. ad litt. c. 11.

In Gorgia.

E META-

METAPHORA XII.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.

Geneſ.cap.4.verſ.10.

EXCLAMAT eloquentiſsimè Diuus Ioannes Chryſoſtomus aduerſus Cain; qui primus ferro vſus eſt, ad crudelitatem; cum id innocens, adhuc humani cruoris facinus non haberet. *O audacem mentem*, inquit; *ô* *In c. 4. Gen hom 19.* *abominabilem, & miſerabilem: & quidquid dici poteſt, non ſatis dicetur. Quomodo non obduruit manus? quomodo potuit* *Ibidem.* *gladium tenere? & intentare plagam?* Et paulò pòſt: *Quomodo potuit videre corpus mortuum ſuper humum? & à ſpectaculo non ſtatim perijt? Nam cum nos tot annorum numero, quotidie morientes videmus, quamuis vulgari morte, & ſanguine nihil nobis iunctos, viribus deſtituimur.* Hæc ipſe aduerſus Cain; Abel verò, cui Chriſtus Dominus primatum Iuſtitiæ humanæ tribuit, *Matt c. 23 v. 35.* illis verbis, *à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ*, hoc nobiliſsimo elogio decoratur à S. Auguſtino, *Tota iuſtitia hæc eſt*, inquit, *virginitas,* *Lib. 11 de mirabil. ſacra ſcript. c. 3* *ſacerdotium, & martyrium; quæ triplex iuſtitia in Abel primò fuit, Qui & munera Deo placit. obtulit, & proſapiam generis in ſeculo non reliquit, & martyrij coronam, ſanguinis effuſione promeruit.* Pauloque poſt infert. *Rectè ergo competebat, vt qui pri-* *Ibidem.* *mus in terra iuſtus eligitur, in eo totius Iuſtitiæ forma ſeruaretur: cuique primo in hominibus, poſt delictum geſtare figuram conceditur Saluatoris; qui virgo, & ſacerdos, & martyr eſſe videtur.*

Enimuero hi duo fratres Abel & Cain, ex quibus memoria vnius eſt in benedictione, alterius in opprobrio, ſatis oſtendunt, quam dixerit ſapienter *In Gorgia.* Plato. *Arbitror equidem, peius eſſe facere iniuriam, quam accipere.* De hac iniuriâ parricidij, vt quæſtionem inſtitueret Deus, interrogatione miti Cain præ- *Gen c. 4. v 9.* parat, ad patrati criminis confeſsionem, dicens, *vbi eſt Abel frater tuus? Confeſſio,*

ſio, inquit Sanctus Ambroſius, *pœnarum compendium eſt, eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec deriuare culpam, ſed recognoſcere: mitigat Iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.* *Lib. 2. de Cain & Abel c. 9.* Sed enim ſuperba Cain reſponſa, negantis, cuſtodem ſe eſſe fratris ſui, Iudicem Deum impulerunt, vt teſtem criminis produceret: ideo ſubdidit, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Sanctus Ambroſius indignum exiſtimans, à bono fratre Abel, quantumuis iuſtè Cain fratrem nequam, accuſari: textum hunc ita explicat. *Bene ait, vox ſanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germanitatis, etiam in ipſa morte ſeruat, non accuſat frater, ne videatur parricida, non accuſat vox ipſius, non anima eius: ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti, tuum te ergo facinus, non frater accuſat.* *Ibidem.* Meritò Diuus Ambroſius, à iuſto Abel alienum ducit, id quod, munus proprium Diaboli eſſe, in Apocalypſi perhibetur, vbi hoſtis humani generis ita circumſcribitur, *proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* *C. 12. v. 10.* Ipſe enim criminator, & calumniator, cum ad peccata homines pertrahat, diuinæ iuſtitiæ dein aſsiduè interpellat vltionem.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, in Hebræo textu eſt, *vox ſanguinum fratris tui clamat*, & in Paraphraſi Chaldæa, *vox ſanguinis generationum, quæ futura erant ſuccedere, de fratre tuo, clamat coram me de terra*, & ſenſus videtur, quemadmodum interpretatur etiam Abulenſis, quaſi non ſanguis Abel clamaret duntaxat: ſed ſanguis totius futuræ poſteritatis eius, quæ cum patre vniuerſa perijt. *In c. 4. Gen. v. 10.* Itaque Cain reus multorum capitum agitur coram Deo, Parricidij videlicet, filiorum, & nepotum etiam Abelis, non natorum quidem: ſed qui naſcituri fuiſſent ab eo. Suſtulit quippe, ſi minus mediam, certè magnam partem generis humani, cuius videlicet propagatio, per Cain, & Abel ex æquo poterat ſperari. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, illud, & explicatu arduum videtur, quod ex cadauere hominis interfecti, ſanguis diu conſtrictus, rurſus manet, ſi homicida rurſus coram adſit: ex qua etiam re indicium facti Iudices ſæpe conijciunt.

Aliqui ex Philoſophis hoc referunt ad diuinam iuſtitiam, quæ velit ita prodere occultum Reum. *Dandinus lib. 2. de anima, digreſs. 10.* Si hoc eſſet; videretur etiam nunc fungi munere accuſatoris, ſanguis hominis interfecti. Alij vel ſanguinem ita fluere prorſus negant, vel admittunt id poſſe fieri, intra certum, ac dræfinitum tempus: ſeu viginti quatuor horarum: vt *In problem. ſec. 7. n. 6.*

opinatur Conciliator:ſeu horarum omnino ſeptem, vt exiſtimat Marſilius *In conuiuiũ Platonis.* Ficinus. Sanguis autem denuò exſtillat,fortaſſe quia oculi homicidæ,æſtuâtis adhuc ob recentem iram,egerunt ingentem vim, & modum, ſpirituum calidiorum:& ijs tepefactus ſanguis,qui iam in vulnere concreuerat incipit refluere,ſic oculi mulierum in partu ſpecula inficiunt,dum ſpiritus plurimos emittunt: ſic & luporum oculi ſuperfundunt homini,(quem priores, hoc eſt diu,& continenter videant)modum copioſum eorundem ſpirituum,qui ex cerebro exprimunt diſtillationes noxias,& fauces obſtruunt, ita vt vox hominis rauca penitus reddatur.

Ioannis Baptiſtæ Helmontij. Deliram ſententiam hoc loco non referam,ſcriptoris cuiuſdam,aut nullius,aut mali nominis,qui in libello quodam ſuo de Magnetica vulnerum curatione,agens de manante hominis interfecti cadauere, ad conſpectum homicidæ,*In ſanguine,*inquit,*etiam poſt mortem ineſt ſuus præſentis homicidæ ſenſus,ſua vindicta,quia ſua quoque phantaſia.*Putat verò homini per vulnus morienti,ineſſe neſcio quas virtutes inferiores,quas *Mumiales* vocat: & ſanguini eas imprimere veſtigium vindictæ ſumendæ.Quin etiam,vt hæc eadem cõfirmet,abutitur ſacrâ Abelis hiſtoriâ,dicens: *deo non ipſus Abel:ſed innocens ſanguis eius clamat in cœlum vindictam:*ſed hominem ſatis redarguerat mendacij *Ad Heb c. 11. v. 4.* Diuus Paulus,qui *Abel,*inquit,*defunctus,adhuc loquitur.*Itaque falsò infert, *non ipſus Abel,ſed ſanguis eius clamat.*Cæterùm eſt ſatis in comperto; iſtas locutiones,de Abelis,vel ſanguinis eius voce,& clamore,exponi debere de parricidij culpâ,quæ ſemper obuerſatur diuinæ menti,atque oculis Dei,& à iuſtitia *In Pſ. 140.* eius vltionem expoſtulat. *Martyrum ſanguis,*inquit Sanctus Hilarius,*voce cor- Serm 65. poris caret:ſed indignitas necis eorum Deo clamor eſt.*Et ſanctus Ambroſius,*nulla v-* *Ex S. Ioanne Baptiſta.* *tique ſanguini vox eſt:ſed clamare dicitur ſanguis,qui innocens effuſus eſt, non tàm voce, quàm cauſa:& interpellare Dominum non proſecutione eloquij: ſed indignatione commiſſi,ac reatum ſuum,non tam verborum accuſare ſermonibus, quàm conſcientiæ ipſius* *Hom 5. in c. 2 epiſt. 2 ad Corint.* *crucia[illegible]tione conſtringere* Similia habet pluribus in locis Diuus Ioannes Chryſoſtomus præſertim vbi ait,hoc dici,*non quod ſanguis,*inquit,*habeat vocem: ſed quemadmodum nos de rebus manifeſtis,ac lucidis loqui ſolemus,res ipſa clamat,*Poſtea- *Ibidem.* que ſubiungit hoc ſaluberrimum documentum. *Quapropter ſane oportet,Dei iudicium præ oculis habere:mox mala extincta fuerint omnia.*Demum breuiſſime,ſed ſapienter Eucherius,*Clamare,*inquit,*ſanguis Abel ad Dominum dicitur, non voce, ſed cauſa.*Faceſſant itaque delira ſomnia,phantaſiæ in ſanguine, & virtutes eius *mumiales,*quibus ſola proditur vani ſcriptoris amentia,& ſcripturæ ſacræ iniuria grauis irrogatur.

Satius fuerit recenſere S Ianuarij Epiſcopi,& Martyris,ſanguinem admirandum,qui Neapoli ſtatim,atque iuxta caput eius ponitur, videtur perſpicuo in vitro colliquefieri:perinde ac ſi præſiliret ex recenti vulnere. Dices,

res, ſanguinem etiam Abeli h iius, vocem ſuam habere, & clamare ad Deũ de terra. Adhæc ſanguis Patris Henrici Garnetij, ſacerdotis Angli, è ſocietate IESV, in ſpica tritici quàm fortè irrorauit, vultum illius figurauit, quaſi conaretur etiam ſanguis ille os aperire, & poſcere à Deo Hæreſis exterminiũ; ex cuius furore Londini vir religioſiſsimus, elcis faucibus, & in partes ſectus, ſanguinem miſit. Luſit verò fœliciter claro quidam ingenio, in nomen pariter, & in hunc ſanè mirabilem exitum eius, dum ex hoc themate

Pater Henricus Garnetius,

Hemiſtichium, ſimul, & Anagramma compoſuit

Pingére cruentus ariſta.

Et potuit hic Alumnus nobilis, ac generoſus, ex familia alterius Ignatij dicere, etiam ego *frumentum Chriſti ſum*, etiam ego *panis mundus efficiar.*

METAPHORA XIII.

Terra aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui, de manu tua. Gen. c. 4. v. 11.

QVÆ fuerit ea prima tellus, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Abel; non ſatis videtur in comperto eſſe. Exiſtimat Sanctus Hieronymus, id contigiſſe, iuxta Damaſcum Syriæ. Hi etiã, qui loca Palæſtinæ adeunt, narrant, ex colle, quem Antilibanum vocant, & vbi Syria caua ſeu Cœleſyria principium habet, viam eſſe, ex qua, Damaſcum eundo, ſub montem itur: in quo monte à Cain Abel occiſum fuiſſe, memorant, viſunturque in montis huius apice tumuli duo, & in eorum altero Cain, Abel verò in altero ſacrificaſſe, aiunt. In eius deinde ima parte, oſtendunt locum cędis, & ſepulturæ Abelis. Turcæ item affirmant, ſubterraneum quendam fremitum audiri: velut in parricidij teſtimonium. Si ita ſit, congrue ad id S. Ambroſius loqui videretur, dum, *eſt etiam*, inquit, *terra teſtis quæ cœpit ſanguinem, & bene ait, vox ſanguinis fratris tui clamat de terrâ, non dixit de fratris corpore, ſed de terra clamat. Et ſi frater parcit, terra non parcit; ſi frater parcit, terra condemnat: ipſa eſt in te, & teſtis, & iudex.*

Inducis Rad zauiß peregrinat.

Lib. 2. de Cain & Abel c. 9.

Sed opinantur alij, agrum, in quo patrauit Cain homicidium, fuiſſe iuxta Hebron, ex rubra terrâ, quę hoc loco Hebraicè אדמה *adama* vocatur: vbi Adam creatus eſt, & vbi etiam deinde vixit. Quæcumque tamen ea tellus fuerit,

rit, illi os metaphoricè tribuitur, hoc loco in ſcriptura ſacra. Quemadmodum & alibi ſimilis locutio vſurpatur, quando fatiſcere viſa eſt,&

Num.c. 16. vaſto atque horrendo hiatu Dathan, cum Abyron deglutire. Faciem etiam terræ frequenter nominat hiſtoria ſacra,& habent ſimilia interdum ſcriptores prophani,, qualia ſunt

Eſchylus in Prometheo.

Et tellus,multorum nominum facies vna.

Quo pacto ei etiam pectus tribuitur,in illis verſibus

Heſiod.in Theogonia.

Ante chaos genitum;poſt lato pectore tellus
Nata,Deum ſuperum;& cæli firmiſſima ſedes.

In Tymæo. Cæteroqui ſicut de mundo vniuerſo ait Plato; cum nec oculis indiguiſſe; quia nihil extra illum erat, quod cerni poſſet: nec auribus; cum nihil ſupereſſet foris, quod audiretur, nec ore, cum non haberet extra ſe, circumfuſum aerem ad reſpirationem; nec manibus, quia nihil capiendum ei ſupererat, aut repellendum; nec membris, quibus vel noua alimenta ſuſciperet, vel cibi digeſti egereret excrementa: Siquidem ipſi nulla deceſſio fieri poteſt, nulla acceſſio; ſeque ſuijpſius conſumptione, & ſenio ſemper alit. Sicut, inquam, hæc de mundo vniuerſo dicuntur', ita & de orbe terrarum dicenda proprie ſunt: & ſolum translata locutione fingitur habere membra, appellaturque tellus à Poetis Dea, Regina, vxor Solis & Cœli; cuius videlicet, tanquam fœminæ, gremium fœcundet, & impleat eiuſdem ſolis & cœli calor, vt ſegetes, ac fruges progeneret. Dicitur autem aperire os, vt exprimatur ſiccitas eius, quâ imbres ſolent & fontes ab ea exſorberi.

Terra aperuit os ſuum, Putem hæc ideo dici, vt Cain crudele facinus exprobretur efficacius; ex hoc enim ore, quod aperuit terra, intonuit vox ſanguinis Abel; & à vindice Deo vltionem innocentiæ flagitauit. Itaque aperto iam ore, loquitur cum ſanguine, clamat coram Deo, & duo ſunt, qui ſcelus parricidij teſtantur; vt in ore duorum, etiam huius primi iudicij verbum ſtare videatur. Hoc fuiſſe autem, præter ipſius terræ expectationem, aut deſiderium, pulchrè interpretatur Sanctus Ambroſius, *terra quidem*, inquit, *aperuit os ſuum*, *quaſi exceptura*

Lib.2.de Cain & Abel c.9. *de fratribus verba pietatis, nihil timens, cum fratres videret, quæ ſciret ius germanitatis, amoris incentiuum eſſe, non odij. Nam quomodo poterat parricidium ſuſpectare? quæ adhuc non viderat homicidium?* Cain Reus, propterea in-

Geneſ c.4. v.12. terdicitur fructibus terræ; *maledictus eris ſuper terrram, cum operatus fueris eam,non dabit tibi fructus ſuos.* Pœna exilij damnatur, *vagus & profugus*

gus eris ſuper terram. Sed ita proſcribitur, vt ſymbolum ſeu teſſeram habeat ſecuritatis: ne vtique interficiatur. *Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet.* Vtinam hæc primi Iudicij ſententia nos tandem erudiret, ſcelera nulla occulta, vel ſecreta eſſe coram Deo, qui explorat & ſcrutatur omnia, cui terra loquitur, & coram quo ſanguis, per iniuriam effuſus, habet accuſatoris vocem. Denique ſi deſint alij, ſupplebit abundè ſola conſcientia, mille teſtes. *Ibidem. Verſ.15.*

METAPHORA XIV.

Iubal fuit pater habitantium in tentorijs, atque Paſtorum. Iubal fuit pater canentium cithara, & organo. Geneſ. cap. 4. verſ. 21.

HI duo, quorum alter fuit auctor artis quæ conferebat ad commodè habitandum, alter verò auctor artis, quæ conferebat ad ſuauiter viuendum, patris nomine decorantur, nec tamen Cain tribuitur hoc vocabulum, qui aliquid maius inuenit, & qui primus condidit ciuitatem, eamque, ab Henoch filio ſuo, Henochiam nominauit. Sed fortaſſe Patris nomen haud merebatur is, cui adhæſerat infamia parricidij, & qui non tam cauſa vtilitatis publicæ, quàm priuatæ ſecuritatis gratia, vrbem condiderat: vtpote vagus, profugus, & ſemper trepidus, ex mortis metu, quem conſcientia criminis patrati, quaſi lictor, & carnifex ei perpetuo intentabat.

Accedit etiam, haud ſatis conſtare, an laudem meruerit Cain, quoniam vrbem condiderat, ex cuius nimirum vſu, orta in mundo videtur diſcordia, occaſio prælıorum, & libido dominandi. Quæ graſſari mala nondum cœperant, quamdiu aperta, & omnibus peruia innocentia, atque illa communis rerum Domina libertas in mundo perſeuerauerat. Poſtea ſiquidem cœptum eſt audiri *meum*, ac *tuum*, *frigidum illud verbum*, vt verbis vtar Diui Ioannis Chryſoſtomi, *In orat. de S. Philogonio.*

& quid-

& quidquid eſt malorum in vitam noſtram inuehens, innumeraq; gignens bella. Certè illud videtur notabile; quod tam Henochiâ, quàm Roma, vrbes patriæ mundi, illa origine, hæc imperio & maieſtate, conditores habuerint, fraternis cæde infames ambos. Et ſicut vrbis Romæ initia dedit Aſylum facinoroſorum, ita vrbs ipſa Henochia, fuerit Aſylum Caini & eius improbæ poſteritatis.

Scio ſapientes viros, ac Philoſophos, ciuitates numerare, inter præcipua commoda & bona humanæ ſocietatis: cum homo ſit *ciuile animal magis, quàm*
L. de Rep. c. 2. *Apes, aut quoduis aliud animal congregabile*; vt loquitur Ariſtoteles, ſed ſuo, liceat mihi cum eodem Philoſopho inferre, *eum, qui natura impulſu*, vt ipſe loqui-
Ibidem. tur, *non fortuna culpâ, ciuitatis ſit expers, aut eſſe improbum, aut homine meliorem*, & proculdubio hominem, qui vrbes incolit, ſuperaſſet longe homo, qui vixiſſet eo vitæ genere, quod in ſæculo aureo Poëtæ, ſine vrbe, ſine lare, & priuata re familiari, in tranquilla ſocietate, & amica conſuetudine (ad quam vtique colendam natus eſt homo) vel repererunt feliciter, vel ſapienter excogitarunt.

Eſt verò Ciuitas, hominis bonum, non ex ſe quidem, ſed poſtquam eſſe homo deſijt bonus, & ideo etiam progenies hominis mala, nempe Cain & eius proſapia, fuit illa, quæ fundauit, & repleuit primam mundi ciuitatem. *Vide*, inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *quomodo res noſtra paulatim deterio-*
In c. 4. Gen. Hom. 10. *res, fucatioresque fiunt. Quippe hominibus, factis mortalibus ſtudium fuit, vt immortalem ſuam memoriam facerent, partim ex filijs, quos generabant, partim ex locis, quibus filiorum nomina imponebant. Hæc omnia rectè quis diceret, peccatorum & ruina primæ monumenta: quâ è priſtinâ gloriâ exciderunt: in qua cum eſſent, nihil horum agebant Adam & Eua, vtpote affectionibus ſuperiores, & nihil obnoxij.*

Lib. 1. de Rep. c. 2. Obiter iucundum, opinor, fuerit, illud animaduertere; eodem modo originem Ciuitatum ab Ariſtotele: atque à Scriptura ſacra recenſeri. Philoſophus enim hæc fermè habet. Prima ſocietas ex viro, vxore & ſeruo, vel ſi pauperes ſint, ex boue, qui eis eſt inſtar ſerui, conſtituit domum; altera ſocietas quæ conflatur ex pluribus domibus, vicus eſt, ſeu vicinitas. Atque hæc eſt veluti variis domus colonia, atque à nonnullis eos, qui ſunt huius coloniæ, collactaneos appellari, & filios ac filiorum filios. Tertia ſocietas, & perfecta ex pluribus vicis coaleſcit atque componitur; & *hæc*, inquit ipſe *ciuitas eſt oriens quidem viuendi cauſa, conſtans verò bene viuendi gratia*. Videamus iam, an eodem modo Henochia, prima ciuitas condita fuerit. *Cognouit Cain vxorem ſuã, quæ concepit, & peperit Henoch*. En prima ſocietas; quæ conſtituit domum. Ve-
Gen. c. 4. v. 17. & 18. rò *Henoch genuit Irad*; en ſecunda ſocietas; quæ vicus, vicinia ſeu colonia variis domus nuncupatur. Sequuntur deinde plures viciniæ, ſeu coloniæ, quia Irad genuit Mauiael; & hic genuit Mathuſael, & hic genuit Lamech; qui ex Ada, Iabel & Iubal, ex Sella verò Tubulcain & Noemam procreauit: quæ omnes

coloniç

coloniæ vnius domus, vtpote plures vici ciuitatem Henochiam conſtruxerunt; congruè item Scriptura ſacra in ij, numerat artifices varios, Iabel opificem tabernaculorum, Iubal muſices inuentorem, & Tubalcain fabrum ferrarium. Quia & Ariſtoteles perinde, Agricolam, fabrum, ſutorem, ædificatorem enumerat in ciuitate iam conſtituta: vt cum vnus omnia ſibi nequeat parare, alter alteri præbeat, quæ neceſſaria ſunt ad vitam; & ea ab altero ipſe viciſſim accipiat.

Iabel fuit pater habitantium in tentorijs, vt veniam ad textum propoſitum; Chaldæa paraphraſis habet, *Iabel ipſe fuit magiſter habitantium in tentorijs*: nomen autem patris magiſtro congruè aptatur, quia qui erudiunt nos circa ea, quæ ſunt honeſtè iucunda, vel vtilia, ij oſtendunt optimum vſum vitę, quam à parentibus habuimus. Merito Alexander magnus proinde iactabat, à parentibus accepiſſe ſe, quòd eſſet, à Præceptoribus, quòd bene eſſet. Philippus etiam eius parens dixerat, ſe non tam lætari, quòd Alexandrum filium ſuſcepiſſet, quam quod is natus eſſet in ea tempora, in quibus habere potuerat Ariſtotelem Præceptorem. Hic etiam magnus Philoſophus Platoni ma- *Marſil. Ficin. in Vita*
giſtro ſuo, Aram in templo & ſtatuam ſacrauit, quem honorem parenti non *Platonis.*
exhibuerat. Nec ſolùm quia parens vitam, Præceptor optimum vitæ vſum, iuxta mentis, & animi regimen largitur, hæc locutio vſurpatur: verùm etiam propter eam ſimilitudinem, quod ſicut hominem homo, ita Philoſophus Philoſophum, Artifex Artificem generet. Itaque pater, & magiſter, vocabula inuicem conſentanea coli debent pari veneratione, vel magiſter maiori etiam, quia is doctrinam veluti ſemen animi, quod ſemini corporeo longè præſtat, infundit menti, ex quo eruditionis, & virtutis deinde læta, & caſta fœcunditas colligi ſolet. *Iubal fuit pater canentium cithara & organo.* Quia eiuſdem tropi eadem eſt explicatio, nil moror, nec repeto quæ dixi: ſed potius ab hoc muſices magiſtro Iubal, iubili & iubilandi vocabula, vt nonnulli exiſtimarunt, deriuari inter Latinos inſinuo. Sic Iouem à יְהֹוָה *Ichoua*, quod eſt nomen Dei ineffabile, Latini habent, & fortaſſe etiam à Ioue nomen iuuādi: quia Dei proprium eſt benefacere hominibus, ac prodeſſe. Imo Tubalcain, qui in hoc capite ſacrę Geneſis dicitur *malleator, & faber in cuncta opera* *v.22.*
æris, & ferri nomē Vulcani fecerit, cui æris, & ferri opificiū veteres dederunt, & Noema ſoror eius, ideſt decora, & pulchra fuerit Venus, quā Vulcano nuptui datam Poetæ finxerunt. Ianum Noe fuiſſe, veroſimile admodum videtur, qui biceps ac bifrons pingebatur, quia ſpectator fuit vtriuſque mundi, ante nimirum, & poſt diluuium. Id vero cauſæ erat, cur antiquiſſimi numi, in altera parte Ianum geminum, in altera roſtrum nauis, in triente autem & *Plin lib.13.*
quadrante rates præſeferrent; quia ſolus Ianus, ſeu Noe cum ſtirpe ſua nauigauit, in mundi vniuerſali naufragio. Nec mirari oportet Iani, quam Noe il- *c.3.*

li, apud Latinos vocabulum fuiſſe Nam idem Noe inuentor vineæ, ac vini fuit: quod vinum Hebraicè יין *iain* dicitur: & ideo ex modica variatione, Ianus dictus eſt: ſed & Noe Deucalion etiam erat: Ideoque Plutarchus columbam, poſt diluuium emiſſam Deucalioni dediſſe indicium hiemis ceſſantis, & recedentium aquarum narrat. Denique Iapheth Noe filius, fuit Iapetus, Promethei parens, quem fuiſſe Europæ conditorem, alibi oſtendemus.

De Induſtria animalium.

METAPHORA XV.

Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.

Gen. c. 4. verſ. 23.

HÆc omnia, in alloquio ſuo, ad geminas vxores Adam & Sellam Lamech Bigamus, *qui primus*, vt loquitur Tertullianus, *duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit.* Dixerat autem paulo ante, de Deo hominis conditore, & inſtitutore matrimonij, cum hominem figuraſſet, eique parem neceſſariam proſpexiſſet, *vnam de coſtis eam mutuatus, vnam illi fœminam finxit: cum vtique nec Artifex, nec materia defeciſſet. Plures coſtæ in Adam, & infatigabiles manus in Deo, ſed non plures vxores apud Deum. Et ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eua vnis inter ſe nuptijs defuncti ſunt.* Alibi etiam hoc habet; *vbi primum ſcelus homicidium, in fratricidio dedicarunt: tam dignum ſecundo loco ſcelus non fuit: quam duæ nuptiæ.* Videtur tamen admittere, fuiſſe ætatibus deinde conſequentibus, à Deo diſpenſatum in illa lege, *Erunt duo in carne vna*, quia ſubdit, *ſemel vim paſſa inſtitutio Dei, per Lamech, conſtitit poſtea in finem vſque gentis illius.*

Lib. de exhortat. ad Caſſit. c. 5.

Ibidem.

Lib. de Monogamia c. 4.

Gen. c. 7. v. 24.

Ibidem.

Hic itaque Lamech, qui ob binas vxores incontinentiæ notatur, bini etiam homicidij reus fuiſſe, à Sanctis Hieronymo, Ambroſio, Ioanne Chryſoſtomo, Ruperto Abbate, Strabo, Abulenſi, Card. Caietano, & Interpretibus alijs, perhibetur. Cum enim eſſet ſagittarius, & caligarent oculi eius, frequentaret verò venationem, dicitur habuiſſe Adoleſcentem, qui ex arcu iaculum eius dirigeret: forte autem accidiſſe, vt Cain, profugus & vagus, latuerit inter fruteta, & ibi confoſſus fuerit, ex errore, tanquam fera, dirigente iaculum Adoleſcente. Quem etiam re comperta, &

tu, & arcu arrepto, Lamech iratus pulſauerit ad necem vſque: & hoc ſignificare aiunt verba textus, *occidi virum in vulnus meum, & Adoleſcentulum in liuorem meum.* Theodoretus hæc, ait, nonnullos fabulari, nec rectè ita tamen loquitur: propter auctoritatem Patrum, & ſcriptorum grauiſſimorum; qui hoc referunt, vti veram & hiſtoricam narrationem. Sanctus Auguſtinus modeſtius eam refellit, dum, *fruſtrà hoc putant* inquit, *qui arbitrantur, quòd Lamech hoc dixerit de Cain: Iam enim quinta generatione natus erat Lamech à Cain, id eſt, de Mathuſael abnepote Cain.*

Quæſt. in Gen. 9. 44. *In lib. quæ. vet. Teſtã. q. 6.*

Sed ſiue virum, ſiue duo perpetrauerit homicidia, allocutionem eius ad vxores, interpretatur in eo ſenſu Abulenſis, quaſi noluerint Ada & Sella amplius de ipſo concipere, ex metu videlicet, ne à Deo punirentur filij, propter homicidia Patris, & quaſi Lamech, vt ad id eas induceret, ratiocinatus fuerit in hunc modum. Si Cain non fuit punitus, niſi ad ſeptimam generationem, qui tamen fratrem ſuum prudens, ac ſciens interemit, Lamech non punietur ad generationes multo plures, vtpote leuioris homicidij Reus, qui à Cain ex errore, Adoleſcentem ex impotenti & magna ira occidit. S. Ioannes Chryſoſtomus partim laudi tribuit, quod Lamech non, ſicut Cain, peccatum ſuum, etiam interrogatus à Deo, ſubticuerit, ſed vltro illud vxoribus aperuerit, ac dignum ſe pronunciauerit, ſeptuagies maiore pœna, quàm Cain; conſcientia ad id eum impellente. Nam *miſericors Deus*, inquit, *eiuſmodi nobis accuſatorem aſſiſtere voluit, vt nunquam ſoli relinquamur: ſed indeſinenter ille congrediens, doceat, & pœnam exigat delictorum.* Partim vitio vertit & culpæ grauiori, quod homicidium duplex patrauerit, qui tamen exemplo & ſcelens, & pœnæ potuiſſet, ab ipſo Cain abunde inſtrui, cautiorque reddi. *An non audiſtis,* inquit etiam alibi, *Lamech dicentem, vindicatum eſt quidem ex Cain ſepties, ex Lamech verò ſeptuagies ſepties, hoc eſt pluribus ego, quam Cain ſupplicijs dignus ſum. Atqui ipſe fratrem non interfecit: ſed quia nec exemplo quidem commonitus prudentior factus eſt, punitur.*

In Gen. c. 4. *In c. 4. Gen. homil. 20.* *Ibidem.* *Hom. 7. in c. 23. Matt.*

Sanctus Ambroſius in Lamech hoc idem reprehendit, quod videlicet deliquerit poſt inſpectam diu pœnam, & damnationem alterius. Sed & ſubdit hæc alia documenta, *ſuo quippe Iudici ſententia debebatur, ne quis paſſim Reum eſſe feriendum, putaret: & vt ad myſterium venias, non debuit interimere eum, qui vſque ad naturalem terminum mortis ſuæ, agendæ habebat ſpatium pœnitentiæ: niſi eum præmatura pœna rapuiſſet.* Sanctus Hieronymus, poſtquam in medium attulerat editiones Interpretum ſingulorum: nempe quod omnis qui occiderit Cain *ſeptempliciter vlciſcetur*, vt ait Aquila, *vel hebdomada ſiue ſeptimus vindicabitur*, vt ait Symmachus, vel *ſeptem vindictas exſoluet*, vt habent Septuaginta & Theodotion: ipſe textum eundem ſic exponit. Quaſi DEVS dixerit Cain: *Non vt exiſtimas, morieris,*

Lib. 2. de Cain & Abel c. 10. *Quæſt. 1. ad Damaſum.* *Ibidem.*

& mortem pro remedio accipies; verum viues vſque ad ſeptimam generationem, & conſcientiæ tuæ igne torqueberis: Ita vt quicumq; te occiderit, ſecundum duplicem intelligentiam, aut in ſeptima generatione, aut ſeptimo te liberet cruciatu. Non quod ipſe, *qui occiderit Cain ſeptem vltionibus ſubijciendus ſit, ſed quod ſeptem vindictas, quæ in Cain tanto tempore incurrerunt, ſoluat interfector, occidens eum, qui vita fuerit derelictus ad pœnam.* Deinde vt hanc expoſitionem reddat manifeſtam ex quotidianæ cõ-

Ibidem. ſuetudinis exemplo, hæc addit: *Loquitur inter verbera ſeruus ad Dominum, quia incendi domum tuam, & vniuerſam ſubſtantiam tuam diſſipaui, interfice me:* Dominuſque reſpondet, *non vt vis, morieris, & finies morte ſupplicia; verùm longo tempore cuſtodieris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce verſaberis, vt quicumque te occiderit, beneficium præſtet occiſo.* Similis eſt iugis pœna, in Iure Pontificio, quæ ir-

Cap. felicis. de pœnis in 6. § præmiſsis. rogatur, aduerſus eũ, qui S.R.E. Cardinalem interemerit. Hæc enim verba habentur. *Sic in eum poteſtas iuriſdictionis inſurgat, ſic rigor vltionis inſiliat, quòd cõtra vitæ ſubſidium, mortis ſolatium innocet, viuens pœna, non culpa, vindictæ ſpeculum, non offenſæ.*

Ibidem. Quod ad Lamech vero attinet, ſicut ex maiorum ſententiâ aſſeruerat, Cain in ſeptima generatione ab Adam obijſſe, quia Adam genuit Cain, Cain genuit Henoch, Henoch genuit Irad, Irad genuit Mauiahel, Mauiahel genuit Mathuſalem, Mathuſalem genuit Lamech, id quod fuit hebdomada, ſeu ſeptimum vindicari: ita vindictam ipſius Lamech, ſeptuagies ſepties exſoluendam interpretatur, per generationes ſeptuaginta ſeptem, quas ab Adam vſque ad Chriſtum interceſſiſſe, probat authoritate etiam S. Lucæ E-

Ibidem. uangeliſtæ: *Sicut ergo ſeptima generatione,* inquit, *peccatum Cain eſt diſſolutum: ita & Lamech peccatum, id eſt totius mundi atque ſanguinis, qui effuſus eſt, Chriſti ſoluetur aduentu, qui tulit peccata mundi, qui lauit amictum ſuum in ſanguine vuæ; & torcular calcauit ſolus: qui de Edom ad cœlum rubicundus aſcendens, clamantibus angelis mira-*

Cap. an. non. 24 q 3 *culum præbuit, Eleuate portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Sed & hanc eãdem interpretationem S. Hieronymi Nicolaus Pontifex, ſcribens Lothario Regi, ſequi videtur, in hæc verba, *An non diſtricta vltione feriendus es? qui in duabus vxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus eſſe dignoſceris, quod Dominus nonniſi poſt ſeptuaginta ſeptem generationes, ſuo ſalutifero aduentu, deleuit?*

Locus hic, ſanè difficilis & perplexus; in quo exponendo plurimum deſu-

In fine quaſi ad Damaſum darunt ſancti Patres: adeo vt S. Hieronymus, ſcribens ad Damaſum Papam, ominetur affuturam ei ingentem diſputationis ſiluam, cum præterea referat, Origenem duodecimum, & tertium decimum in Geneſin librum, de hac tantum quæſtione, dictaſſe. Hic locus, inquam, aliter videtur exponendus: videlicet non de pœna, quam, aut propter parricidium ipſe Cain, aut propter homicidium ipſe Lamech, luere debuerint: ſed de pœnâ exigenda potius de ijs, qui vel Cain parricidam, vel ipſum Lamech homicidam, auſi

fuiſſent

fuiſſent interficere. Etenim referendus hic locus videtur, ad verba illa Dei: *omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Erit verò ſenſus, non debere anxias animi eſſe vxores Lamech, quaſi futurum eſſet, vt is propter homicidia, quæ patrauerat, à quolibet impunè occideretur, quia, ſi vt ſcriptum eſt, ſeptuplũ vltio dabitur de Cain occiſo, de Lamech occiſo daretur vltio ſeptuagies ſepties. Quippe qui non adeo grauiter deliquerit, occidendo virum in vulnus ſuum, & Adoleſcentulum in liuorem ſuum. Homicida enim minus eſt dignus morte, quam parricida; & delinqueret grauius, qui ſtudio quodam priuatæ iuſtitiæ homicidam, quàm qui parricidam interimeret. Gen. c. 4. v. 15.

Vt dicam verò, quod ſentio: & ſi ſaluam cupiam SS. Patrum auctoritatem, haud occiſum fuiſſe Cain à Lamech, credibile mihi videtur. Non enim debuiſſet Lamech aſſeuerare, puniendum ſe ſeptuagies ſepties (iuxta eorundem Patrum interpretationem) propterea, quod Cain ſuſtuliſſet: ſed puniendum ſe dumtaxat ſepties, iuxta diuinam ſententiam, *omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Deinde ſcriptura ſacra videtur potius inſinuare, quod fuiſſet futurũ, vt Cain à nemine interficeretur, in quo vtique Deus poſuerat ſignum, *vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Neque huiuſmodi hiſtoria de Cain occiſo, extat apud Ioſephum: tametſi hoc affirmet Abulenſis. Nam Auctor ille, quo loco meminit de Lamech, nihil ſimile commemorat: ſed fuerit potius traditio Iudæorum; vt videtur innuere Sanctus Hieronymus, ſcribens ad Damaſum Papam. Ceterum ſi Lamech occidiſſet Cain, fuiſſet verus Parricida, quia Cain Atauo ſuo vitam eripuiſſet: vt enim dixi, Lamech Patrem Mathuſalem, Auum Mahiuael, Proauum Irad, Abauum Henoch, Atauum Cain, Adam Tritauum habuit: atque ita eſt in ipſo ſeptima generatio. Tum verò tanquam ſi grauius deliquiſſet, plecti illum ſe ſeptuagies ſepties, hoc eſt multo quam Cain grauius, iuxta Patrum ſententiam non incongruè pronuntiaſſet. C. 4. v. 15. Ibidem. Lib. 1. antiq. c. 2.

Occidi virum in vulnus meum, & Adoleſcentem in liuorem meum. Venio, & ſi aliquanto ſerius, ad Metaphoræ huius interpretationem, ſiue vnum tantum Lamech peremerit, qui eſſet Vir conditione naturæ, conditione ætatis eſſet Adoleſcens, ſiue duos necauerit, alterum ætatis prouectæ cum vulnere, alterum iuniorem cum liuore, agnoſcere videtur, ſe ſibimet, & conſcientiæ propriæ vulnus, ac liuorem eo facinore inflixiſſe. Siquidem homicida mortem animæ accipit, dum infert alteri corporis mortem, & ſic ambo ſauciantur ſemper, ſemper ambo, & ſi ratione diſſimili moriuntur. Sic Draco Elephantem perimit, & ſimul perimitur: ſic Scorpius, & Crocodilus mutuum ſolent ſibi ſtruere exitium: ſic Apes nunquam aculeo ſuo alteri nocent abſq; viſcerum eruptione, cum qua eis aculeus eximitur. Iudæis id euênit præcipue, in magno illo parricidio interfecti Dei: Ideoque merito habetur apud Ariſt. ſeles l. 3. Hiſto. nat. c. 12. Plin. lib. 11. c. 18.

Pſ. 117. v. 12. Regium vatem. *Circumdederunt me, ſicut Apes*: Imo quoniam Apes aculeum, quem infigunt, à tergo geſtant; ſic Iudæi præ odio, ſic omnis homicida præ ira exæſtuantur, non vident, neque conſiderant, quid ſæuiendo moliantur. Adeo vt verbis ſuis leniſſimis orauerit aptè Chriſtus Dominus pro eis, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Conferet ad metaphoræ huius explicationem illud quoque de Iudæis recenſere, iuxtà imprecationem, eis eueniſſe, quâ extorſerunt à Pilato ſententiam condemnationis, contra Chriſtum Dominum. Nam qui dixerant,
Matt. c. 27. v. 25. *ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, tum id experti ſunt in Titi, Veſpaſiani & Adriani Cæſarum expeditionibus, tum id experiri nunc dicuntur. Cū
Sermo. in para ſceue. S. Vincentius narret, paruulos Iudæorum, manu ſanguine plena, ſuper caput,
In pſal. 77. vt plurimum naſci: & cum Hugo Cardinalis etiam addat; tam viros quàm fœminas ex Iudæis, pati in ipſo die paraſceues, profluuium ſanguinis. Si hæc ita eſſent, quis non diceret eos perinde occidiſſe virum in vulnus ſuum, & manare ſanguinem in ijs, veluti ex vulnere accepto, propter illatam necem acerbiſſimam Redemptori?

Et vt adoleſcentulum in liuorem meum. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus aliter
In c. 4. Gen. homil. 20. legit, nempe, *Non tantum nocui illis quos occidi, quantum mihi ipſi, quia virum occidi in vulnus mihi, & Adoleſcentulum in cicatricem mihi.* Loco liuoris, qui eſt ſanguis intercus, necdum effuſus, pellemque reddit atri, & luridi coloris, & qui poteſt transferri ad animam, cum ea per peccatum homicidij, perdit lumen gratiæ, & colorem vitæ; loco, inquam, liuoris ponit cicatricem & congruè admodum, quia ſenſus erit, ab homicida ſemper alium occidi in vulnere proprio, & licet vulnus, quod lethale eſt, ſacramentis Eccleſiæ ſanetur, ſupereſſe cicatricem, hoc eſt, memoriam delicti, quæ de propitiato peccato ſecuros nos eſſe non patitur. Quàm verò erit amara hæc Cicatrix, hæc recordatio, ſi alteri, cui ademit vitam corporis homicida, fuerit ipſi per cauſa damnationis æternæ?

Sed enim eſto; in ſolo corpore alios homicidæ occidant, ipſi interea viciſſim, imo peiore damno, occidantur in animo: & ideo, vt Diui Ambroſij verbis vtar, *etiamſi videantur viuere; miſeriores tamen ſunt omnibus, carnem ſuam ſicut*
Lib. 2. de Cain & Abel c. 9. *tumulum, circumferentes, cui infœlicem infoderunt animam ſuam.* Certè ſi hoc Plato de quouis homine, in hac vita aliquoties pronunciauit vt cum σῶμα, in-
In Cratylo. quit. *id eſt corpus, videtur paulisper ab origine declinari nempe corpus hoc animæ σῆμα, ſepulchrum quidem eſſe tradunt: quaſi præſenti in tempore ſit ſepulta.* Atque alibi, *au-*
In Gorgia. *diui iam quidem à ſapiente quodam, nos nunc mortuos eſſe, corpuſq; noſtrum ſepulchrum nobis eſſe.* Multò id æquius, ait S. Ambroſius de his, qui vulnus lethale animæ acceperunt.

METAPHORA XVI.

Ambulauit Enoch cum Deo. Gen.c.5.v.22.

HIc non eſt ille Enoch, filius Cain, & qui nomen dedit Henochiæ Ciuitati, ſed alter ex meliore proſapia, ſeptimus ab Adam, ex ſtirpe Seth, quem iuſti Abel loco Adam genuerat, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. In huius filijs, & nepotibus ſeruatum eſt feliciter, illud Platonis, vt *parentes* 6. de legibus. *habitent, ſeipſos viciſſim obſeruantes, liberos generando, & educando, & vitam quam ab alijs acceperunt, à ſe quaſi lampada alijs tradant, Deos ſemper ſecundum leges colentes.* Videlicet pietas in Deum, eſt ea lux, quæ hanc facem vitæ humanæ potiſſimum accendit, & illuſtrat: & parentes, qui vitam ad poſteros, ſine illa luce cupiunt tranſmittere; haud illi ſanè intelligunt, impleri à ſe regionem vmbræ mortis, in qua diu ambularunt homines, priuſquam lux de Gen c.4. v. 26. cœlo eis oriretur. Enos tertius ab Adam, incœpiſſe dicitur inuocare nomen Domini, quis facem accenſam, huius vitam eſſe, non exiſtimarit? Tribuitur verò illi primò elogium hoc ſacrum, non propterea quod primus Deum coluerit: quia ante ipſum Abel & Cain idem egerunt, & proculdubio etiam Adam atque Eua: ſed quia primus certos ritus ac ceremonias, cultumque religionis, veluti initiatus è cœlo ſacerdos adhibuerat, vt caſtius & rectius Deus coleretur. Imitati ſunt eum deinde moribus ſimillimis geniti, & educati Cainan Melaleel, & Iared, & pietatis huius lampadem filijs tradiderunt, quam Enoch geſtauit: nec inuocauit modo nomen Domini, ſed quaſi familiarius agens, ambulauit cum Deo.

Ambulauit Enoch cum Deo. Sanctus Hieronymus id ita explicat, *hoc eſt*, in- In quaſt. Hebr. ſuper Geneſ. quit, *illius veſtigia ſequebatur.* Chaldæa paraphraſis habet. *Ambulauit Enoch in timore Dei.* Septuaginta verò Interpretes, *Enoch placuit Deo*: nec aliud ſimiles locutiones ſcripturæ ſacræ plerumque ſignificant. Igitur piè, caſtè, ſanctèque Enoch vixit, perinde ac ſi præ oculis Deum haberet perpetuò. Mirum eſt, nullam fieri mentionem de eo: an etiam hominibus placuerit: ſed auram & famam humanam affectare non debuit is; qui Deum & veram virtutem ſectabatur: Deo vni, qui placuit, is omnibus placuit. Sapienter autem Plato dixit, *non illius gratia, cuius vulgus exiſtimat, ſequenda virtus, & vitium fugiendum: hoc* In Theæt. *eſt, ne malus videaris, vtque bonus appareas: hæ namque anicularum nugæ mihi eſſe videntur.*

Nihil

Nihil etiam de opibus,& fortunarum eius apparatu, Hiſtória ſacra refert,& tamen à Diuo Ambroſio,diues admodum fuiſſe perhibetur. : ſed explicat ipſe quibuſnam opibus locuples fuerit. *Nemo eſt*, inquit, *diues, qui quod habet,hinc auferre non poteſt:quod enim hic relinquitur,non noſtrum, ſed alienum eſt. Diuos Enoch,qui quod habuit,ſecum tranſtulit: & omnem illum bonitatis ſuæ cenſum, cœleſtibus intulit receptaculis, qui ideo raptus eſt; ne cor eius malitia mutaret: diues Elias,qui virtutum ſuarum theſauros curru igneo ſublimis.ſedibus æthereis inuexit.*

Epiſt lib. 3. epiſt. 10.

Ambulauit Enoch cum Deo. Notat pulchrè Cardinalis Caietanus,in propoſitione illà *cum Deo*,indicari quandam amicitiæ ſocietatem.Senſus vero hic eſſe poteſt.Fuit Deo,& Dei voluntati Enoch per omnia conſentiens: nec aliter,quàm ſi amicus cum amico,& ſeruus cum Domino:ſed miti,placido, & benigno,ambularet:Ita vt poſſent inuicem vſurpare illud, *ambulauimus cum conſenſu.*

Dubitare licet;ad quemnam iter Enoch ſuum habuerit, quamdiu ambulauit cum Deo.Quotquot enim viatores ſumus,omnes potius tendimus ad Deum,quàm vt cum Deo eamus.Mira eſt profectò Dei bonitas, & mira felicitas famulorum eius.In altera vita iuſti ituri ſunt ad Deum. Interim in hac vita ipſe Deus ad iuſtos venit, & ſunt deliciæ eius eſſe cum filijs hominum.Quin & propemodum,dici poteſt, Deum in hac vita, propter iuſtos, eſſe *viatorem*,& iuſtos,qui ita perpetuo agunt,& verſantur cum Deo, etiam in hac vita eſſe *comprehenſores.*

METAPHORA XVII.

Videntes filij Dei filias hominum,quod eſſent pulchræ. Geneſ.cap.6.verſ.2.

OBIERAT Adam,in ætate mundi & ſua, D.CCCC.XXX. annorum,cui dare oporteret annos c I ↄ.ſi infantiam, pueritiam, adoleſcentiam expertus fuiſſet. Nepotes vidit, vſque ad nonam,& fortaſſe decimam generationem: & beneficio pœnitentiæ in gratia deceſſit e viuis, ſepultusque dicitur in Golgatha:qui Caluariæ locus nominari perhibetur,ex eius cranio,ſeu caluarie. Atque ita factum eſt,*vt ſanguis Chriſti pretioſus*,inquit Diuus Auguſtinus, *etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris,dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.* Decennio poſt Eua etiam obierat,ſepulta iuxta virum ſuum,& hoc

Serm. de Temp ſer. 71.

eodem

eodem anno, tranſlatus eſt Henoch iuſtus, qui, vt ferunt, Adam ſepelierat, cũ interfuiſſet rebus humanis annos totidem, quot ſol diebus explet anni periodum; nempe CCCLXV. Mortuus quoque iam erat Seth, vir iuſtus & pius, cum perueniſſet ad annos DCCCCXII. quibus ſublatis, libido & mali mores, & licentia omnis graſſari cœpit in Orbe terrarum. Et tunc *videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Philo Iudæus filios Dei exiſtimat fuiſſe filios Gigantum. fauere huic ſententiæ poteſt obſeruatio illa S. Hieronymi, qui notat verbum Hebraicũ אלהים *eloim* eſſe communis numeri; & Deum ac Deos ſimiliter appellari: *propter quod*, inquit, *Aquila plurali numero filios Deorum auſus eſt dicere, Deos intelligens ſanctos, ſiue Angelos. Deus enim ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.* Vnde & Symmachus, iſtiuſmodi ſenſum ſequens, *Videntes*, inquit, *filij potentum, filias hominum.* Fauet etiam Chaldæa paraphraſis, in qua habetur, *videntes filij Principum filias hominum.* Gigantes autem, vaſta corpora, & magnæ molis homines, iuxta Philonis ſententiam ijs magnis appellationibus Deorum, Potentum, & Principum videntur circumſcribi; & filij Gigantum, filij Deorum, filij Potentum, filij Principum nominari. Obſtat tamen Scriptura ſacra, quæ videtur potius inſinuare; ex filijs Dei, qui duxerunt filias hominum, Gigantes natos eſſe. Sic enim habet; *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis: poſtquã enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt: illi ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi.*

Quæſt Hebraic ſuper Gen.
Pſ. 8. v. 1.
Gen. 6. v. 4.

Ioſeph item Iudæus, putat eos filios Dei, fuiſſe Dæmones incubos. Neque diſſentit Tertullianus, qui, *vnum propono*, inquit, *Angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores fœminarum*: & alibi hæc habet. *Illi ſcilicet Angeli, qui ad filias hominum de Cœlo ruerunt: vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat.* Sed etiam S. Cyprianus peccatores, & Apoſtatas Angelos, ait ad terrena contagia deuolutos, docuiſſe fœminas omnem mundi muliebris vanitatem. Legiturque hoc inſuper, inter eiuſdem S. Cypriani opera. *Nos iam non valent flectere, qui nouimus & Angelos cum fœminis cecidiſſe.* Quin imo S. Ambroſius de Angelis putat, hoc ipſam ſcripturam ſacram aſſerere: *Non Poetarum*, inquit, *more, Gigantes illos, terræ filios vult videri Diuinæ ſcripturæ conditor: ſed ex Angelis, & mulieribus generatos aſſerit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem.* Nuſquam tamen hoc legi, ſed filios Dei, non Angelos ſcriptura ſacra nominauit. Hanc autem opinionem refellens Diuus Ioannes Chryſoſtomus: *primum oſtendant*, inquit, *vbi Angeli filij Dei appellati ſint: ſed non poterunt vſquam monſtrare. Homines quidem filij Dei dicti ſunt, Angeli autem nunquam.* Quamquam eſt hoc, initio libri Iob, vbi aſſeritur, in Concilio Diuino inter filios Dei, qui proculdubio erant Angeli, adfuiſſe etiam Satan.

Lib de Idololatria c. 9
Lib. de habitu Muliebri c 2.
De diſciplina & habitu vi g nũ.
De ſingularitate Clericorum
Lib. de Noe & Arca c. 9.
In c. 6 Gen hom 22.
C. 1. v. 6 & c. 2. v. 1.

Ceterum hoc loco, intelligi non debere, iſtiuſmodi filios Dei, fuiſſe Ange-

 los

los bonos, ſatis cõſtat; cum hanc ſententiam Theologi iam pridẽ hæreſeos dãnarint. Quo ad reprobos angelos; quis crederet, Moyſem, vocabulo honeſtiſſimo filiorum Dei, decorare voluiſſe dæmones incubos; qui contra honorem naturæ excellentioris, ſordidas libidines cum mulieribus exercuerint? Non inficior tamen, poſſe cum fœminis eos miſceri, & prolem humanam etiã generare. Tametſi.n. D. Ioan. Chryſ. inſaniæ, & demẽtiæ adſcribat id opinari, vt ſpiritualis natura, corporis complexum ferat. Experimẽtis id conſtare affirmat D. Auguſt. cuius hæc ſunt verba. *Quoniã creberrima fama eſt, multiq́; ſe expertos, vel ab ÿs, qui experti eſſent, de quorum ſide dubitandũ non eſt, audiſſe confirmant: Syluanos & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiuiſſe, & peregiſſe concubitum: & quoſdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiã, & tentare, & efficere: plures talesq́; aſſeuerant: vt hoc negare impudẽtia videatur.*

In c. 6. Geneſ Homi. 22.

Lib. 15. de ciuit. c. 23.

Et ſi verò S. Auguſt. textum præſentem exponens, ait, credibilius videri homines iuſtos hoc loco, filios Dei appellari, quã Angelos carnẽ nõ habẽtes, vſq; ad illud peccatum deſcẽdere potuiſſe. Subdit nihilominus; *Quamuis de quibuſdã Dæmonibus, qui ſunt improbi mulieribus, à multis tam multa dicantur: vt non facilè ſit de hac re definienda ſententia.* Neq; vrget magnopere id, quod infertur apud Caſſiatore nimirum, ſi ita eſſet, vt crebrò aliqui, ex eo conceptu dęmonũ, orirentur. Fortaſſe.n. tales fuere olim, qui ex Marte, Ioue, Mercurio geniti credebantur apud Ethnicos. Cũ interim eſſent filij hominum illorũ, à quibus ſemen incubi dæmones mutuabantur: quippe cum hi virtute propria non poſſent generare: in quo ſenſu fortaſſe id euenire poſſe, S. Ioan. Chryſoſt. & alij pernegarunt.

Collat. 8. c 21.

Certè incubos & ſuccubos dæmones etiã nunc reperiri, cõſentiunt Theologi, ac Philoſophi, & colligitur id manifeſte, ex cõfeſſionibus Reorũ, qui veneficij accuſantur. Vtriq; aũt ita obſequentes ſunt ſordidæ voluptati, vt ſuccubi concipere nequeant, incubi tamen poſſint generare. Hoc enim vt præſtent, ſatis eſt, ſi mutuum viri ſemen accipiant, & ſeruata eius virtute, illud in mulieris gremiũ infundant. Concipere nequeunt tamen, quia vteri vas ad id neceſſariò requiritur, cuius diſpoſitiones diabolus nequit ſupplere. Vt propterea ſit meritò is arguẽdus delirij, qui iactauit, ignis vi temperata poſſe à ſe in phiala hominem generari, & porrò genitum ſemel fuiſſe: & ſi non fuit vitalis. Neq;.n. ſicut pullos auium intra oua, calore mitigato, ita hominẽ, quis generet, ad quẽ vtique, perfectiſſimũ inter animalia, ſola poteſt ſufficere materni vteris conditio: cũ pro auibus, etiã ex ipſius naturæ inſtitutione, oua ſuppleãt, & gerãt vteri vicẽ.

Delrius disq. Mag. l. 2. q. 15.

Paracelſus

Itaq; poſſint mali dæmones hac incontinentiæ labe interdum inquinari: nõ propterea eſt admittenda Ioſephi ſententia, vel eſt aſſerendum, filios Dei, de quibus meminit Hiſtoria ſacra, dæmones incubos fuiſſe. Neq; illa ratio etiam id euincit, videlicet corpora Gigantũ immania, qualia filij Dei procrearũt, nõ niſi à parentibus præditis virtute maiori, quã humana, produci potuiſſe. Nã etſi fateor, poſſe facilius hæc præſtari à dæmone incubo, qui colligere humani ſe-

minis copiã vberiorẽ queat,&infũdere eã vtero mulieris,atq; diſponere ad grã-
dẽ fœtũ:Cur eadẽ nequiuerint homines,tunc ſtatura proceriore,æſtuantes libi-
dine,& inflammari vehemẽtius pulchritudine mulierum? Hæc ſola certè cauſa,
& vis maior voluptatis,quę plus ſeminis ſemper excernit,poteſt,citra omne du-
biũ,corpus grandius generare. Quemadmodũ infanti ſæpè,humeri plus nimio
extuberant,aut biceps aliquis & bicorpor,& quadrimanus naſcitur: quia ſemẽ,
vel in humeris,vel in capite,vel in toto corpore,antrorſum,ſeu retrorſũ,dũ for-
maretur fętus,redũdauit. Sanè in hoc nõ excedi vires humanas,vt quis iuſtæ ma-
gnitudinis cũ ſit,gigantẽ generet,etiã ex hiſtorijs poteſt euinci. Narrat .n.S. Aug. *Lib. 15 de*
Romæ,paulò ante quã à Gothis ea vrbs dirueretur,natã ex parentibus iuſtæ mẽ *ciu. c. 23.*
ſuræ,fœminã:corpore gigãtæo:& eius viſendæ cauſa illuc innumeros cõfluxiſſe.

Videntes filij Dei filias hominũ, quod eſſent pulchræ. Ijs opinionibus reiectis, ſupereſt
vt aſſeramus,hoc loco potius deſcribi proſapiam ſeminis benedicti: nepotes ni-
mirum Seth,& Enos filij eius. Cyril. Alexandrin. *Genus Cain*,inquit,*filij hominum,* *Lib. 9.*
Genus Seth,& Enos,qui Deus appellatus eſt,filij Dei. Idem habet S. Ioan. Chryſ. præter *contra Iu-*
alios Patres,& Interpretes cõmuniter. Peculiariter Theodoretus hanc adfert o- *lian* *In c. 6.*
riginẽ,ſeu cauſam eius glorioſæ appellationis. *Attente*,inquit,*Scriptura Diuina legi* *Gen. Ho-*
debet,quæ ait,ex Adam Seth,ex Seth Enos natum eſſe:deinde addit,iuxta interpretatio- *mil. 22.*
nem Aquilæ,*tunc cœptũ eſt vocari,in nomine Domini. Id eſt,Enos primus,ob inſignẽ pietatẽ*
Dei appellatione dignus eſt habitus: vnde ex illo nati, filij Dei dicti ſunt,vt à Chriſto Chriſtia-
ni. Habet ſimilia Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus,in hæc verba: *Diuinus Enos,qui à* *In Script.*
Seth genitus, ſperauit inuocare nomen Domini,hoc eſt,dici Deus apud alterum. Quoniam e- *ſacram*
nim erat omni virtute ornatus,ipſum Deum nominabant quidam vtique ex probis, ſummo *q. 25.*
honore eum coronare ſtatuentes. Admirantes enim,vt dixi,iuſtitia quæ ei inerat, magnitudi-
nem,Deum protinus eũ nominabant: Viri virtuti exiſtimantes maximè conuenire cognomen.

Siue igitur hoc illuſtre cognomentum Enos reipſa inter homines obtinue-
rit:ſiue ob pietatẽ in Deum,ob iuſtitiam,ob temperantiam, quam poſteri Seth
coluerant,retinuerint perfectè imaginem Dei, adeò vt filij Dei appellari meru-
erint,& imago illa,quæ in ipſis exſplenduerat, dederit occaſionem ſanctæ huic
appellationi: hi filij Dei,tamdiu felices,quamdiu eorum oculos voluptas non
faſcinauit, *videntes filias hominum, quod eſſent pulchræ,acceperunt ſibi vxores ex omnib.*
quas elegerant. Pulchritudo hæc nimirum ſcopulus eſt,naufragijs multorum iam
pridem infamis:in quo vtique,tot iuſti periclitati ſunt,vt inſtar miraculi cenſea-
tur,quempiam incolumem diu coram eo nauigare.

Attamen ipſius pulchritudinis vitium hoc non eſt,cum ea ſit donum Dei,&
cum ſit radius quidã Diuinæ amœnitatis, Solũ illa male amatur:quando ei poſt-
ponitur Deus. Vtar comparatione ſancti Auguſtini: qui ait ,quemadmodum
iuſtitiã deſertã , aurum amatur ab auaris,nullo peccato auri , ſed hominis ,ſic
euenire , vt aurea venuſtas , florens forma,lumen iuuentutis, nullo ſui crimi-
ne, à nobis perperam ametur. Addam etiam , neque oculi aſpicientis vitium

hoc eſſe, quia is ruinæ cauſa non fuit, ſed fuit ſola voluntas: nam oculus ideo factus eſt, vt dum videt opera Dei, admiretur, & ſuſpiciat in eis præſtantiam
In c.6.Gen. homil 22. Conditoris. *Itaque*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *oculi opus eſt videre, malè autem videre à mente eſt, quæ intrinſecus gubernat.*

In quæſt. Hebr. ſuper Gen. Lib 15. de Ciuit. c.23. Notare etiam illud eſt, quod ait S. Hieronymus, nempe in alia translatione legi; *videntes filij Dei filias hominum, quia bonæ ſunt.* Eandem variationem in textu conſiderat, & explicat S. Auguſtinus dicens: eſſe conſuetudinem ſcripturæ ſacræ: vt ſpecioſos corpore bonos appellet: nec mirum, quia Hebraicè טוב *tob*, & bonum, & pulchrum ſignificat. Cum igitur primus generis humani ſermo, hæc duo idem eſſe nos doceat: pudeat nihilominus, illud vere nimium circumferri,

Rara eſt concordia formæ,

Atque pudicitiæ.

Pudeat vocabula facilius conuenire, quam mores. Cœperat verò iam tunc ea deprauatio: ſiquidem eædem illæ filiæ hominum, quæ erant pulchræ, haud erant ſimul etiam bonæ. Illico pepererunt Gigantes, & nata ex earum nuptijs, pariter eſſe magna vitia, & magna corpora, interpretari poſſumus.
In epiſt. ad Ianuar. de recipiendis lapſis. Ibidem. In quæſt. Hebr. ſuper Geneſ. *Expectas*, inquit Bachiarius, *donec Gigas, inimicus tuus, efficiatur? Sed ſi vis ſcire, iam Gigas eſt.* Et paulo poſt: *enormis nimium, & vltra ſtaturam peccaminum reliquorum Gigantis forma eſt. Deniq; harum filij quæ pulchræ, ſed non ſimul bonæ fuerunt, dicuntur Gigantes, & potentes à ſæculo, viri famoſi.* S. Hieronymus verò ait, in Hebræo haberi: *cadentes erant in terra, in diebus illis, id eſt*, נפילים *nephilim*: vere cadentes, ruentesque ſunt eiuſmodi ſoboles pulchritudinis, quam virtus & probitas non comitatur non ſunt diuturnæ, nec manebunt in perpetuas æternitates.

METAPHORA XVIII.

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Gen. c.6. v.3.

In Gen. c.6. VIDETVR Abulenſi hoc loco Deus, nomine ſpiritus ſui, exprimere ſuam indignationem, quaſi diceret, etſi ego ſum iratus generi humano, ira hæc mea non erit ſempiterna, quia homines caro ſunt. Sanctus Hieronymus etiam hac interpretatione vſus eſt, dum referens aliam verſionem ex Hebræo nempe; *Non*

pe, *Non iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt.* Sic eum *In quæſt. Hebraicis*
textum explicat, *Hoc eſt, quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſeruabo* *ſuper Gen.*
cruciatus, ſed hic illis reſtituam, quod merentur. Et deinde infert; *Ergo non ſeueritatem, vt in noſtris codicibus legitur; ſed clementiam Dei ſonat, dum peccator hic pro ſuo ſcelere viſitatur. Vnde & iratus Deus loquitur ad quoſdam: non viſitabo filias eorum, cum fuerint fornicatæ, & ſponſas eorum cum adulterauerint. Et in alio loco: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum: verumtamen miſericordiam meam non auferam ab eis.* *Ibidem.*

Verum etſi non ignoro, nomine ſpiritus in Scriptura ſacra iram interdum ſignificari; in quo ſenſu accipi debet illud apud Iſaiam; *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus eſt in naribus eius:* alia interpretatio mihi magis arridet, & commodior eſt ad huius textus expoſitionem: in quo Deus videtur decernere, de morte hominum, in pœnam ſceleris eorum: ſi nimirum intelligatur Deus, animam hominis vocare ſpiritum ſuum. Quaſi diceret, eam vtique non permanſuram in homine in æternum, quia caro eſt, & quia homo viuit adeo perditè, quaſi anima deſtitutus, & ſola eſſet carne circumdatus. *Quia caro ſunt,* inquit Sanctus Bernardus, *id eſt carnales, & quidquid in eis ſpiritus fuerat, in carnem euanuit.* Vel, vt loquitur S. Ioannes Chryſoſtomus, *eo quod carnalibus operibus ſeipſos totos dedunt, & animæ ſubſtantia abutuntur: quaſi ſola carne circumdati, anima carerent, ſic vitam ſuam abſumunt.* C.2.v.22. Serm.3. de Aſcenſ. Domini. In c.6.Gen. hom.22.

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Itaque animam hominis vocat Deus ſpiritum ſuum, & in his verbis humanæ animæ dignitas aſſeritur magnificè. Sic enim appellatur, quaſi ſit particula ſpiritus Dei; quaſi ſit halitus diuini pectoris, quaſi ſit amoris aura, & ſuſpirium diuinitatis. Confirmat interpretationem hanc Sanctus Auguſtinus, dum *ſpiritu Dei*, inquit, *e rant facti Angeli Dei, & filij Dei: ſed declinando ad inferiora, homines dicuntur, nomine naturæ, non gratia: dicuntur & caro, deſertores ſpiritûs, & deſerendo deſerti.* Quoad alteram appellationem: caro, vt rectè notat Diuus Gregorius, aliter dicitur, iuxta naturam, vt in Euangelio; *Verbum caro factum eſt*, & in ſacra Geneſi, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:* aliter dicitur iuxta culpam, vt in textu præſenti: & in pſalmis, *recordatus eſt, quia caro ſunt: ſpiritus vadens, & non rediens:* ſed de hac appellatione alibi ſuo loco dicendum erit. Lib.16.de Ciuit. c.23. Lib.14.moral.c.31. Ioan.c.1.v.14. Gen.2.23. Pſ.77.39.

Vt regrediar ad animam hominis, ſpiritum Dei: diuerſis modis transfertur ex Hebræo verbum *non permanebit*, & diuerſas, nec eas inutiles habet ſignificationes. Primò ita redditur, *non diſceptabit, non certabit, non litigabit ſpiritus meus in homine in æternum.* Senſus erit, anima collocata in homine fuerat, vt quaſi Præſes, & vindex, legem alienam, quæ eſt in membris corporis, ſubigeret legi mentis, vt diſceptaret, aduerſus motus rebelles carnis, vt ad normam recti inferiorem Rempublicam ordinaret. Sed homo abiit poſt deſideria carnis, de-

ſit animus eius, eſſe pręfectus Prętorio parui mundi; ſedere pro tribunali; ius dicere inferioris animæ poteſtatibus; & ſenſus atque affectus, quaſi vulgus, compeſcere, & coercere, dum ab ijs regimen animi perturbatur. Itaq; dixerit Deus, cùm videam animum in homine, ſpiritum meum, & vicarium in eo poteſtatis meæ, non manſurum deinceps, ſicut diſpoſueram, in eo gradu dignitatis: ſed ceſſurum alteri regimen, delebo hominem, quem creaui.

Non admodum variat translatio alia, quæ ſic habet: *non iudicabit ſpiritus meus in homine in æternum: non imperabit: regium locum ratio impoſterum non habebit.* Atq; idem ſenſus erit: nempe anima, non ea erit amplius in homine, quæ ſciat reprobare malum, & eligere bonum; imperare ſenſibus, & perturbationibus ſuis: & regio iure illis dominari: quia omnis caro corrupit viam ſuam: quia ſtat pro ratione voluntas: quia pro æquitate libido gerit principatum. Ceterū anima ſemper in nobis deberet eſſe regio ſolio, & loco, quoniam habet exercitium ſupremi dominatus: habet vſum poteſtatis regiæ, nec vllum eſt tribunal ſublimius, ad quod liceat prouocare. Lex enim rationis eadem eſt, cum lege ſempiterna: & vnum, atque idem tribunal conſtituunt Deus, & recta ratio.

Apud Lippomanum in catena. Quidam alij legunt, *non vaginabit, ſeu non vaginabitur, ſpiritus meus in homine in æternum.* Quaſi ſpiritus Dei, ſeu anima in corpore, ſit gladius in vagina. Ita Diogenes iuueni pulchro admodum, ſed perditis moribus, dixit: *plumbeū gladium habes, in aurea vagina.* Ius gladij, tanquam princeps, animus habet, imo inſtar gladij eſt, vt amputet vitiorum, ac motuum rebellium capita, quæ inſurgunt aduerſus Rationem, & vſurpat eius Principatum. Eſt ipſius munus, decuſſis capitibus infimarum ſeditionum, & reciſis perturbationibus, quæ ſe aduerſus mentem erigunt, efficere, vt mens in tranquillo agat, & vt præſit cū virtutis ſecuritate. At homo, ait Deus, iam caro eſt, & ſolum perficit deſideria carnis: quæ tamen deberet anima, quaſi gladius acutus, interficere. Cum in illo itaque adeo ſit deprauatus ordo: & cum dominetur is qui debuit ſeruire, ſeruiat verò is, qui debuit dominari: non permittam, vt ſint amplius ambo in eodem contubernio, diſſoluam conſortium hoc, & *delebo hominē quem creaui.*

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum. Eſt in Hebræo codice לְעֹלָם *leolam:* quæ vox non ſignificat ſemper vniuerſam æternitatem: ſed certum, & longum interuallum temporis. S. Auguſt. notat, locutionem ſcripturarum ſæpè numero eſſe, vt æternum appellent, cuius rei finis non conſtituitur. Hoc pacto Abrahæ in æternum, fuit promiſſa regio, in qua peregrinabatur, & Regnum perpetuum fuit promiſſum Dauidi, atque eius ſucceſſioni, quæ vtraque promiſſio aliquando finem habuit. Senſus eſt proinde, minime continuandā ad plura ſecula, ſicut diſpoſuerat Deus, hominum ſucceſſionem, ſed interrūpendam ad certum interuallum temporis, in quo non erat amplius permanſurus Spiritus Dei in homine, ſed animæ ſeparandæ à corporibus eorum erant,

Quæſt. ſuper Gen lib. 1. q. 31.

rant, vt ſtirps humana, iam deprauata, fere penitus exſcinderetur.

Porrò, inquit, S. Hieronymus, ne videretur Deus in eo eſſe crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dediſſet, adiecit, ſed erunt dies eorum centum viginti anni, hoc eſt, habebunt centum & viginti annos ad agendum pœnitentiam. Et deinde infert, non hic præfiniri periodum humanæ vitæ, quã noui homines non eſſent habituri adeo diuturnam, atque habuerant priſci homines, qui eos anteceſſerant: ſed centum & viginti annos pœnitentiæ eorum, qui tum viuebant, conceſſos deſcribi: alioqui poſt diluuium, multi ducentos, & trecentos annos vixerunt: eademque explicatio eſt S. Auguſtini, S. Ioannis Chryſoſtomi, Abulenſis, & aliorum Interpretum. Aduertit tamen idem S. Hieronymus, quia homines pœnitentiam agere contempſerunt, Deũ non expectaſſe vſque ad conſtitutum tempus, ſed citius, annis viginti, hoc eſt anno centeſimo, diluuium induxiſſe.

In quaſt. Hebr. ſuper Gen.

Ibidem.

METAPHORA XIX.

Pœnituit Deum, quod feciſſet hominem. Gen. c. 6. v. 6.

HÆc vna eſt, ex locutionibus illis ſcripturæ ſacræ, in quibus, vt verbis vtar Ruperti Abbatis, *laborat ſermo Diuinus: & quaſi in verſanda nimiæ magnitudinis mole, penè confringitur: dum illud intellectui noſtro planum facere intendit: quod ſatis exprimere nullus ſenſus ſufficit. Videlicet, quomodo Deus, ſine motu ſæuiat, & ſine crudelitate, occidat: quomodo ſalua pietate vltionem, & cum tranquillitate agat, vel habeat furorem.* Quod autem hoc loco dicatur, Deum pœnituiſſe, ait Rupertus Abbas, hoc pietatis fuiſſe, iuſtitiæ verò, & ſeueritatis fuiſſe quaſi edictum, interpretatur verba illa, *delebo hominem, quem creaui.* Adeò ſemper in Deo pietas, & miſericordia, cum iuſtitia, & iudicio miſcentur. Videatur itaque ſenſus, quaſi hominem non creare maluiſſet Deus, quam neceſſitatem habere triſtius, & ſeuerius de eo ſtatuendi.

Lib. 4. in Gen. c. 15.

Ibidem.

Pulchrè ſanctus Bernardus, hanc eandem pietatem Dei in ijs verbis contemplatur: interpretatur enim id, quaſi filius Dei hac ratione fuerit peculiariter loquutus. *Pœnitet me feciſſe hominem. Pœna*, inquit, *me tenet, mihi incumbit, ſuſtinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine, quem creaui. Tunc ergo dixit, ecce venio: non enim poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum. Et accerſito Gabriele, vade, inquit, dic filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit.* Sic in ijs ver-

Serm. 1. de annuntiat. B. Virg.

verbis contineri putat, veluti abyſſum quandam miſericordiæ, & conſilium, ſiue decretum de futura aliquando Verbi Diuini Incarnatione.

Lib. 20. Moral. c. 24. Sed vt ad eam locutionem Dei, Deo inuſitatam regrediar, S. Gregorius etiam agnoſcit, & fatetur, aliquid indignum de Deo, interdum in ſcriptura ſacra, proferri: ſed eo conſilio id fieri, ait, vt permoueatur legentis animus: pauloque poſt, magnificè admodum; *penè omne*, inquit, *quod de Deo dicitur: eo ipſo iam indignum eſt, quod potuit dici. Nam cuius laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia; quando ſufficiet loquens lingua?*

In c. 8. Gen. homil. 22. Paulo aliter textum hunc reddit S. Ioannes Chryſoſtomus, *animo retractauit*, inquit, *Dominus Deus, quod fecit hominem de terra*. Et deinde ſubdit: *Vide iterum verbum craſſum, & noſtræ prauitati idoneum. Animo retractauit*, inquit, *pro pœnituit: non quod pœnituerit Deus, abſit: Sed iuxta humanam conſuetudinem loquitur Deus: vt nos doceat, quod enormia illorum peccata, miſericordem Deum, indignari fecerunt. Nõ enim propter hoc, ipſum produxi*, inquit, *vt tanta ruina lapſus, ſibi ipſi perditionis fieret autor*. Satis conſtat ceteroqui, Deum pœnitentiæ, retractationi, & mutationi obnoxium non eſſe: & metaphoricè tantum hæc dici. *Neque enim*, inquit S.

Lib. 15. de Ciuit. c. 23. Auguſtinus, *ſicut hominem, ita Deum, cuiuſquam facti ſui pœnitet, cuius eſt de omnibus omnino rebus, tam fixa ſententia, quam certa praſcientia. Vnde tropica locutione hic pœnituiſſe legimus Deum*. Tropum eundem S. Thomas ita explicat: vt ſicut nos,

P. P. Q. 19. Ar. 7. ad 1. pœnitere tum dicimus rei alicuius iam factæ, quando rem illam deſtruimus: ita Deum pœnituiſſe videatur; quando voluit deſtruere hominem, quem prius

Ibidem. creauerat. *verbum iſtud*, inquit, *de Deo metaphoricè intelligendum eſt, ſecundum ſimilitudinem noſtram: cum enim nos pœnitet, deſtruimus quod fecimus*. Poſſe id verò abſque mutatione voluntatis contingere; ne inconſtantia, aut variatio notetur in Deo, exiſtimat. Cum *etiam aliquis homo*, inquit, *abſque mutatione voluntatis, interdum velit aliquid facere, ſimul intendens poſtea illud deſtruere*. Sic Architectus præſtruit ſibi ex argilla idæam ædificij, mox eandem vtique deſtructurus, vbi domum illi ſimilem exædificauerit.

Itaque rem mutauit quidem Deus; conſilium verò non mutauit, addo etiam, nec mutauit verbum ſuum. Neque enim, dum affirmauit de ſingulis, quæ creauerat in mundi exordio, quod ea eſſent bona, de Homine idem dixit; ſed

Gen. c. 1. v. 31. vſus eſt communi elogio: nempe *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Videre in Deo, eſt affirmare, ac loqui: non vidit, ſeu non affirmauit Deus peculiariter, quod homo eſſet valde bonus: quia præuidit periculum, ne id reuocaret: quando pœnituit eum quod feciſſet hominem, & quando homo inuentus eſt eſſe valde malus. Niſi dicere velimus, ſubticuiſſe hoc Deum de homine ideo, quia in ipſo, à liberi arbitrij recto, vel prauo vſu deprehendi oportuit, dicendus ne eſſet valde bonus, an verò potius valde malus. Itaque ſi hoc fuit, ſola præſtantia homini nocuit, nec vertere debet alieno id vitio, ſed ſuo, cum in licentiam mutauerit donum aureæ libertatis.

Pœni-

Pœnituit Deum, quod feciſſet hominem, ſi peccati tam enormis eſt conditio, quæ vel Deum adigeret ad pœnitentiam, & ad dolorem cordis: niſi Deus expers harum perturbationum eſſet: Enimuero nobis plus quam robur, & æs triplex, circa pectus inhæret, quandoquidem in peccati eiuſdem ſubmerſi cœno, ducimus nihilominus dies amœnos, nec vllatenus, ob illius grauitatem, ſalutari pœnitentiæ mœrore contriſtamur. Pœnituit Deum, feciſſe hominem, quia peccauit homo: hominem ipſummet non pœnituit, qui peccauit: Deus interea ſæpe humanas imperfectiones quodammodo præſefert, dum occupatur circa hominem imperfectum. Et ſicut iam eum pœnituit; dum de pœna hominis ſtatueret, ita cum remitteret eadem pœna: & cum circumacti eſſent dies illius æſtuarij magni, in quo ſubmerſus eſt Orbis terrarum, *Recordatus eſt Noe, cunctorumque animantium:* nempe ita ſe gerere viſus eſt, ac ſi ad tẽpus, ipſius Noe obliuio eum cœpiſſet. Aliquanto poſt, dum ſuperbiæ humanæ faſtigium, cum Turri Babel in cœlum erigeretur, *deſcendit, vt videret ciuitatem:* more hominum videlicet, qui quando diſtant, propius accedunt, vt diſtinctè videant. Deſcendit verò Deus: non mutando quidem locũ, cum Deus vbique ſemper ſit, ſed miraculo confuſi ſermonis, ſe oſtendens præſentem ijs, qui ipſum veluti abeſſe, opinati fuerant, & non intueri, quidnam eorum ſuperbia moliretur.

Gen. c. 8. v. 1.

Gen. c. 11. v. 5.

S. Ioannes Chryſoſtomus, & Philo Iudæus etiam notant, Deum dici deſcendere; & accedere ad nos, quando progredi deſcribitur ad iudicium, aut ad vindictam aliquam: quaſi veniat lento gradu, vt rem clarius diſcutiat, & vt maturius deinde puniat. Sed hoc loco præterea deſcendere congruè Deus perhibetur, vt intelligant ſuperbi, quantumuis ſemper aſcendat ſuperbia eorum: nunquam futurum, vt altè adeò nitatur: quin ipſe Deus ſit in loco excelſiore, ac deſcendere plurimum debeat, vt ad faſtum humanum, ſpecie ſublimem, reipſa humilem perueniat, quo illum deprimat, vſque in profundum abyſſi, vbi eſt propriè Regia ſuperborum. Non diſſimilia ſunt illa, quæ habet S. Auguſtinus, dum *videte,* inquit, *miraculum magnum, Altus eſt Deus, erigis te, & fugit à te: humilias te, & deſcendit ad te. Quare hoc? quia excelſus eſt, & humilia reſpicit, & alta de longe cognoſcit. Humilia de proximo reſpicit, vt attollat, alta, id eſt ſuperba, de lõgè cognoſcit, vt deprimat.* Itaque manet illud, quo altiora hominis ſuperbia cogitat: eo longius diſtare Deus ab eo deprehenditur. Interim ex iis locutionibus illud animaduertere ſit: tantam eſſe peccati contagionem & luem, vt ſi fieri poſſit, Deum etiam inficiat: & quamuis ei nequeat propriam nequitiam, hoc eſt venenum præcipuum, affundere: videatur ſaltem ipſas naturæ deprauationes, perturbationesque ei accommodare quodammodo, & propemodum communicare. Ceterùm ſicut laudabiliter ſcriptura ſacra tribuit Deo anthropopathiam, ita impiè olim, Hæretici nonnulli, anthropomorphoſim ei tribuerunt.

Serm 175. de tempore.

METAPHORA XX.

Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. Gen. c. 6. v. 11.

CRedit his verbis ſignificari Card. Caietanus, corruptionis hominum, terram participem redditam fuiſſe: & Deum, qui iam peccata hominum conſiderauerat, intuitum figere in eorum habitationem, quaſi Iudicem, qui ſit puniturus etiam locum, vbi Rei deliquerunt. Hoc certè videtur agere voluiſſe. Siquidem, vt

Pſal 106. v. 34. Regius Vates loquitur, *poſuit terram fructiferam, in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Quemadmodum Reges, ac Duces victores, vrbibus & Regio-

Iudic. c. 9. v. 45. nibus euerſis ſal in ijs ſerebant, vt agri ſteriles efficerentur, quod egit Abimelech, in oppido Sichem: Ita Deus diluuij ſalſis aquis minuit terræ fœcunditatem. Propterea verò Abulenſis, Eucherius, & ſcriptores alij putant, vitam hominum deinceps multo breuiorem fuiſſe, quia locus nutrimentorum humani generis, vim germinandi priſtinam, & validam amiſit, & ideo tunc primum ij, qui ante diluuium, ſolis frugibus contenti vixerant, veſci carnibus dein cœperunt: vt idem Eucherius arbitratur.

Sed enim tametſi hæc fortaſſe ita ſe habeant; & tametſi quando plectuntur magnorum criminum Rei, conſueuerint ſolo æquari, & ſimul quodammodo pœnas luere domus eorum: exiſtimem potius, in ijs ſcripturæ ſacræ vocibus metaphoram contineri, quam agnoſcere videtur etiam S. Ioannes Chryſoſtomus: dum *nonnunc terra*, inquit, *hominum multitudinem vocat, eo quod o-*

In c. 6. Gen hom. 24. *mnia eorum opera terreſtria erant, & idcirco terræ nomine, & eorum vilitatem, & mali-*

Ibidem. *tiæ eorum excellentiam ſignificat.* Idem repetit in verbis illis. *Vide quomodo illos, ne tenus quidem memoria dignatur: ſed nomine terræ vocat, ſimul indicans, & Dei indignationem, & peccatorum grauitatem.* Enimuero de ijs hominibus, poſt varia eorum, & adeo grauia peccata, dictum illud idem meritò fuerit, quod de primo ho-

In Pſ 118. ſerm. 4. mine, poſt primum peccatum dictum eſt. *Peccatori autem dictum eſt*, inquit Sanctus Ambroſius: *terra es, & in terram ibis, eo quod diuinis mandatis inhærendum non putauerit: ſed in materialia & corporalia deflexerit: cui impreſſa fuerit vitæ huius ſacularis delectatio.* Huc etiam ſpectat, Deum comparaſſe deinde filios Abrahæ, cum cœli ſideribus, & cum puluere ter-

ræ: quaſi, iam tum deſignauerit vtrumque ſtatum eorum, nempe virtu- *Gen. c.22. v.17.*
tis & prauitatis. Quamdiu enim iuſti permanſerunt, ſtellarum inſtar, erant, quas nemo attingere, aut lædere poteſt. Quando autem improbi euaſerunt: ſicut puluis terræ in omnem ventum, & in omnem regionem cœpti ſunt ſpargi, & vbique conculcari.

Corrupta eſt terra coràm Deo, olim qui erant ignobiles, ij filij terræ, & fratres Gigantum ſolebant appellari: nam genitos Gigantes ex terra matre, in fabulis ſuis Poetæ finxerunt. Aptè etiam ſacer Hiſtoricus, terræ vocabulo exprimit homines, qui verè germani fuere Gigantum, viri potentes, viri vitiis æquè, ac mole corporis famoſi, Dei & mandatorum eius contemptores; & idcirco nullius nominis, honoris, ac nobilitatis, quia dixit rectiſſimè Deus, *qui contemnunt me, erunt ignobiles*, & *1. Reg. c.2. v.10.*
de iiſdem ſcribitur, *recedentes à te in terra ſcribentur.* Terrâ nihil contem- *Ier. c.17. v.13.*
ptibilius, habet à terendo nomen, & à fœdis quibusque belluis teritur, ac proculcatur.

Id peccator in ſe etiam experitur, in quo vtique mens, & animus, hoc eſt inſitus ille ac familiaris morum Præſes, ac vitæ magiſter, à vitijs tanquam à feris peſſimis calcatur ac teritur, & appellationem terræ etiam ipſe ideò meretur. Ad hæc vndique tellus recedit à cælo, & ſi alicunde ſuſtolleretur, reſiliret ſponte ſua, & impetu magno. Nec alia peccatoris eſt conditio, quem ad ima, impetu ſimili, vitia procul à cælo retrahunt, ſi quando perſuaſionibus & monitis pijs permoueatur, vt cœleſtia meditetur, & vt appropinquet ſuperis, ac Deo.

METAPHORA XXI.

Omnis caro corruperat viam ſuam. Gen. c.6. v.12.

NOMEN ſumitur, vt aiunt Philoſophi, à parte magis præcipua: & ideo cùm in homine, iam corruptelis deprauato, non mẽs quidem, ſed caro rerum potiretur, atque imperaret loco rationis, homo debuit caro à Deo nuncupari. *Qui*, vt loquitur S. Ioannes Chryſoſt. *neque nunc hominis appellatione, eos dignatur,*

In c. 6. Gen. hom. 24. *ſed carnem vocat.* Et paulo poſt, *carnis nomine eos vocauit, ſpoliatos communis naturæ vocabulo.* Secus de viris perfectis, in quibus cernebatur ratio iterum dominari, aduertit idem S. Ioannes Chryſoſtomus, negari quod caro ſint, vel in carne maneant: nam alibi hæc habet. *Quemadmodum Paulus dicit. Vos autem non eſtis in carne, non quod non carne circumdati eſſent: ſed quia carne circumdati, ſuperiores erant carnalibus affectionibus, & ſenſibus.* Vnde manauerit iſta corruptio, explicatur à Diuo Ambroſio his verbis: *Caro cauſa fuit corrumpendæ etiam animæ: quæ velut origo, & locus eſt quidam voluptatis, ex qua, velut à fonte, prorumpunt concupiſcentiarum, malarumque paßionum flumina, lateque exundant. Quibus demergitur, anima quodam excuſſo Gubernatore, remigium: cum ipſa mens velut quibuſdam tempeſtatibus, & procellis victa, loco ſuo cedit.* Sic ipſe, & merito naufragium naufragio punitur, mergiturque diluuio ea caro, quæ ſpiritum demerſerat.

In c. 6. Genhomil. 12.

Lib. de Noe & Arca c. 5

Similia habet, etſi ſub alia metaphora, aurigæ, Diuus Ioannes Chryſoſtomus, qui non membris quidem noſtris, vtpote vtilibus, & conditis à Deo ad faciendum bona: ſed animæ, ait, damnum hoc adſcribi debere. Et mox de eadem anima ita loquitur: *Poſtquam hæc negligens eſſe, & habenas laxare cœperit, quemadmodum auriga, neſciens indomitorum equorum ferociam compeſcere, permiſſis frenis, & equos currum trahentes, & ſeipſum in præceps ire facit. Sic planè & voluntas noſtra: quandoquidem neſcit membris, vt oportet, vti, indulgens inordinatis concupiſcentijs, ſeipſam ſubmergi facit.* Abripitur in præceps, & de ea poteſt dici.

In c. 6 Gen. homil. 12.

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Omnis caro corruperat viam ſuam. Homo qui datus eſt in reprobum ſenſum, & caro, ſunt eadem res, & idem nomen: nec immerito, caro enim ex corruptione oritur, ex corruptione alitur, in corruptionem reſoluitur. Cognata homini malo eſt corruptio, ex qua gignitur, ex qua ſaginatur, in quam deſinit caro, cum homo futurus ſit eſca vermium; & dum viuit, niſi mens eum regat, ſit verius cadauer hominis, quàm homo. Viuit enim, quaſi ſola eſſet caro, ſola autem caro cadauer eſt. Quæ fuerint peccata, quibus tum corruperat omnis caro viam ſuam, ſcriptura ſacra & S. Patres ſingillatim non exprimunt: ſatis vero conijci poteſt, ea fuiſſe vitia, quæ ex ſentina carnis, & ex putri eius ſitu, ac marcido cæno exhalantur. *Mos enim ſcripturæ eſt,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *carnalia ſapientes, & nihil ſublime cogitantes, carnis nomine appellare: ſicut & Beatus Paulus inquit, qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Deinde interrogat, *quid igitur, non fuit in carne, & is, qui hæc dicebat? non hoc dixit, quod qui carne circumdati ſunt, Deo placere non poßint: ſed de his, qui nullam virtutis rationem habent, & nihil, niſi carnale ſapientes, carnis voluptates ſectantur, nullamque animæ incorporeæ & ſpiritualis curam gerunt.*

In c. 6. Gen. hom. 24. Ibidem.

In Gen. c. 6. Cum de alijs vitijs tamen conceſſerim textum præſentem exponi poſſe, haud ſuffragari velim Abulenſi, qui arbitratur illis verbis, *omnis caro corruperat*

viam ſuam, indicari,eius æui homines,deditos fuiſſe vitio præpoſteræ libidinis:præſtat enim adhuc ad aliquot ſecula,de homine hanc infamiam ſilere,& eam differre ad Ciuitates,quas veroſimilius eſt cum nomine,huic ſceleri etiam originem dediſſe,ſaltem nullum eius veſtigium extat in ſcriptura ſacra ante Geneſeos caput xviii.& xix.& ideò dum iam dicitur, omnis caro corrupiſſe viam ſuam,non eſt neceſſe id interpretari,de via peccandi naturæ contraria,ſeu de vitio præpoſteræ libidinis.

S.Ambroſius,*via ſua*,inquit,*in paradiſo erat,in illo beatitudinum tramite, in illo virtutum flore,in illa incorruptibili gratia:quam viam,terrenis inquinauit veſtigijs*. Ibidem etiam inſinuat alios codices habere, *omnis caro corruperat viam ipſius*, id eſt Dei. Viæ nomen à termino deriuatur. Via igitur Dei,erit ſemita,per quam tendimus ad Deum.& hanc omnis caro corruperat,fœdaueratque vitiorum, & voluptatum ſordibus obſcænis. Ad hæc propriè viam corrumpere,eſt eam auertere à termino ſuo,quod fecit homo peccator,migrans directè ad perditionem,deſerens autem viam rationis,ac viam Dei;quæ eſt via lucis,& ſemita ſalutis. *Lib. de Noe & Arca c.5*

METAPHORA XXII.

Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ,& cataractæ cœli apertæ ſunt. Geneſ.cap.7.verſ.11.

ÆDIFICAVERAT Noe arcam,ex Dei admonitu, longitudine CCC. cubitorum L. cubitorum latitudine, altitudine cubitorum XXX. Ridet hanc Hiſtoriam,vel Arcæ ſaltem dimenſionem, Apelles Marcioniſta, & ſpatium hoc eſſe ait, quod vel vt quatuor elephantes caperet,ægrè admodum ſufficeret. Sed ſi eadem dimenſio æſtimetur accuratius,facile illius,& quorumuis Ethnicorum,vel hæreticorum,qui cum eo ſentiãt, redarguetur inſcitia. Etenim ſpatium vniuerſum Arcæ, ijs menſuris compactæ, fuit adeo capax, vt habuerit cubitorum CCCCL.millia,quod ita paucis oſtendo.Arcæ longitudo fuit CCC. cubitorum,ſi hoc quinquagies multiplices (Nam latitudo arcæ erat cubitorum L.) arca fiet cubitorum XV.millium.Dein ducendo,atque attollendo tricies om- *Vide Originem hom. 2 in c.6. Gen.*

nes iſtos cubitos, (quoniam altitudo areæ erat cubitorum xxx.) cenſus vniuerſus erit cubitorum cubicorum ccccl. millium. Nec in his numerari debet, aut tecti faſtigium, aut ima pars ſuburræ pro carina, ad ipſius arcæ libramentum.

Aliqui aſſerunt, hic non intelligi cubitos noſtrates, ſed cubitos Gigantum, qui excreſcere etiam poſſint ad certiſſimam noſtri cubiti magnitudinem. Quo pacto Sanctus Auguſtinus narrat, à ſe viſum eſſe in littore Vticenſi, dentem molarem vnius Gigantis, qui minutatim conciſus, dentes noſtrates centenos potuiſſet efficere. Verùm etſi ætatis illius homines erant ſtatura proceriore, & mole corporis ferè gigantes, reſponderi etiam poſſet, elephantos, belluas, ac feras illius æui, fuiſſe pariter figura corporis grandiore, nec difficultas ideo minueretur: quia ſi maior fuit cubiti menſura, erant maiora etiam animalia quibus Noe manſiones, menſura illa, metiebatur: Itaque hoc demus vltrò: ſit cubitus minor, nempe qualis menſura ducitur ab angulo inflexi brachij noſtri, vſque ad extremum digitum medium, adhuc locus nihilominus ſuperabit. Quippè, arcæ pauimentum, offeret xv. millium cubitorum aream: ex his demas III. millia cubitorum pro interſtitijs, adytis, & vijs; in reliquo ſpatio XII. millium cubitorum, diſponi poterunt præſepia, & cellæ cxx. Ita vt ſingulæ cellæ ſint cubitorum decem in longitudine, & decem item in latitudine, & quod inde fit, quadratos cubitos c. habeant in pauimento, &, ſi fiat altitudo cubitorum x. ſpatium earum vniuerſum includat cubicos cubitos cIↄ.

Lib. 15. de Ciuit. c. 9.

Iam quia tres contignationes Arcæ fuerunt, Hebræo ſiquidem ita Noe præcepit Deus, *inferiora, & ſecunda, & tertia facies in ea*, hoc eſt intra arcam terna erit contignatio, infimæ, media & ſuprema: eadem fiat cellarum diſtributio, & erunt vniuerſæ ccclx. quæ pluſquam abundè ſunt, pro quadrupedum, inſectorum, & auium ſtatione. Geſnerus certè alijque vix quadrupedum reperiunt ſpecies, cxxx. inſectorum verò, reptilium, & ſerpentum vix genera xxx. colligit Vlyſſes Aldrouandus, & auium circiter genera cl. Quin imo pro annona, cunctis animalibus paranda ſeruandaque, ſupererunt cellæ plurimæ, in quibus ea potuerit collocari. Imò ijs aſſignari potuerint etiam cellæ, quas tribuimus ſerpentibus: nam hos ex putri genitos poſt diluuium, nec in Arca fuiſſe, Auctores tradunt. Auium etiam pleræque ſimul agere, & aliquot mitia Quadrupedum genera carere diſcretis ſedibus potuerunt.

Hæc ex Hiſtoria ſacra præmiſiſſe obiter libuit, quibus addi, ex coniectura ſatis veriſimili, etiam poteſt, fortaſſe in Caucaſi montis planitie

tie ædificatam arcam fuiſſe à Noe, vbi copia lignorum operi non defuerit, & ipſum fuiſſe Prometheum Caucaſo alligatum, nempe diu ibi hærentem, atque operantem annis centum: cuius viſcera vultur abederit, propter aſſiduum eius timorem, ob imminentem eam, quam prædicebat, generis humani ſubmerſionem.

Cum arca itaque eſſet parata, *rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt.* Etiam hic loquitur Hiſtoria ſacra iuxta humanam conſuetudinem. *non quod cataractæ, & feneſtræ ſint in cœlo,* inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus: *ſed omnia per familiaria vobis verba loquitur.* Sanctus Ambroſius fontes abyſſi interpretatur eſſe, aquæductus, fiſtulas, canales, & ſcaturigines aquarum ſubterranearum, cataractas verò nubes, quæ continere aquas videntur, ne pluant, niſi cum Deus eas aperit. Diuus Auguſtinus, hanc explicationem referens, & oſtendens aliquot ſcripturæ ſacræ teſtimonijs; nubes, cœli nomine, ſæpenumero intelligi, cæteros ait, iſtas cataractas conſtituere in ſummo illo firmamento, quod vt diuideret inter aquas & aquas, Deus in mundi primordio, creauit. Sententia communior eſt nihilominus, eos fontes abyſſi ruptos, fuiſſe maria exundantia, & flumina effuſa, ſolito vehementius, quaſi perfractis aggeribus: cataractas autem, ſeu feneſtras cœli, vt eſt in Hebraico textu, eſſe deiectus aquarum ex eminenti nubium loco, & imbres præcipites, ac ſonantes, qui tum ex regione aëris manarunt. Videlicet eſt in nubibus, velut in feneſtris, & ſpeculis Deus, obſeruat mores hominum, peccantes increpat tonitruis, nimbis & tempeſtatibus flagellat, & nonnunquam etiam eos ictu fulminum percellit.

In c.7. Gen. hom 25.
Lib. de Noe & arca.
Lib. de mirab. ſcript. ſacr. c. 5.

Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt. Sanctus Ambroſius, *quod ad altiorem,* inquit, *ſenſum pertinet, cœli ſymbolo mens humana ſignificatur. Terræ autem appellatione ſenſus, & corpus. Magna ſunt igitur naufragia, quando mentis pariter, & corporis, ſenſuumque omnium turbo, & procella miſcentur.* Ac paulo poſt: *Tunc magnum eſt diluuium omnibus pariter ingruentibus paſſionibus: tunc ſe inſipientia, iniuſtitia, temeritas, improbitas, perfidia de ſuperiori parte, tanquam cataractæ mentis, videntur effundere: vnde erumpunt, de corporis fonte terreni, libido, temulentia, luxuria, poſtremo diuerſorum criminum prolapſiones.* Funeſtum hoc, præ quouis alio, diluuium eſt, & pro eo inducendo, non fontes laxat, aut cataractas aperit Deus: ſed hoc Diabolus, mundus, & caro, coniurati in hominum perniciem agunt. Arcam tamen animæ periclitanti parauit ille Diuinus, & cœleſtis Noe, qui naufragium humanæ naturæ glorioſius, in Cru-

L. de Noe & Arca c. 14.
Ibidem.

in Crucis ligno, euitauit. Operæpretium ideo eſt, huius implorare opera, aduerſus eiuſmodi feros fluctus, quandocumque tres illi ſpiritus procellarum excitauerint periculoſas eas inundationes, & tempeſtates.

METAPHORA XXIII.

Incluſit eum Dominus de foris. Geneſ. cap. 7. verſ. 16.

ARCAM iam paratam, vel ſponte ſua, vel ex Diuino inſtinctu intrauerant animalia omnia, bina ex immundis, ex mundis verò ſeptena, ex quibus mares quaterni, ternæ autem fœminæ, vt matinm alter, citra damnum ſtirpis, poſt diluuium Deo immolaretur. Intrauerunt etiam Noe, vxor eius, filij, & vxores filiorum eius, & ſeorſim quidem viri, ſeorſim coniuges: ex quo conijcit Cardinalis Caietanus, ſeparato thoro eos in arca vixiſſe. Sunt qui ſcribunt etiam, Noe Adami oſſa in arcam tranſtuliſſe, eruta è ſepulchro montis Iebus, quæ oſſa filijs ſuis poſtea diſtribuerit, quando illis diuiſit Orbem terrarum, & ex quibus Sem primogenitus Caluariam, quæ ſibi obtigerat, ibidem rurſus condiderit, in veteri Adæ ſepulchro.

Acta hæc iam erant, cum anno mundi M.DC.LVI. qui fuit primæ ætatis annus vltimus, XVII. die menſis ſecundi (eſſet hic, dies VIII. menſis Maij, in anno Iuliano, cum enim ab Æquinoctio ſeu à XXI. die menſis Martij, inceperit primus menſis ſolaris, ſecundus menſis inchoabitur, à XXI. die menſis Aprilis, & ideò XVII. dies menſis ſecundi, erit VIII. dies mēſis Maij) clauſit Deus foris arcam. Non fruſtra anni tempus, & menſis dies notatur, *quando augētur naſcentia*, inquit S. Auguſtinus, *ager parturit, terrarum pariter atque animalium fœtura ſe fundit*, & tum ait, Deum quodammodo dixiſſe: *pereant cum homine omnia, propter quem nata ſunt omnia; in ſuis diuitijs conſumatur homo, cum ſua dote moriatur.* Notatur quoque articulus diei, hoc eſt punctum, extremum, ſeu diluculum eius: quia ſæpe momentum eſt, ex quo pendet noſtra ſalus, & in puncto ad inferna deſcendunt ij, qui ducunt in bonis dies ſuos.

Lib. de Noe & arca c. 14.

Ibidem.

Incluſit eum Dominus de foris, id eſt ſecurum reddidit iuſtum; vt interpretatur S. Ioannes Chryſoſtomus. Chaldæus Paraphraſtes etiam vertit, *protexit Dominus ſuper eum.* Senſus itaque eſt, imperaſſe Deum aquis, vt in hominis iuſti habitationem non influerent. Simile auxilium diuinæ protectionis Drogo Epiſco-

In c. 7. Gen. hom. 25.

Epiſcopus Hoſtienſis flagitauit illis verbis. *Introduc & nos ad te per oſtium lateris* De Sacrã.
tui: quod eſt ſides Eccleſiæ: & claude oſtium à foris; donec pertranſeat iniquitas. & ceſſante diuinæ paſs. ſerm. 1.
diluuio æternum nobis aperias oſtium, non iam fidei, ſed ſpei: oſtium contra oſtium:, quod in Cap. 40.
montis ædificio Ezechieli Prophetæ monſtratum eſt.

Incluſit eum Dominus de foris. Deum qui viſus eſt iam egiſſe Ianitorem Noë, claues quatuor ſibi ſemper retinuiſſe, Hebræi dixerunt: hæ autem erant; clauis pluuiarum vt pro poteſtate ac libitu, largiatur eas de theſauris ſuis, clauis vitæ, ſeu generationis; clauis vbertatis & annonæ; clauis ſepulchrorum, ſeu re-
ſurrectionis. Sic in Deuteronomio habetur, *Aperiet Dominus theſaurum ſuum* C. 28. v. 12.
optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ ſuæ in tempore ſuo. Sic initio Hiſtoriæ Re- 1. Reg. c. 1. v.
gum, Annæ vuluam dicitur concluſiſſe, quam & deinde aperuit, ſic in Pſal- Pſal. 144.
mis, *aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Sic denique apud
Ezechielem, *ecce ego aperiam tumulos veſtros & educam vos de ſepulchris veſtris, po-* C. 37. v. 12.
pulus meus, & inducam vos in terram Iſrael. Atque in his verè Deus, ipſe ſolus eſt, qui aperit, & nemo claudit, claudit viciſſim, & nemo aperit.

Vt ad Noë iuſtum reuertamur, eum ita cum brutis omnis generis, velut intra carcerem, recluſum admiratur S. Ioannes Chryſoſtomus. *Homines,* in- In c. 7. Gen.
quit, *qui in naui ſunt, & velo vtuntur, & Gubernatorem ad clauum ſedentem vident, &* hom. 25.
ſua arte ventorum vi obſiſtentem. Hæc tamen eum non vidiſſe, conſiderat, ſed in excidio communi generis humani, ſine velo, ſine antennis, ſine gubernaculo, & Nauarcho, dumtaxat iactâ fidei anchorâ, ſe ac ſua permiſiſſe Deo, & ſpem mundi renaſcentis, gentiumque omnium, & nationum multitudinem redituram, ſecum in vna & eadem naui, nec actuaria, nec inſtructa armamẽtis, circumtuliſſe. Attamen fatendum eſt, nunquam ſecurius vatem vllam, in gurgite maris indignato, aut etiam placido fuiſſe, quàm, dum ita, miſſo in compendium mundo, & regente gubernaculum Deo, Noe & filij eius nauigarunt.

METAPHORA XXIV.

Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Gen. c. 8. v. 21.

PLVERAT vbertim ad dies XL. hoc eſt vſque ad XVIII. diem mẽſis Iunij, & excreuerant aquæ ſuper omnes montes, cubitis quindenis, etiam ſupra montem Olympum, de quo notat S. Auguſtinus quoſdam non recte dubitaſſe. Hoc autem, aduerſus eos,

Quæſt ſuper Gen. l. 1 q 10. Lib 3 de Gen ad litt. c. 2. Lucan lib. 2. Pharſal.

vertur argumento, *ſi terra inuadere potuit ſpatium illius aëris, vbi dicitur nec nubes videri, nec nubes ſentiri, cur non & aqua creſcendo?* Vt obiter de huius montis altitudine hic agamus, alibi poſtquam recenſuerat Sanctus Auguſtinus illud Poetæ,

Nubes excedit Olympus,

Pacem ſumma tenent:

Quia perhibetur, inquit, *in Olympi vertice aër eſſe tam tenuis, vt neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque ſuſtentare aues poßit, neque ipſos, qui forte aſcenderunt, homines craßioris aura ſpiritu alere: ſicut in iſto aëre, conſueuerunt.* Sed & contra Manichæos diſputans, hoc prolixius perſequitur, aitque aerem hunc nubiloſum, & humidum à doctiſſimis viris, cum aquis ſoli re deputari, concreſcere eum, & craſſum reddi, exhalationibus & vaporibus, maris ac terræ; & ita fieri idoneum, vt auium volatus ſuſtentare poſſit, ideoque roris guttas noctu in gramen diſtillare. Poſtea hæc habet: *Mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tanta altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine, nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant: quia excedit altitudine ſua totum iſtum aërem humidum, in quo aues volant: & ideo nec aues ibi volare aſſeuerantur. Quod ab eis perceptum dicitur, qui per ſingulos annos, ſolebant, neſcio quorum ſacrificiorum cauſa, memorati montis cacumen ſcandere, & aliquas notas in puluere ſcribere, quas alio anno integras inueniebant. Quod fieri non poſſet, ſi ventum, aut pluuiam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aëris illius, qui ibi eſt, non eos inſpirabat, durare ibi non poterant, niſi ſpongias humectas naribus applicarent. Vnde craßiorem, & conſuetum ſpiritum ducerent.* Similia Solinus refert, de Ara Ioui dicata, in cacumine montis Olympi, de extis in ea relictis, quæ anno integro, nec venti vlli difflauerint, nec vlli eluerint imbres, de characteribus item in cinere formatis, nec poſt annum deletis. Ex quibus inferunt multi, vltra mediam aëris regionem, culmen Olympi montis prominere.

De Geneſ. contra Manich l. 1. c. 15. Ibidem. Cap. 13.

Falſo hæc tamen referri, Geometræ probant argumentis manifeſtis, ex quibus Xenagoras eum dimenſus, deprehendit, extare Olympum altitudine ſolùm decem ſtadiorum cum ſextante, ideſt vnius milliaris cum quadrante. Præterea Chriſtophorus Clauius, demonſtrat exhalationes, & vapores eleuari ad regionem aëris, cuius altitudo definiatur milliaribus circiter LII. eo autem nulli apices montium abſque dubio pertingunt. Quocirca Olympus mons, & aër illi circumfuſus humeſcit vaporibus, & miſcetur exhalationibus perinde, ac aër in montibus.

Plutarchus in Paul Æmil. In c. 1. Sphæra.

tibus reliquis; ſi autem ipſe, qui cenſetur altiſsimus cæterorum, haud excedit magnopere vnius milliaris altitudinem, erit veroſimile, aquas diluuij, in aërem diffuſas, vltra ſeſquimilliare non fuiſſe: fabulæ autem occaſionem, quod ad montem Olympum ſpectat, vulgò dederint nubes denſæ, hærentesque lateri eius: ita vt cacumen ſæpenumero, nuſquam appareat, quod accidit quibuſuis montibus altiſſimis, ideoque iuncta Cœlo Alpium iuga Liuius nominauit.

His antemiſsis, ad initium regredior, creuerant aquæ diluuii, ſupra montes omnes, & perdurauerant in ſuo ſtatu, dies CL. illa æſtuaria Mundi: cum Deus, quaſi iuſti Noe oblitus, tandem recordatus illius, & miſſo vento vrente aquas momordit, easque imminuit: ſtetitque Arca, intra dies XIII. ſupra Montes Armeniæ. Demum columba, oleæ ramum reuehens, indicio fuit, aquas reſediſſe, & tum egreſſus Noe, ſacrificauit Deo Liberatori ſuo. In eum finem erexit altare, cuius hoc loco primum mentio fit in ſcriptura Sacra, etſi credibile eſt, vſos eo fuiſſe Patriarchas, etiam in priori ætate: dum hoſtias Deo immolarent. Denique animalia munda ex quolibet genere ſingula, victimas obtulit, & *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.*

Accommodauerat ſacer Hiſtoricus Deo aliàs humanos affectus, cùm & ſenſus humanos ei tribuit. Quod paſſim ab eo fit, & ab alijs Canonicis Scriptoribus: ſic in Pſalmis dicitur, *oculi Domini ſuper iuſtos*, in Exodo, traduntur Moyſi tabulæ ſcriptæ *digito Dei*: Populus filiorum Iſrael, de terra Ægypti, *manu Dei valida, & brachio extento* liberatur. *Os Domini locutum eſſe*, teſtatur Iſaias: rogatur Deus, vt *inclinet aurem ſuam, & audiat*, vocatur Cœlum *ſedes* DEI, & terra *ſcabellum pedum* eius. *Pſal.33. v.16. Cap.31 v. 18. Deut c.5. v 15. Cap. v 20. 4.Reg.19. v.16.*

Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Sacrificium eſt, quaſi cibus Dei, & eius fragrantia ipſe, ſicut cibi odore homo, qui eſurit, delectatur. Verùm non ille odor placet Deo, quem carnes animalium, impoſitæ igni, exhalant, ſed alius multo ſuauior, quem afflat animus offerentis. *Iſa.c.66. v.1.*

Ideo Sanctus Ambroſius, conſiderans, Deo animantes mundas duntaxat immolari: *ea quæ incontaminata ſunt*, inquit, *debemus offerre, in quibus affectus reluceat offerentis.* De hoc puro autem affectu, Noe ſollicitum fuiſſe Diuus Ioannes Chryſoſtomus oſtendit verbis illis. *Vide ipſum, quanto ſtudio operatur omnia: neque enim amplo opus habebat ædificio, neque templo, neq; domo admirabili, neque alio quopiam: ſciebat enim, ſciebat certò, quod mentem ſolam re-* *Li de Arca & Noe c.22 In c 8. Gen hom.27.*

 quirat,

quirat Deus. Videlicet hæc mens, ſi nulla labe vitiorum inquinetur ſola fragrantiſſimum inhalat odorem naribus Dei, & mitigat iram eius, cuius iræ ſpiritus eſſe in naribus, circumſcribitur. Imo idem Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ait, animo offerentis, fumum & nidorem ſacrificij, cæteroqui inſuauem, fragrantia perfundi, & ſi deſit ille; Deo etiam odores ipſos Thymiamatis fœtere. *Audi*, inquit, *Prophetam dicentem: Thymiama in abominationem mihi eſt, quaſi oſtendat voluntatis offerentium malitiam. Quemadmodum hic iuſti virtus, fumum & nidorem fecit odorem fragrantiæ: ſic apud illos offerentium nequitia, bene olens Thymiama, in abominationem conuertit.* — *Ibidem.*

Huc ſpectat illud Chriſti Domini præceptum, vt relinquatur munus ad altare, & vt præcedat oblationem reconciliatio: quia vel ab initio mundi, ſemper animum offerentis reſpexit Deus. Sicut autem de Abel, & Cain alibi diximus, ita narrat S. Gregorius Nazianzenus, duos nepotes Conſtantij Imperatoris, Gallum, & Iulianum, cum extruerent ſacram Ædem, ad ſepulchrũ S. Mamantis Martyris, & molem ex æquo diuiſiſſent; Gallum quidem abſoluiſſe partem ſuam fœliciter; vti erat animo admodum pius: ſed terram contra mugitu & terræ motu frequenti, repudiaſſe partem alteram, quam Iulianus futurus aliquando Apoſtata, & Martyrum hoſtis, excitare meditabatur. — *Orat. 1 in Iulian.*

Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Hebræi codices habent *odorem quietis:* congruè ad ipſius Noe vocabulum, quod eſt idem, ac ceſſatio & requies: ſub eo enim, diluuij tempore, mundus quieuit ab operibus impiorum. Sed & ad Deum id referri poteſt, qui tametſi commoueri magnopere viſus fuerit, ac velle vno naufragio inuoluere cuncta quæ fecerat, propter ſcelera hominum improborum: iam huius odore ſacrificij redditus fuit quietus, & tranquillus. Apum ira, & eorum dimicatio, iniecto fumo ſtatim diſcutitur. Dei aduerſus nos molleæ ſunt iræ, en fumo ſacrificij, reconciliatur generi humano, & verè *odoratus eſt Dominus odorem quietis.* — *Plin. l. 11. c. 17.*

METAPHORA XXV.

Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua. Gen. c. 8. v. 21.

COR hominis, dum is eſt vnius anni, eſſe duarum drachmarum, exiſtimauit Varro, & tantundem augeri quotannis, ita vt conſtet, quinquagenarij hominis cor, drachmis centum. Ex eo tempore, annis ſingulis totidem ait imminui drachmis, & ideo credi, vt

di, vt ex defectu humani cordis, non vltra centeſimum annum viuere homines poſſint. Rectius darem ego humano cordi ab infantia incrementum perpetuum, & pondus; quo inclinatur ad malum; & ita quidem, vt creſcat pondus illud etiam poſt annum quinquageſimum; & ſi vita ſit diuturna, etiam vſque ad annum centeſimum. Fruſtra videatur Deus, dediſſe os homini ſublime; & ſenſus quoſque nobiliores, in vultu collocaſſe: adeo facile iſti, à conſuetudine cœlum & cœleſtia intuendi, reflectuntur, ad ignobilem deſpectũ rerum terrenarum. Spreuêre ſenſus noſtri, hanc ſuæ originis nobilitatem, ſponte ſua viluerunt, proni, & curuati ad malum ab adoleſcentia ſua.

Quin imò rapuerunt etiam, in eandem vilem propenſionem, ſtudia humani cordis, cuius erat alioqui ſenſus eoſdem reſides, habenis validiſſimis coercere. Non dicat iam Philoſophus ille magnus, de anima hominis, *hanc in ſumma corporis arce ſedem habere, dicimus, atque ad cœli cognationem à terra nos tollere, tanquam animalia cœleſti potius, quàm terreno ſemine nata.* Degenerem animum homines deprauati habent, ab ea primæua cœli cognatione. Dicat de ijs potius idem Philoſophus; quod alibi exprobrat; *veluti pecora, humum proni ſpectant, ventrique obedientes, paſcendo, coeundoq; ætatem conterunt: proq; ijs rebus vberius potiundis calcibus inter ſe, & cornibus ferreis vnguibusq; decertant; ſeq; inuicem ob inexplicabilem libidinem trucidant: vtpote qui neque veram & firmam ſui partem, neque pabulis veris implent.* En origo mali tanti, corporis nimirum, non animi obſequi, ſiue voluptati, ſiue neceſſitati. Hæret ieiuna mens, & prorſus extenuata; dum caro ſaginatur; & ea ſeruire cogitur, dum hæc rerum potitur, dum ſeruiendo ſuæ libidini, malo ſuo, & malè infeliciterque dominatur.

Plato in Thimæo, circa finem.

Plato 9. de Rep.

Senſus, & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: omnes quinque ſenſus intelligi debere credit Rupertus Abbas; qui ita perperam ad malum propenſi ſunt, poſtquàm animus, qui gubernare eos debuerat, ijſdem pro armis ac ſatellitio vti, ad malum, cœpit. Septuaginta Interpretes ad textũ aliquid addunt, & ita transferunt; *quia incumbit cogitatio hominis diligenter ad mala, ab adoleſcentia ſua.* Quod perpendens S. Ambroſius, *vide*, inquit, *quomodo ſtudioſe nos delinquere Deus ſignificet. Quo dicto ſignificare videtur, diligenter cor hominis ad peccata propendere, & ineſſe principali noſtro, lubricum delinquendi, & quod peius eſt, ſtudium non deeſſe.*

Lib. de Arca & Noe c. 22.

Ad hæc in Hebræis codicibus ſic habetur; *formatio cordis hominis mala à pueritijs eius.* Apparet, quanti ſit momenti, à pueris recta inſtitutio, vt cor ſanctè & caſtè formetur; ſtudiaque & affectus, circa honeſta impendat: quò ita occupetur in ijs conſectandis prima illa diligentia indolis, nondum à ſenſibus detorta, in ea vitia, ad quæ ijdem ſenſus habent vilem, ignobilemque & conſentaneam belluis pronitatem. Ariſtoteles, egregius morum magiſter, totam ait diſciplinæ humanæ rectitudinem ex eo pondere, vt ab ineunte ætate *2. Ethic.*

diſcant pueri rectè lætari pariter,& rectè triſtari.

Cum enim pueri validè, ac potenter permoueantur illecebris voluptatum; operæpretium eſt, validè ac potenter eos corripere, vt pœnæ formido, ac interdum etiam dolor, cohibeat in eis, eiuſmodi prauos motus. Quos ſi conſueuerint peruincere: tunc virtute ſtabili, firmabunt animum; & læta credent eſſe, non ea quæ lenocinijs ſuis delectant ſenſum, ſed ea, quæ potius mentem cohoneſtant. Diſcent verò, triſtia ea eſſe, quæ animum inquinant: tametſi ſenſui,& infirmæ parti lenocinentur. Sed cur Deus propter huiuſmodi

Verſ. 21. propenſionem ſenſus,& cogitationis ad malum, ſubdit: *Nequaquam vltra maledicam terræ, propter homines?* Videretur enim fieri debere contraria potius deliberatio. Reſpo ideo, poſt naturam deprauatam,& poſt lapſum Adæ, effici per eam pronitatem, vt iam non peccet homo ex mera & ſola libertate. Quemadmodum Angeli, ac primi duo parentes peccarunt, in quibus nec rebellis natura, nec perturbatio intus vlla, vim inferebant, quæ alliceret vehementer eorum libertatem. Itaque cum aliquo modo excuſet naturæ fragilis conditio, rectè & clementer intulit Deus, *nequaquam vltra maledicam terræ, propter homines,* vtpote pronos iam ad malum, ab adoleſcentia ſua.

Ibidem.

Non exiſtimet aliquis tamen, impunè ſcelera patrari; ſequetur enim priuati,& communis Iudicij ſeueritas: Nam conditio naturæ fragilis id ſolum habet indulgentiæ, vt expectetur hominis, quamdiu viuet, pœnitentia, quod Angeli reprobi non meruerunt, quoniam auſi ſunt, libertate integra, quam nulla lenocinia proritabant, Diuinæ voluntati reluctari. At enim; quorſum aquis diluuij punire voluit vniuerſum humanum genus, ſi mundus ad ea vitia prima, ſe habuit perinde, atque habent pueri ad vitia puerilia? Reſpondeo, eam quidem priorem ætatem, quaſi mundi pueritiam fuiſſe, ac incœpiſſe in ea motus vehementes: ſed adhibenda idcirco fuit durior diſciplina, quâ mundus à vitijs reflecteretur, firmaretque animum circa honeſta in ætates conſequentes. Videlicet poſteris grande præbuit ſeueritatis exemplum rigor ſententię illius, *delebo hominem quem creaui.* Quanquam nec eum penitus deleuit Deus, ſed ſaluis octo iuſtis, Mundi vlcera, dum ita puer erat curauit eo quaſi balneo generali. Poſtmodum partis vnius aduſtione, quando Sodoma & Gomorrha conflagrarunt, rurſus procurauit Deus mundi iam adulti

2. Ethic. ſanitatem; didicitque ſalubriter, iuxta Philoſophi præſcriptum, in pueritia mundus rectè lætari pariter, ac rectè triſtari. Interim ſi ea eſt

Plato in Theateto. propenſio ſenſus & cogitationis hominis ad malum; fateamur cum altero Philoſopho, non poſſe mala penitus extirpari, quæ *cum locum apud Deum habere nequeant, naturam mortalem, regionemq; hanc inferiorem neceſſario circumeunt*: ſed & conſilium eius admittendum eſt, & illa ſaluberrima

Ibidem. adhortatio, qua *conandum eſt,* inquit, *vt hinc illuc quam celerrimè fugiamus:*

mus : fuga autem eſt, vt Deo ſimiles pro viribus efficiamur, & Deo ſimiles efficit cum prudentia, iuſtitia ſimul, & ſanitas. Si à nobis abimus, diſcedimusque à noſtris moribus; tendimus ad Deum, & ipſi feliciſſime appropinquamus: ſic Deo ſimillimi homines erimus.

METAPHORA XXVI.

Fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippè Dei factus eſt homo.

Gen. c. 9. v. 6.

ETsi homo ad imaginem Dei propriè conditus eſt, neque in hoc eſt vlla ſermonis translatio: attamen ſententia illa tota, procul dubio metaphoram continet, & eam quidem ſatis egregiam. Fuit ſemper capitale; ſtatuas Principum, & eorum imagines demoliri, vel afficere ignominia. Iam Deus, reddit rationem, cur homo, præſertim innocens, non debeat occidi: quia factus eſt ad imaginem Dei, quia eſt ſimulacrum eius, quia eſt ſtatua illius; cuius in fœmore ſcriptum fuit, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* *Apoc. c. 19. v. 18.* *Vide ergo*, inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *ne hominem occidendo, Cœleſtis Regis viuam imaginem demoliaris: atque ita non tam homini, quam Deo ipſi ſis iniurioſus.* Sapienter vocat viuam imaginem, quia Reges & Principes mundi fruſtum æris, aut lapidis, aut roboris mortui, pro ſimulacro habent; ſed homo viuit ac ſpirat; & perfectè circumfert lineamenta pulcherrima exemplaris Diuini.

Intra te eſt collocata imago Regis cœleſtis, inquit Origenes; *cum enim faceret hominem ex initio Deus, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit eum, & hanc imaginem, non extrinſecus, sed intra eum collocauit. Hac in te videri non poterat, donec domus tua ſordida erat immunditijs & ruderibus repleta:* *Origenes homil. 1. in c. 26. Gen.* Nempe intelligit ruinas peccati, & labem culpæ, quâ mens & anima obruitur, inuoluitur, & quodammodo ſepelitur. Paulo poſt hæc addit; *Filius Dei* *Ibidem.* *eſt pictor huius imaginis, & quia talis ac tantus eſt Pictor, imago eius obſcurari per incuriam poteſt, deleri per malitiam non poteſt: manet enim ſemper imago Dei in te, licet tu tibi ipſi ſuperducas imaginem terreni.* Non poſſum quin pergam eiuſdem Origenis referre verba, in quibus vtiliter iuxta,

& in-

& ingenioſe diſtinguit modum; quo hæc imago in nobis obſcurari ſoleat.

Ibidem.

*Cum te,inquit,libido fuſcauerit,induxiſti vnum colorem terrenum , ſi verò & auaritia ſtudeas,miſcuiſti & alium,ſed & cum te ira ſanguineum facit , addis nihilominus & tertium colorem,ſuperbia quoque alius additur,ſicut & impietatis alius. Et ſic per ſingulas quaſque malitias,velut diuerſis coloribus congregatis , hanc imaginem terreni , quam Deus in te non fecit, tu tibi ipſe depingis:*Sic Origenes.

Vt ad huius imaginis notitiam ſimul , & reparationem, in nobis , venerationemque in alijs duci animus poſſit , diſtinguere oportet in homine ſimilitudines duas:& vt de prima iam agamus.*Eſt Dei ſimilitudo quædam* , inquit Diuus Bernardus:*quam nemo viuens,niſi cum vita exuit,quam omni homini in teſtimonium amiſſæ melioris,& dignioris ſimilitudinis , Creator omnium hominum reliquit, quam habet,& volens,& nolens,& qui eam cogitare poteſt,& qui tam hebes eſt , vt eam cogitare non poſſit.*Deinde in his duobus,eam ſimilitudinem notat ,*ſicut vbique Deus eſt,& vbique totus eſt in creatura ſua:ſic & in corpore ſuo omnis viuens anima, & ſicut ſemper ſibi indiſſimilis Deus,indiſſimiliter diſſimilia in creatura operatur:ſic anima hominis,quamuis totum corpus viuificans indiſſimili vita in ſenſibus tamen corporis, & in cogitationibus cordis indiſſimiliter operatur aſſidue diſſimilia.*

Ad fratres de monte Dei. verſu fin.em.

Ibidem,

Primam ex ijs habet etiam Sanctus Ambroſius,*nec in maioribus* , inquit, *corporis ſui membris maior,nec in minoribus minor eſt,ſed in minimis tota , in maximis tota.Et hæc eſt imago vnitatis omnipotentis Dei,quam anima habet in ſe.* Sed explorat intus,perſpicitque naturam ipſam Archetypi Diuini,& qui iam deprehenderat in anima hominis figuratam vnitatem Dei,veſtigat iam etiam in ea ſimilitudinem Trinitatis.

Lib. de dignit. hum conditionis c. 2.

Enumerat prius vnius naturæ in illa tres dignitates, *Intellectum, voluntatem,& memoriam:*& has putat circumſcribi in Euangelio , verbis illis: *Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,ex tota anima tua,& ex tota mente tua:*Id eſt ex toto intellectu,ex tota voluntate,ex tota memoria tua.Poſthæc *ſicut ex Patre*,inquit,*generatur Filius,& ex Patre Filioq; procedit Spiritus ſanctus:ita & ex intellectu generatur voluntas,& ex his itẽ ambobus,memoria:*(actus ipſos intelligit iſtarum animæ facultatum)*Et ſicut Deus pater,Deus filius,Deus Spiritus ſanctus,non tamen tres Dij ſunt:ſed vnus Deus,tres habens perſonas:Ita eſt anima intellectus, anima voluntas,anima memoria,non tamen tres animæ,in vno corpore:ſed vna anima , tres habens dignitates:*& hic non facultates ipſas,ſed ipſam ſubſtantiam animæ, radicem & fundamentum earum ſanctus Ambroſius accipere videtur. Alioquin tres in ea diſtinguere poſſumus gradus eſſentiæ,nempè viuere,ſentire, & ratiocinari,quæ tria præſtare in homine,non eſt plures animas,ſed vnam in eo animam eſſe,& gerere veſtigium impreſſum Auguſtiſſimę Trinitatis.

Matt. c. 22

Ibidem.

Eſt in hominis animo etiam aliqua immenſitas mens quippe idonea eſt, ad cognoſcendas res omnes:voluntas item appetere innumerabilia poteſt,&

ſolus

ſolus Deus,infinitum bonum,eam explebit. Aſpirat homo ad æternitatem, fruitur arbitrij libertate ; neque ad vnum adigitur,aut determinatur, ſicut bruta,quibus non eſt indita facultas eligendi: & hoc ad virtutem facit,*virtus enim*,inquit S Gregorius Niſſenus,*ſponta nea quædam res eſt,& nullius ſubiecta dominio. Quod autem quadam neceſſitate coactum eſt,virtus iam eſſe non poteſt.*

Sed accedere propiùs videbimur,ad ſimilitudinem Principis,& ad imaginem Regis,ſi quod maxime hominis eſt proprium , agnoſcamus homini datum eſſe à Deo;nempe,vt omnibus alijs præſit,ſi ſit quaſi mundi Gubernator.S. Auguſtinus *etiam illud*,inquit,*non eſt prætereundum,quia cum dixiſſet ad imaginem noſtram ſtatim ſubiunxit,& habeat poteſtatem piſcium maris,& volatilium cœli, & cæterorum animalium rationis expertium,vt videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei,in quo irrationabilibus animantibus antecellit.* Egregiè inſuper hoc ipſum explicat Diuus Gregorius Nyſſenus, *ſicut iuxta humanam conſuetudinem*,inquit,*qui Principum imaginem fingunt,non ſolùm impreſſionem formæ eius imitantur,verùm etiam a nictu purpureo deſcribunt dignitatem, & imago ipſa iam pro conſuetudine dicitur Imperator,ſic & humana ſubſtantia quoniam ad aliorum regimen condebatur,propter ſimilitudinem Regis vniuerſorum,velut quædam imago animata componitur.* Paulò poſt inſinuans,quodnam ſit regium eius paludamentum; & inſignia maieſtatis;*pro purpureo velamine*,inquit,*veſtita virtute eſt, quæ omnium ornamentorum regalium precioſior approbatur. Pro ſceptro verò beatitudine , & immortalitate ſuſtollitur,& pro regali ſerto,iuſtitiæ corona decoratur.*

Lib 3. de Gen ad litt. c. 20.

Lib de Creatione hominis c 4.

Ibidem.

Sed diſcrimen non facit Sanctus Gregorius Nyſſenus inter vtramque ſimilitudinem hominis;qua Deum is repræſentat. Cum ex ſanctis Patribus nonnulli diſtinguant hæc duo,imaginem,& ſimilitudinem,ac dicant, illam in natura hominis,hanc in hominis virtute ſitam eſſe. Ideo Sanctus Iſidorus, *homo*,inquit,*per conditionem imaginem ſeruauit:ſed per peccatum ſimilitudinem amiſit.* Cæterum illam etiam Ethnici ſapientes in homine agnouerunt,& contéplati ſunt,dixitque Epictetus,ineſſe hominum animis τὰ θεοῦ σύμβολα. Plato verò ex ea imagine humani animi,qua refert Deum,elicit argumentum efficax ad animi eiuſdem adſerendam immortalitatem. Neque hæc imago in homine deleri poteſt,niſi homo ipſe,& eius eſſentia deſtruatur : ſicut non poteſt gemma Heliotropium,eſſe in ſole,& non ipſum ſolem,inſtar ſpeculi,accipere,fulgoremque, & omnem ſimilitudinem eius reciprocare.

In Phædone.

Sic hominem condidit ac formauit Deus, Artifex multo , quàm Phidias ingenioſior & felicior:qui in ſimulacro illo percelebri Mineruæ,& intra eius clypeum,ſuam imaginem collocauerat,figuraueratque eo artificio, vt induci,aut reuelli nequiret,niſi ſtatua ipſa comminueretur. Hanc ergo imaginem ſui Deus conſtituit in Orbe terrarum , non aliter quàm propriam ſtatuam Rex aliquis,in vrbe nobili,à ſe condita,vt ei honor publicus, & obſequij re-

In ſermone ad fratres de monte Dei. uerentia exhibeatur. Verumtamen hæc imago Dei, vt loquitur S. Bernardus, *in homine quantum ad meritum eius, nullius apud Deum eſt momenti, cum naturæ, non voluntatis eius ſit, vel laboris.*

Ibidem. *Eſt alia,* inquit idem S. Bernardus, *magis Deo propinqua ſimilitudo; in quantum voluntaria, quæ in virtutibus conſiſtit: in qua animus, virtutis magnitudine, ſummi boni, quaſi imitari geſtit magnitudinem; & perſeuerantia in bono conſtantiâ æternitatis eius incommutabilitatem.* Vtinam hæc æmulari chariſmata meliora homines ſtuderent: vtinam ſaperent, & intelligerent, hanc ſui generis & originis dignitatem. Ad id hortatur illis verbis Diuus Ambroſius; *Lib. de Digni. humanæ conditionis c. 3.* *quiſque diligentius attendat primæ conditionis ſuæ excellentiam: & venerandam in ſeipſo ſanctæ Trinitatis imaginem agnoſcat, honoremq́; ſimilitudinis diuinæ, ad quam creatus eſt, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat.* Facta huius ſimilitudinis deprauatione, ille qui eſt imago patris, & figura expreſſa ſubſtantiæ Dei, videns hominem depoſita ſua imagine (quod ait Origenes) maligni imaginem induxiſſe, motus miſericordia, imagine hominis aſſumptâ, venit ad eum, & qui in forma Dei erat, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc pacto ſimilitudinem deprauatam, vt ita loquar, ſuperponens Archetypo, atque coniungens hominem Deo feliciſſime illam reparauit.

Fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Redeo ad hoc diuinum edictum: quod miror ſane ijs formulis non fuiſſe factum, quando anxius animi erat Cain; ne paſſim interficeretur, ob iuſti Abel parricidium. Et dicerem, Deum noluiſſe teſſeram hanc imaginis ſuæ ſuffragari homini, qui eandem imaginem in ſe primus, ſanguine humano, fœdauerat: niſi hæc prohibitio quæuis homicidia facinoroſorum & quorumcumque Reorum, (ſi fiant ex vltione priuata, & ex priuata auctoritate) ſuſtuliſſet. Nam in ijs licet deſideretur fortaſſis ſimilitudo Dei, imago eius ſaltem nunquam deeſt, quã oporteat nos in ijs revereri. Notat ideo Cardinalis Caiet. in Hebræo codice ita haberi: *Effundens ſanguinem hominis, in hominem, ſanguis eius effundetur,* & ita id explicat vt ſenſus ſit, occidere hominẽ, vt iniuria fiat homini, nunquam id licere: ſed licere hoc Iudici, & habenti poteſtatem publicam, quia tunc nõ fit iniuria homini, ſed ſecuritati publicæ, & publico bono conſulitur.

Venit in mentem hoc loco, ad metaphoræ huius explicationem, & ſimul *Homil. 20. ad populum Antioch. & Baron. Annal. t. 3. An. Christi 323.* ad præclarum exemplum clementiæ id, quod S. Ioannes Chryſoſtomus, recordationi poſterorum eloquentiſſimè, commendauit: quando Conſtantinus Magnus, audiens Alexandriæ Ciues, orto diſſidio, occaſione ſchiſmatis Meletiani, ſuam ipſius ſtatuam Imperatoriam lapidaſſe; reſpondit ijs: qui ſuaſerant vltionem, & qui affirmarant Alexandrinos, totam eius faciem ſaxis cõ-

uulne-

uulneraſſe,reſpondit,inquam, *Ego verò nuſquam vulnus in fronte factum video,ſed ſanum quidem caput,ſanam verò faciem totam.* Sic lenitate memorabili abſtinuit vel à ſpecie ipſa priuatæ vltionis. Quam animi moderationem, in eo deinceps etiam,omnia ſecula ferent. Deus perinde ſæpe ignoſcit contemnenti in alijs,vel lædenti ſiue imaginem,ſiue ſimilitudinem ſuam.

Hanc verò perfectionis eius teſſeram in alijs quam pauci ſunt,qui requirant:plus honoris habent bona fortunæ,naturæ dotes, & humanæ dignitates,quàm ſola,ſine ijs phaleris,& nuda virtus. *Deus nimium indignatur*, inquit Plato,*quoties quiſquam illius ſimilem improbat,aut diſsimilem probat. Dei verò ſimilis eſt vir bonus,neque lapides aut ligna,auesq; atque ſerpentes ſacra exiſtimes: homines verò nequaquam;imo ſacratiſsimum omnium eſt vir bonus; prophaniſsimum contra vir malus.* Non minus aurea vox eſt illa S. Ioannis Chryſoſtomi. *Imago Dei non eſt in auro depicta,ſed in hominibus figurata. Numiſma Cæſaris aurum eſt; numiſma Dei mihi homo eſt.* Et deinde infert. *Ideò diuitias veſtras Cæſari date: Deo autem conſcientiæ veſtræ ſolam innocentiam reſeruate,vbi Deus videtur.* *In Minoe.* *In c.22. Matt. ho. 42.*

METAPHORA XXVII.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis,inter me,& inter terram.

Gen.c.9.v.13.

CERTVM videtur,viſam in cœlo Iridem,etiam ante diluuium,fuiſſe:cum generetur,vti opus naturæ, quoties nubes duæ,ſoli obuerſantur,altera tenuis,concaua, & rorida,quæ radios accipiat; altera poſt eam denſior,quæ radios eoſdem reuibret & repercutiat;quemadmodum agit plumbi opacitas in ſpeculis perſpicuis. Ita neceſſe eſt,ſolis radios immiſſos cauæ & roridæ nubi,repulſa acie,per nubem opacam,refringi in ipſum Solem,ac mixtura nubium,aeris, & lucis Iridem colorari. *Ariſtoteles 3. meteor.* *Plin. l. 2. c. 59.*

Iridem Iunoni ancillari, Poetæ finxerunt,ſub eius throno ſedere, ac lectum ei ſternere:quod ideo dicitur:quia poſtquã Iris apparuerit, in aëre vndiq; conſerenat,& Iuno,hoc eſt aër quieſcit à procellis ac turbinibus;quaſi lectus ei ſterneretur:ſub throno Iunonis ſedere fingitur,quia in aëris ima parte producitur. Deniq; nuncia pacis ab ijſdem Ethnicis Poetis vocatur,ſicut iam index pacis & fœderis inter Deum & homines conſtituitur. Hoc non ex naturâ ſua Iris habet:ſed ex voluntate ac nutu Dei,qui *recordabor*, inquit, *fœderis mei vobiſcum*:atque ex Iridis aſpectu,pacti ac miſericordiæ admonebor.

Lib. de Noe & arca c. 17. S. Ambroſius hæc habet, *ideo dixit arcum meum ponam in nube, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt, itaque non ipſe arcus vulnerat: ſed ſagitta. Ideo Dominus in nubibus arcum magis, quàm ſagittam ponit. ideſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat.* Ait tamen, hunc arcum Dei, minimè iridem eſſe, quam credit dumtaxat interdiu videri & noctu non item. Quoniam autem arcus nunc extenditur, nunc laxatur, exiſtimat eâ periphraſi circumſcribi virtutem Diuinæ miſericordiæ, *Ibidem.* quæ *neque omnia*, inquit, *confundi nimia ſolutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur.*

Conſenſus tamen Patrum, & Interpretum eſt, hoc loco aſſumi à Deo in ſignum fœderis veram Iridem, illam quam Thaumantis, ideſt admirationis, *In Theæte-to.* filiam dictam eſſe, Plato admodum probat, & quæ tanto naturæ artificio, vel miraculo in aëre figuratur. Nec ea in aëre generatur interdiu ſolum, & operâ ſolis, ſed noctu etiam, & lunæ miniſterio, vt ego ipſe eam me vidiſſe Romæ, aliquando memini.

Arcum meum ponam in nubibus. Suſpendere arcum in armamentario, argumentum eſt, ceſſare bellum, & pacem initam, vel fœdus ictum iam eſſe. Nubes ſunt armamentarium Dei, nec aſſentatio ſit, Deo illud accommodare.

Claudianus *Tibi militat æther,*
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Ex ijs imbres, niues, grandines, inundationes mittit: tonitrua ſunt claſſicũ eius, fulgura ſunt minæ, fulminaque ad hominum vulnera certa Deus, tanquam haſtas ineuitabiles, vibrat. Sic aduerſus mortalium peccata Deus armatur: & Orbis terrarum pugnat pro eo, contra inſenſatos. In hoc armamentario igitur tam bene inſtructo, Deus exercituum, compoſuit arcum ſuũ, poſtquam intra carceres oceani, & fontium abyſſi, vel intra Cœli cataractas, Diluuij aquas conſtrinxerat, atque coercuerat, vt eſſet ſignum fœderis, & pacis, redderetque memorem Deum pollicitationis ſuæ.

Porrò benefica Iris videtur ſemper eſſe terræ, quam aquę diluuij, putri, & *Lib. 12. c. 24.* ſalſa illuuie non parum infecerunt. Plinius Auctor eſt, in quocumque frutice curuetur arcus cœleſtis, eandem, quæ ſit aſpalatho, ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam ſpinam candidam intelligit, magnitudine arboris modicæ, & flore roſæ, quam alij ſceptrum vocant. Sc[illegible]trum, quo hic in terris homines Deus gubernat, aſpalatho haud vider[illegible] ſimile: ſpinas habet punitionis pro malis, roſas habet remunera[illegible] bonis. Super ipſum iam arcus cœleſtis quodammodo curuatur. H[illegible] ſuauitas inenarrabilis miſericordiæ eius, & auditur illud: *Nequaq[illegible]* *Lib. 1. in Ezechiel. hom. 8.* *tur vltra omnis caro, aquis diluuij.* S. Gregorius conſiderat in eod[illegible] rem aquæ, & colorem ignis, quia partim cęruleus eſt, & p[illegible]

atque infert, vtriusque iudicij teſtem Iridem eſſe; alterius quod fuit, & alterius quod futurum eſt. Quamquam in Iudicio poſtremo, etiam ij, qui ſubmerſi ſunt aquis diluuij, vna cum cæteris iudicabuntur.

Arcum meum ponam in nubibus. Sic erexit arcum ſuum triumphalem Deus, pace inita, & bello extincto: & fortaſſe hinc mos emanauit ſurrigendi apſides & arcus; quando cum victoria, & pace magni Duces, & bellicis expeditionibus remigrant. Primum eorum Saul, poſt deletos Amalecitas, excitauit in Carmelo, annis amplius centum & mille, antequam Romæ erigeretur arcus Titi, reducis ex bello Ieroſolymitano, qui extat iam ibi omnium antiquiſſimus. Quanquam & potuit Titus in caſtris obſeſſæ Ieroſolymæ de Arcu cœleſti aliquid audiuiſſe: fuerint ij arcus potius portæ, ad gloriam extructæ, tum excipiendis Imperatorum triumphis, tum retinendis victoriæ titulis, in annos conſequentes. Quale monumentum hodieque legitur in arcu Magni Conſtantini, cum hoc lemmate glorioſo: LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS. 1. Reg. c. 15

METAPHORA XXVIII.

Dilatet Deus Iapheth, Gen. c. 9. v. 27.

NOE inſtaurator Mundi vineam plantauerat, ſeu vites, in priori etiam ætate, conſitas, & in cibum datas, in potionis vſum verterat: primusque vini damna paſſus. & ex eo indormiens, iacuerat in tabernaculo nudus, donec Sem, & Iapheth verecunde, & acceſſu retrogrado operuerunt eum.

Expergiſcitur Noe [illegible] comperta, Cham alteri filiorum, qui defuerat officio, non maledixi[illegible] andoqui[illegible] paulò ante benedixerat Deus, ſed imprecatu[illegible] Chana[illegible] ſteritati illius, imponen[illegible] ei gnobilem ſerui[illegible] enan[illegible] nitus primum inter hom[illegible] o ide[illegible] ominans duobus fili[illegible] nite[illegible] *[illegible] inus Deus Sem, ſit Chan[illegible] aph[illegible] n tabernac[illegible] lis Sem.* [illegible] d[illegible] videatur eſſe veſti[illegible] [illegible] fratris, renocuntis [illegible] oſſa matris poſt ter[illegible] [illegible] um. Id inquam omit-

 to, &

to,& venio ad textum propoſitum;in quo latentem aliquem theſaurum Diuus Ioannes Chryſoſtomus contineri putat.

In c.9. Gen. hom.29.

Dilatet Deus Iapheth. Hæc benedictio ducitur ex illuſione ad nomẽ Iapheth, quod eſt idem ac dilatatus. Sortes à Noe poſitas fuiſſe, & Sem primogenito Aſiã, Cham ſecundo genito Aphricam, Tertiogenito Iapheth (qui eſt Iapetus) Europam noſtram obueniſſe, ſcribit inter alios plures etiam Ioſephus Hebræus,& ideo huius, præ alijs, filij Noe, inter Græcos & Latinos manſit fama,tanquam Parentis Europæ,& eius conditoris. Quomodo autem à ſeptem filijs eius repetant originem, & nomen Populi Europæ, indicant S. Hieronymus, S. Iſidorus, Rupertus Abbas, Abulenſis, & omnium accuratiſſimè Benedictus Arias Montanus.

De Gentiũ Region. c. 6.

Dilatet Deus Iapheth. S. Ambroſius dici hoc exiſtimat, propterea quod poſteritas eius Rhodum inſedit,& alias Inſulas Nationum. *Non immerito*, inquit, *latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem natura, hoc eſt maritimam, generatio eius proceſſit. Verè enim tanquam latitudo, non fuit eo contenta, quod in vſum hominibus natura præſcripſerat, hoc eſt terræ poſſeſſione, verum etiam introgreſſa eſt mare, & ad inſulas vſque proceſſit.*

S. Ioannes Chryſoſtomus tamen,& S. Hieronymus, credunt in ea Iapheth dilatatione latitudinem,& vocationem Gentium prædici. *Per Sem*, inquit, *Iudæos ſignificare voluit, ex illo enim & Abraham, & Iudæorum genus multiplicatum eſt: per Iapheth autem Gentium vocationem.* Similia habet S. Hieronymus. Quod autem additur, *& habitet in tabernaculis Sem, de nobis*, inquit, *prophetatur, qui in eruditione,& ſcientia ſcripturarum, eiecto Iſraele, verſamur.* In diuiſione linguarum, ad turrim Babel, lingua ſacra manſerat in familia Heber, qui erat Noe quintus Nepos,& ipſius Sem abnepos. Ab hoc Heberæi,& vna littera adempta, Hebræi originem,& nomen habuerunt. Horum verò ſynagoga, doctrina,& religio exprimitur per tabernacula Sem, in quibus Iapheth, ideſt Gentium Eccleſia, poſt reprobatam Iudæorum plebem, diu habitauit, hodieque feliciſſime conquieſcit. Pulchrum eſt,& ad rem noſtram facit, quod de Iudæorum natione habet Eucherius. *Quid aliud*, inquit, *eſt hodie gens ipſa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum fidelium, baiulans leges,& Prophetas, ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ, vt nos haberemus per ſacramentum, quod nuntiat illa per litteram.*

In c.9. Gen. hom 29. Quæſt. Hebraicis in Gen.

METAPHORA XXIX.

Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis. Geneſ.cap.12.verſ.17.

PRÆCESSERANT hæ generationes Heber, Phalog, Reu, & Sarug,qui dicitur initium dediſſe idololatriæ:cum enim ſtudio gratitudinis imagines virorum illuſtrium,coloribus expreſſiſſet,quò eorum recordatio eſſet perennior:paulatim iis ſimulacris cœpta eſt tribui veneratio:ſeu ex Dœmonis aſtu,ſeu quia Principes dederant eis aſyli ſecuritatem. Ex Sarug ſequuti fuerant Nachor,& Thare, ille Auus,hic Parens magni Patriarchæ Abrahæ. Qui natus anno Mundi cIɔ.cIɔ.xxxix.Paulo vltra dimidium temporis,quod interceſſit,à mundi exordio,vſque ad Chriſti Domini natiuitatem,hoc eſt elapſis annis non amplius xiii. ab ea temporis medii periodo, quæ fuit anno cIɔ.cIɔ.xxvi.vltimus natu inter filios Thare, ſed dignus,qui ex rerum maximarum deſtinatione,in ſcriptura ſacra,honoris ergo,primus nominetur, natione fuit Chaldæus ſeu Meſopotamus,Patria Vræus. Is egredi iuſſus à Deo de Vr Chaldæorum, & proficiſci in terram Chanaan propter ingraueſcentem famem, Ægyptum adiit. Ibi Pharao,audita fama pulchritudinis Saræ,vxoris eius,quam Abraham ſororem dici maluerat,adduci eam præcepit ad Gynecæum ſuum,& propter hoc *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis*. S. Ioannes Chryſoſtomus, *&* In c. 13. Gen. hom. 32. *examinauit*,inquit,*Deus Pharaonem examinibus magnis & grauibus, & domum eius propter Saram vxorem Abram. Quid eſt examinauit? pœnam, inquit, exigit flagitii, & mali conatus,examinationibus magnis*. Nimirum adeò iuſta ſunt iudicia Dei, vt diſquiſitio,& pœna,examen & flagellum,in tribunali eius, idem eſſe cenſeātur,& quaſi vocabula eadem vſurpentur.Contra in tribunali hominum,ſæpe plurimum eſt flagelli, parum aut ferme nihil examinis & diſquiſitionis, quaſi non iuſtitia,ſed crudelitas exerceatur.

Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis. Philo Iudæus plagas eas maximas exiſtimat fuiſſe morbos,& cruciatus. Ioſephus item Iudæus, peſtilentiam, Lib. de Abraham & ſeditionem:alii ſterilitatem mulierum Ægyptiarum:ſed quamcumq; pœnam inflixerit Deus,dicitur quaſi vir potens & toroſis brachiis flagellum arripuiſſe, Regemque & domeſticos eius verberaſſe, vſque ad inflictas plagas ingentes, in corporibus eorum, nempe vlcera morbi, vel contagii, quæ impreſſerat eis, inſtar flagelli, vltio diuina. Cur etiam familiares, & do-

& domeſtici Regis luere pœnas debuerint, indicat S. Ioannes Chryſoſtomus: *Veriſimile eſt, inquit, eos cooperatos fuiſſe, vt aliquando eo maior ſtetetur iniquitas: Audiſti enim ſupra ſcripturam dicentem: quia vt viderant eam Principes Pharaonis, laudauerunt illam, & ſublata eſt mulier in Domum Pharaonis.* Et poſtea infert: *Ecce ergo, quomodo lenonis egere officium, in Regis gratiam, auferendo iuſti vxorem, quapropter non ipſe ſolus, ſed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes.*

In c.12. Gē. hom. 32.

Subtexenda hic eſt, vtilis illa, & elegans adhortatio Diui Ambroſij, vt abſtineat vnuſquiſque, ab iniuria thori alieni, nec latendi ſpe, aut faciendi impunitate vxorem alienam inceſtet. *Adeſt, inquit, Præſul coniugij Deus, quem nihil latcat, nullus euadat, nemo irrideat, vicem abſentis mariti tuetur, ſeruat excubias, imo ſine excubijs deprehendit Reum, antequam faciat, quod parauerat. In animis ſingulorum, in mentibus vniuerſorum crimen agnoſcit. Etſi maritum adulter feſelleris, non falles Deū: etſi iudicem fori luſeris: non euades iudicem totius Mundi.* Diſce hinc etiam, liberum quidem eſſe homini, velle peccare: ſed non ſemper ei liberum eſſe peccandi voluntatem explere: & Deum vlciſci interdum ipſa peccandi deſideria, priuſquam ea opere conſummētur. Vt de Sara aliquid ſubdamus. *In quo ſtatu putas,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *per illud tempus erat mulieris mens? quomodo turbata erat ratio? quomodo fluctus eleuabantur? quomodo non fragium non fecit? ſed manſit, quaſi immobilis petra, ad cæleſtem gratiam ſemper ſpectans.* Intactam eam permāſiſſe, citra omne dubium eſt, cum Deus cuſtos honoris Abrahæ fuerit, & cuſtos Saræ, atque eius vteri felicis, ex quo ſemen benedictum, & ſiderea poſteritas erat naſcitura. *Licet corpus ſanctarum Mulierum,* inquit Diuus Hieronymus, *non vis maculet, ſed voluntas, & excuſari poßit Sarai, quod famis tempore ſola Regi, in peregrinis locis, marito conniuente, reſiſtere nequiuerit. Tamen poteſt & aliter fœda neceßitas excuſari. Quod iuxta librum Heſter, quæcumq; mulierum placuiſſet Regi apud veteres, ſex menſibus vngebatur oleo myrrhino, & ſex menſibus in pigmentis varijs erat, & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita poteſt fieri, vt Sarai, poſtquam placuerat Regi, dum per annum eius ad Regem præparatur introitus, & Abraham Pharao multa donauerit, & Pharao poſtea ſit percuſſus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanſerit.* Similem de Sara Apologiam habet S. Auguſtinus, vbi & citat expoſitionem antedictam Presbyteri Hieronymi. Ibidem excuſat etiam Abraham à ſuſpicione mendacij, ſic enim de eo loquitur, *tacens quod vxor eſſet, & non mentiens, quod ſoror eſſet vt caueret, quod cauere quantum homo poterat: & Deo commendaret, quod cauere non poterat.*

Eadem homil. 32. in c. 12. Gen.

Quæſt. Heb. in Gen.

Quæſt. ſuper Gen l. 1 q 26.

Pulchrum eſt, quod Origenes habet, de ſpecie oris, & forma flore. *Etſi accuſandus, inquit, decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt diuinæ plaſticæ acceſſio, et anima aliqua veſtis vrbana: timendum tamen eſt, vel propter iniuriam & violentiam ſpectatorum. Quæ etiam Pater fidei Abraham, in vxoris ſuæ ſpecie pertimuit & ſororem mentitus, ſalutem contumeliâ redemit.* Id eſt, ſororem tantum eam eſſe ſimulans, contumeliæ

Lib. de cultu fœmin. c. 2.

meliæ diſcrimen adiuit, vt ſaluti conſuleret. Enimuerò pretioſa quidem, ſed periculoſa domi ſupellex, eſt vxor pulchra: & ſæpenumero ſtat curis adeo magnis cuſtodia eius: vt tanti emere non expediat, niſi virtus pulchritudinem comitetur.

Demum S. Hieronymus de Abraham illud notat, ipſum, de Ægypto liberatum, dici non incongrue aſcendiſſe, & exponens inſuper, quomodo potuerit de Ægypto exire diues valde, ait, in Hebræo textu haberi, *Abram grauis vehementer* tum verò ſubdit, *Aegypti enim pondere grauabatur: & licet videantur eſſe diuitiæ pecoris, auri, & argenti: tamen, ſi Aegyptiæ ſunt, viro ſancto graues ſunt.* *In quaſt. Hebr ſuper Gen.*

METAPHORA XXX.

Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Geneſ. cap. 15. verſ. 1.

QVATVOR externi Reges, victoria potiti, contra Reges quinque Pentapolis, cum præda & captiuis, etiam Loth abducebant, cognatum Abrahæ: cum is cogens, atque inſtruens aciem ſuam domeſticam, & expeditis vernaculis, itinere quinque dierum, hoc eſt ex Hebron, vſque Dan, inſequutus eſt eos Reges prædabundos, & adoriens eos noctu ſemiſomnes, partim in fugam egit, partim trucidauit, prædamque cum Loth omnē retulit. Obuius ei reduci, & victori fuit Melchiſedech, Virgo, Rex, & Sacerdos: qui dicitur ab Apoſtolo fuiſſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: vt melius referret Regnum & Sacerdotium illius; qui in Cœlo matre, in terris Patre caruit, & cuius vtramque generationem quis enarrabit? Is ergo Sacerdos, qui neque ſucceſſorem habuit, neque anteceſſorem, vti figura Christi qui eſt ſacerdos in æternum, pro gratiarum actione panem, ac vinum obtulit Deo, eaque immolata, Abrahæ, atque illius generoſis militibus diſtribuit; præludens ſacrificio magno, quod in Eccleſia Dei iugiter iam immolatur. Viciſsim Abraham, ob partam, Dei ope victoriam, ſancto Pontifici decimas dedit. Dein vt oſtenderet, ſe non hoſtes modò viciſſe, ſed etiam ſuperaſſe cupiditatem habendi, recuſauit locupletari à Rege Sodomorum, eoque exemplo ſpecioſi contemptus, delectatus plurimum Deus, & ſecurus circa Heroem ſuum; quem vtique ſperaret, ſibi admodum fore fidum, quādoquidem tentauerat incaſſum auaritia, ſi quo modo poſſet eum ſuperare, dixit ei, *noli timere Abraham: Ego protector tuus ſum.* In Hebræo textu eſt: *Noli ti-*

mere Abram, Ego ſcutum tibi. Hoc eſt, vt interpretatur his verbis S. Ioannes Chryſoſtomus: *Ego ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnator fio, ego curam gero, ego omnia difficilia, facilia tibi reddam, ego protego te.* Oportuna fuit hæc promiſſio protectionis diuinæ: quia potuerat metuere Abraham, ne quinque illi Reges, cæſi ex inopinato, redintegratis viribus rurſus Pentapolim, & præterea etiam Hebron inuaderent, & cladem ſibi illatam vlciſcerentur. Sed iam nihil amplius potuiſſent caſtra hominum, aduerſus eum, cuius clypeus erat Deus.

In c. 15. Gē. Homil 3.

Nec tantum Abrahæ dedit benignus Deus eam teſſeram ſecuritatis: ſed & addidit: *Ego merces tua magna nimis.* Quaſi diceret, diuitias oblatas à Rege Sodomorum, meritò, & ſapienter contempſiſti. Ego enim ſum, qui ſolus implebo ærarium tuum, quod ſi me eris diues, mecum poſſidebis omnia. *Non eſt ſerus,* inquit Diuus Ambroſius, *ad remunerandum Dominus, & citò promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquam ſubeat pœnitentia, contempſiſſe præſentia, & velut quadam vſuraria largitate compenſat: vt vberiora reſtituat ei, qui captus non fuerit oblatione præſentium.* Profectò non ſolum cum fœnore remunerat eum Deus, ſed longe eſt ſupra ſortem, remuneratio quam offert, dum ſeipſum fore mercedem illius pollicetur. Tanti refert præſentia, & quæ habentur æſtimatione hominum prima, deſpicere, ac liberè Deum ſequi. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hanc Dei celeritatem in remunerando, egregiè etiam ipſe notat, videturque ei Deus retro ſequi hominem recte operantem, & pede quaſi pedem premere, vt confeſtim offerat præmium, vbi hominis viderit meritum. *Vide,* inquit, *miſericordiam Domini, quam ſtatim, & è veſtigio ſequens, beneficijs ſuum Athletam remunerat: & ad vlteriora certamina iterum inſtruens, vigore nouo roborat?*

Lib. 1. de Abram Patriar. c. 3.

In c. 15. Gē. homil 36.

Ego merces tua magna nimis. Deum, qui Dominus eſt, mercedis titulo velle obſequia ab hominibus, magna enimuero miſericordia eſt. Fruſtra Hæretici ſibi blandiuntur: merces ipſis deerit, ſi & merita defuerint. Gloria, & vita æterna, merces ſunt, cenſeri gratuita igitur iſta non debent. Sed & Abraham in hac etiam vita, mercedem habuit à Deo ſane copioſam, & locupletem: poſteritatem nimirum, tot promiſſionibus, & oraculis cumulatam, & imprimis totius proſapiæ, in cultu Dei perſeuerantiam, dum vndique nationes Idola, & eorum ritus abominandos ſectarentur.

METAPHORA XXXI.

Ecce concluſit me Dominus, ne parerem. Gen.c.16.v.2.

DIxerat iam Deus Abrahæ, *numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum:* hoc eſt, ſicut iuxta vulgi perſuaſionem, ſtellæ Cœli numero carent, ita innumerabiles erunt poſteri tui. Alioqui comprehendunt Aſtronomi ſidera nota, figuris imaginarijs XLVIII. & in plurimis earum inuenies ſtellas pauciores; quam proles, & capita in iuſta familia ſoleant numerari. Promiſsionem eam tam felicem, & prorſus cœleſtem inaudiuerat Sara: & deſiderio exarſit, vt tot ſiderum mater, tot luminum genitrix euaderet. Idcirco metuens, ne viro & ſibi tamdiu procederent anni, donec generare & parere, vltra ætatem eſſe videretur. *Ecce,* inquit, *concluſit me Deus ne parerem. Quanta huius verbi emphaſis eſt,* inquit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: *quam ineffabilem oſtendit Dei potentiam, & prouidentiam? quaſi diceret, ſicut nos aperimus, & claudimus domos: ita & Dominus in natura operatur, & eam ſuo precepto claudit, & iterum quando vult aperit.* Non multis moror in metaphorę huius expoſitione: nam alibi, inter claues alias, quas olim Hebręi Deo tribuebant, etiam hanc enumerauimus; qua mulieris aluum, & per eam infanti aditum ad vitam Omnipotentia ſua dicitur aperire. Quam multi ſunt, qui dum fructa coniugij priuantur, tentant, vt fœcundi euadant, varia naturæ vel conſilia, vel remedia! Sed irridet eos Dominus ille, qui clauſtri huius clauem ſolus habet. Præſtat cum adire votis: aperiet ipſe vuluam: & vxor viro dabit fœcunditatem. Expertus id Abraham eſt in Sara coniuge ſua, ſed poſt quam diu probata eius virtus fuit. Si enim ſtatim conceſsiſſet illi Deus ſobolem, *virtus Dei,* vt loquitur idem S. Ioannes Chryſoſtomus, *tunc manifeſtata quidem fuiſſet: nam emortuam naturæ officinam, & inutilem ad procreandos filios factam, ſuo precepto iterum viuificaſſet. At non ita ſuarum laudum corona redimitus fuiſſet Propheta: ſtatim promiſſa accipiens, vt nunc cum tanto tempore ſua probata eſt virtus, & quotidie facta eſt clarior.* Sic Deus, cæteroqui velox ad benefaciendum, ſera beneficia ſua, quodammodo inaurat, & multo ea reddit pretioſiora, dum vtiliter differt eorum largitionem.

In c.16. Gen. homil. 38.

In c.16. Gen. homil. 38.

In ſermone ad fratres de monte Dei.

uerentia exhibeatur. Verumtamen hæc imago Dei, vt loquitur S. Bernardus, *in homine quantum ad meritum eius, nullius apud Deum eſt momenti, cum naturæ, non voluntatis eius ſit, vel laboris.*

Ibidem.

Eſt alia, inquit idem S. Bernardus, *magis Deo propinqua ſimilitudo; in quantum voluntaria, quæ in virtutibus conſiſtit: in qua animus, virtutis magnitudine, ſummi boni, quaſi imitari geſtit magnitudinem; & perſeuerantia in bono conſtantiâ æternitatis eius incommutabilitatem.* Vtinam hæc æmulari chariſmata meliora homines ſtuderent: vtinam ſaperent, & intelligerent, hanc ſui generis & originis dignitatem. Ad id hortatur illis verbis Diuus Ambroſius; *quiſque diligentius attendat primæ conditionis ſuæ excellentiam: & venerandam in ſeipſo ſanctæ Trinitatis imaginem agnoſcat, honoremq́; ſimilitudinis diuinæ, ad quam creatus eſt, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat.* Facta huius ſimilitudinis deprauatione, ille qui eſt imago patris, & figura expreſſa ſubſtantiæ Dei, videns hominem depoſita ſua imagine (quod ait Origenes) maligni imaginem induxiſſe, motus miſericordia, imagine hominis aſſumptâ, venit ad eum, & qui in forma Dei erat, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc pacto ſimilitudinem deprauatam, vt ita loquar, ſuperponens Archetypo, atque coniungens hominem Deo feliciſſime illam reparauit.

Lib. de Digni. humanæ conditio-nis c 3.

Fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Redeo ad hoc diuinum edictum: quod miror ſane ijs formulis non fuiſſe factum, quando anxius animi erat Cain, ne paſſim interficeretur, ob iuſti Abel parricidium. Et dicerem, Deum noluiſſe teſſeram hanc imaginis ſuæ ſuffragari homini, qui eandem imaginem in ſe primus, ſanguine humano, fœdauerat: niſi hæc prohibitio quæuis homicidia facinoroſorum & quorumcumque Reorum, (ſi fiant ex vltione priuata, & ex priuata auctoritate) ſuſtuliſſet. Nam in ijs licet deſideretur fortaſſis ſimilitudo Dei, imago eius ſaltem nunquam deeſt, quā oporteat nos in ijs reuereri. Notat ideo Cardinalis Caiet. in Hebræo codice ita haberi: *effundens ſanguinem hominis, in hominem, ſanguis eius effundetur,* & ita id explicat vt ſenſus ſit, occidere hominē, vt iniuria fiat homini, nunquam id licere: ſed licere hoc Iudici, & habenti poteſtatem publicam, quia tunc nō fit iniuria homini, ſed ſecuritati publicæ, & publico bono conſulitur.

Homil. 20. ad populum Antiochenū. Baron Annal. t. 3. An. Chriſti 323.

Venit in mentem hoc loco, ad metaphoræ huius explicationem, & ſimul ad præclarum exemplum clementiæ id, quod S. Ioannes Chryſoſtomus, recordationi poſterorum eloquentiſſimè, commendauit: quando Conſtantinus Magnus, audiens Alexandriæ Ciues, orto diſſidio, occaſione ſchiſmatis Meletiani, ſtatuam ipſius ſtatuam imperatoriam lapidaſſe; reſpondit ijs: qui ſuadebant vltionem, & qui affirmarant Alexandrinos, totam eius faciem ſaxis cō-

uulne-

uulneraſſe, reſpondit, inquam, *Ego verò nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſanam verò faciem totam.* Sic lenitate memorabili abſtinuit vel à ſpecie ipſa priuatæ vltionis. Quam animi moderationem, in eo deinceps etiam, omnia ſecula ferent. Deus perinde ſæpe ignoſcit contemnenti in alijs, vel lædenti ſiue imaginem, ſiue ſimilitudinem ſuam.

Hanc verò perfectionis eius teſſeram in alijs quam pauci ſunt, qui requirant: plus honoris habent bona fortunæ, naturæ dotes, & humanæ dignitates, quàm ſola, ſine ijs phaleris, & nuda virtus. *Deus nimium indignatur*, inquit *In Minoe.*
Plato, *quoties quiſquam illius ſimilem improbat, aut diſſimilem probat. Dei verò ſimilis eſt vir bonus, neque lapides aut ligna, auesq; atque ſerpentes ſacra exiſtimes: homines verò nequaquam; imo ſacratiſſimum omnium eſt vir bonus; prophaniſſimum contra vir* *In c.22.*
malus. Non minus aurea vox eſt illa S. Ioannis Chryſoſtomi. *Imago Dei non eſt* *Matt. ho.*
in auro depicta, ſed in hominibus figurata. Numiſma Cæſaris aurum eſt; numiſma Dei mil *42.*
homo eſt. Et deinde infert. *Ideò diuitias veſtras Cæſari date: Deo autem conſcientiæ veſtræ ſolam innocentiam reſeruate, vbi Deus videtur.*

METAPHORA XXVII.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, inter me, & inter terram.

Gen. c. 9. v. 13.

CERTVM videtur, viſam in cœlo Iridem, etiam ante diluuium, fuiſſe: cum generetur, vti opus naturæ, quoties nubes duæ, ſoli obuerſantur, altera tenuis, concaua, & rorida, quæ radios accipiat; altera poſt eam denſior, quæ radios eoſdem reuibret & repercutiat; quemadmodum agit plumbi opacitas in ſpeculis perſpicuis. *Ariſtoteles 3. meteor.*
Ita neceſſe eſt, ſolis radios immiſſos cauæ & roridæ nubi, repulſa acie, per nubem opacam, refringi in ipſum Solem, ac mixtura nubium, aeris, & lucis Iridem colorari. *Plin. l. 2. c. 59.*

Iridem Iunoni ancillari, Poetæ finxerunt, ſub eius throno ſedere, ac lectum ei ſternere: quod ideo dicitur: quia poſtquã Iris apparuerit, in aëre vndiq; conſerenat, & Iuno, hoc eſt aër quieſcit à procellis ac turbinibus; quaſi lectus ei ſterneretur: ſub throno Iunonis ſedere fingitur, quia in aëris ima parte producitur. Deniq; nuncia pacis ab ijſdem Ethnicis Poetis vocatur, ſicut iam index pacis & fœderis inter Deum & homines conſtituitur. Hoc non ex naturâ ſua Iris habet: ſed ex voluntate ac nutu Dei, qui *recordabor*, inquit, *fœderis mei vobiſcum*: atque ex Iridis aſpectu, pacti ac miſericordiæ admonebor.

Lib. de Noe & arca c. 17. S. Ambroſius hæc habet, *ideo dixit arcum meum ponam in nube, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt, itaque non ipſe arcus vulnerat: ſed ſagitta: ideo Dominus in nubibus arcum magis, quàm ſagittam ponit. ideſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſolet.* Ait tamen, hunc arcum Dei, minimè iridem eſſe, quam credit dumtaxat interdiu videri & noctu non item. Quoniam autem arcus nunc extenditur, nunc laxatur, exiſtimat eâ periphraſi circumſcribi virtutem Diuinæ miſericordiæ, Ibidem. quæ *neque omnia*, inquit, *confundi nimia ſolutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur.*

Conſenſus tamen Patrum, & Interpretum eſt, hoc loco aſſumi à Deo in ſignum fœderis veram Iridem, illam quam Thaumantis, ideſt admirationis, In Theæteto. filiam dictam eſſe, Plato admodum probat, & quæ tanto naturæ artificio, vel miraculo in aëre figuratur. Nec ea in aëre generatur interdiu ſolum, & operâ ſolis, ſed noctu etiam, & lunæ miniſterio, vt ego ipſe eam me vidiſſe Romæ, aliquando memini.

Arcum meum ponam in nubibus. Suſpendere arcum in armamentario, argumentum eſt, ceſſare bellum, & pacem initam, vel fœdus ictum iam eſſe. Nubes ſunt armamentarium Dei, nec aſſentatio ſit, Deo illud accommodare.

Tibi militat æther,

Claudianus *Et coniurati veniunt ad claſſica venti.*

Ex ijs imbres, niues, grandines, inundationes mittit: tonitrua ſunt claſſicũ eius, fulgura ſunt minæ, fulminaque ad hominum vulnera certa Deus, tanquam haſtas ineuitabiles, vibrat. Sic aduerſus mortalium peccata Deus armatur: & Orbis terrarum pugnat pro eo, contra inſenſatos. In hoc armamentario igitur tam bene inſtructo, Deus exercituum, compoſuit arcum ſuũ, poſtquam intra carceres oceani, & fontium abyſſi, vel intra Cœli cataractas, Diluuij aquas conſtrinxerat, atque coercuerat, vt eſſet ſignum fœderis, & pacis, redderetque memorem Deum pollicitationis ſuæ.

Porrò benefica Iris videtur ſemper eſſe terræ, quam aquę diluuij, putri, & Lib. 12. c. 24. ſalſa illuuie non parum infecerunt. Plinius Auctor eſt, in quocumque frutice curuetur arcus cœleſtis, eandem, quæ ſit aſpalatho, ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam ſpinam candidam intelligit magnitudine arboris modicæ, & flore roſæ, quam alij ſceptrum vocant. Sceptrum, quo hic in terris homines Deus gubernat, aſpalatho haud videtur abſimile: ſpinas habet punitionis pro malis, roſas habet remunerationis pro bonis. Super ipſum iam arcus cœleſtis quodammodo curuatur. Hinc oritur ſuauitas inenarrabilis miſericordiæ eius, & auditur illud: *Nequaquam interficietur vltra omnis caro, aquis diluuij.* S. Gregorius conſiderat in eodem arcu colo- Lib. 1. in Ezechiel. homil. 8. rem aquæ, & colorem ignis, quia partim cęruleus eſt, & partim rubicundus: atque

atque infert, vtriusque iudicij teſtem Iridem eſſe; alterius quod fuit, & alterius quod futurum eſt. Quamquam in Iudicio poſtremo, etiam ij, qui ſubmerſi ſunt aquis diluuij, vna cum cæteris iudicabuntur.

Arcum meum ponam in nubibus. Sic erexit arcum ſuum triumphalem Deus, pace inita, & bello extincto: & fortaſſe hinc mos emanauit ſurrigendi apſides & arcus; quando cum victoria, & pace magni Duces, & bellicis expeditionibus remigrant. Primum eorum Saul, poſt deletos Amalecitas, excitauit 1. *Reg.* c. 15. in Carmelo, annis amplius centum & mille, antequam Romæ erigeretur arcus Titi, reducis ex bello Ieroſolymitano, qui extat iam ibi omnium antiquiſſimus. Quanquam & potuit Titus in caſtris obſeſſæ Ieroſolymæ de Arcu cœleſti aliquid audiuiſſe: fuerint ij arcus potius portæ, ad gloriam extructæ, tum excipiendis Imperatorum triumphus, tum retinendis victoriæ titulis, in annos conſequentes. Quale monumentum hodieque legitur in arcu Magni Conſtantini, cum hoc lemmate glorioſo: LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS.

METAPHORA XXVIII.

Dilatet Deus Iapheth, Gen. c. 9. v. 27.

NOE inſtaurator Mundi vineam plantauerat, ſeu vites, in priori etiam ætate, conſitas, & in cibum datas, in potionis vſum verterat: primusque vini damna paſſus, & ex eo indormiens, iacuerat in tabernaculo nudus, donec Sem, & Iapheth verecunde, & acceſſu retrogrado operuerunt eum.

Expergiſcitur Noe, & re comperta, Cham alteri filiorum, qui defuerat officio, non maledixit quidē: quandoquidem ei paulo ante benedixerat Deus, ſed imprecatus eſt filio eius Chanaan, & poſteritati illius, imponens ei grauiſſimam ſeruitutem. Sic in pœnam peccati ſeruitus primum inter homines inducta eſt. Poſtquam verò idem Noe fauſta ominans duobus filijs obſequioſis, dixerat de Primogenito. *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius*: ſubdidit, *dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq; Chanaan ſeruus eius.* Omitto de ijs illud inſinuare, quod videatur eſſe veſtigium aliquod obſcurum in antiquitate, huius vtriuſque fratris, retroeuntis cum pallio: dum Deucalion, & Pyrrha velaſſe caput, & oſſa matris poſt tergum proieciſſe finguntur, vt repararent genus humanum. Id inquam omitto, &

to,& venio ad textum propoſitum;in quo latentem aliquem theſaurum Diuus Ioannes Chryſoſtomus contineri putat.

In c.9. Gen. hom.29.

Dilatet Deus Iapheth. Hæc benedictio ducitur ex illuſione ad nomẽ Iapheth, quod eſt idem ac dilatatus. Sortes à Noe poſitas fuiſſe, & Sem primogenito Aſiã, Cham ſecundo genito Aphricam, Tertiogenito Iapheth (qui eſt Iapetus) Europam noſtram obueniſſe, ſcribit inter alios plures etiam Ioſephus Hebræus, & ideo huius, præ alijs, filij Noe, inter Græcos & Latinos manſit fama, tanquam Parentis Europæ, & eius conditoris. Quomodo autem à ſeptem filijs eius repetant originem, & nomen Populi Europæ, indicant S. Hieronymus, S. Iſidorus, Rupertus Abbas, Abulenſis, & omnium accuratiſſimè Benedictus Arias Montanus.

De Gentiũ Region. c.6.

Dilatet Deus Iapheth. S. Ambroſius dici hoc exiſtimat, propterea quod poſteritas eius Rhodum inſedit, & alias Inſulas Nationum. *Non immerito,* inquit, *latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc eſt maritimam, generatio eius proceſſit. Verè enim tanquam latitudo, non fuit eo contenta, quod in vſum hominibus natura præſcripſerat, hoc eſt terræ poſſeſſione, verum etiam introgreſſa eſt mare, & ad inſulas vſque proceſſit.*

S. Ioannes Chryſoſtomus tamen, & S. Hieronymus, credunt in ea Iapheth dilatatione latitudinem, & vocatïonem Gentium prædici. *Per Sem,* inquit, *Iudæos ſignificare voluit, ex illo enim & Abraham, & Iudæorum genus multiplicatum eſt: per Iapheth autem Gentium vocationem.* Similia habet S. Hieronymus. Quod autem additur, *& habitet in tabernaculis Sem, de nobis,* inquit, *prophetatur, qui in eruditione, & ſcientia ſcripturarum, eiecto Iſraele, verſamur.* In diuiſione linguarum, ad turrim Babel, lingua ſacra manſerat in familia Heber, qui erat Noe quintus Nepos, & ipſius Sem abnepos. Ab hoc Heberæi, & vna littera adempta, Hebræi originem, & nomen habuerunt. Horum verò ſynagoga, doctrina, & religio exprimitur per tabernacula Sem, in quibus Iapheth, ideſt Gentium Eccleſia, poſt reprobatam Iudæorum plebem, diu habitauit, hodieque feliciſſime conquieſcit. Pulchrum eſt, & ad rem noſtram facit, quod de Iudæorum natione habet Eucherius. *Quid aliud,* inquit, *eſt hodie gens ipſa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum fidelium, baiulans leges, & Prophetas, ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ, vt nos haberemus per ſacramentum, quod nuntiat illa per litteram.*

In c.9. Gen. hom 29. Quæſt. Hebraicis in Gen.

META-

METAPHORA XXIX.

Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis. Geneſ.cap.12.verſ.17.

PRÆCESSERANT hæ generationes Heber, Phalog, Reu, & Sarug,qui dicitur initium dediſſe idololatriæ:cum enim ſtudio gratitudinis imagines virorum illuſtrium,coloribus expreſſiſſet,quò eorum recordatio eſſet perennior:paulatim iis ſimulacris cœpta eſt tribui veneratio:ſeu ex Dæmonis aſtu,ſeu quia Principes dederant eis aſyli ſecuritatem. Ex Sarug ſequuti fuerant Nachor,& Thare, ille Auus,hic Parens magni Patriarchæ Abrahæ. Qui natus anno Mundi ciↄ.ciↄ.xxxix.Paulo vltra dimidium temporis,quod interceſſit,à mundi exordio,vſque ad Chriſti Domini natiuitatem,hoc eſt elapſis annis non amplius xiii. ab ea temporis medii periodo, quæ fuit anno ciↄ.ciↄ.xxvi.vltimus natu inter filios Thare, ſed dignus,qui ex rerum maximarum deſtinatione,in ſcriptura ſacra,honoris ergo,primus nominetur, natione fuit Chaldæus ſeu Meſopotamus,Patria Vræus. Is egredi iuſſus à Deo de Vr Chaldæorum, & proficiſci in terram Chanaan propter ingraueſcentem famem, Ægyptum adijt.Ibi Pharao,audita fama pulchritudinis Saræ,vxoris eius,quam Abraham ſororem dici maluerat,adduci eam præcepit ad Gynecæum ſuum,& propter hoc *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis*.S.Ioannes Chryſoſtomus, & *examinauit*,inquit,*Deus Pharaonem examinibus magnis & grauibus, & domum eius* (In c. 13. Gen. hom. 32.) *propter Saram vxorem Abram. Quid eſt examinauit? pœnam, inquit, exegit flagitij, & mali conatus,examinationibus magnis.* Nimium adeò iuſta ſunt iudicia Dei, vt diſquiſitio,& pœna,examen & flagellum,in tribunali eius, idem eſſe cenſeatur,& quaſi vocabula eadem vſurpentur. Contra in tribunali hominum,ſæpe plurimum eſt flagelli, parum aut ferme nihil examinis & diſquiſitionis, quaſi non iuſtitia,ſed crudelitas exerceatur.

Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis. Philo Iudæus plagas eas maximas exiſtimat fuiſſe morbos,& cruciatus.Ioſeph item Iudæus, peſtilentiam, (Lib. de Abraham.) & ſeditionem:alij ſterilitatem mulierum Ægyptiarum:ſed quamcumq; pœnam inflixerit Deus,dicitur quaſi vir potens & toroſis brachijs flagellum arripuiſſe, Regemque & domeſticos eius verberaſſe, vſque ad inflictas plagas ingentes, in corporibus eorum, nempe vlcera morbi, vel contagij, quæ impreſſerat eis, inſtar flagelli, vltio diuina. Cur etiam familiares, & do-

& domeſtici Regis luere pœnas debuerint, indicat S. Ioannes Chryſoſtomus: *Veriſimile eſt, inquit, eos cooperatos fuiſſe, vt aliquando co miniſtraretur iniquitas: Audiſti enim ſupra ſcripturam dicentem: quia vt viderunt eam Principes Pharaonis, laudauerunt illam, & ſublata eſt mulier in Domum Pharaonis.* Et poſtea infert: *Ecce ergo, quomodo lenonis egere officium, in Regis gratiam, inferendo iuſti vxorem, quapropter non ipſe ſolus, ſed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes.*

In c.12. Gē. hom 32.

Subtexenda hic eſt, vtilis illa, & elegans adhortatio Diui Ambroſij. vt abſtineat vnuſquiſque, ab iniuria thori alieni, nec latendi ſpe, aut faciendi impunitate vxorem alienam inceſtet. *Adeſt, inquit, Præſul coniugij Deus, quem nihil latcat, nullus euadat, nemo irrideat, vicem abſentis mariti tuetur, ſeruat excubias, imo ſine excubijs deprehendit Reum, antequam faciat, quod parauerat. In animis ſingulorum, in mentibus vniuerſorum crimen agnoſcit. Etſi maritum adulter fefelleris, non falles Deū: etſi iudicem fori luſeris: non euades iudicem totius Mundi.* Diſce hinc etiam, liberum quidem eſſe homini, velle peccare: ſed non ſemper ei liberum eſſe peccandi voluntatem explere: & Deum vlciſci interdum ipſa peccandi deſideria, priuſquam ea opere conſummētur. Vt de Sara aliquid ſubdamus. *In quo ſtatu putas,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *per illud tempus erat mulieris mens? quomodo turbata erat ratio? quomodo fluctus eleuabantur? quomodo naufragium non fecit? ſed manſit, quaſi immobilis petra, ad cœleſtem gratiam ſemper ſpectans.* Intactam eam permāſiſſe, citra omne dubium eſt, cum Deus cuſtos honoris Abrahæ fuerit, & cuſtos Saræ, atque eius vteri felicis, ex quo ſemen benedictum, & ſiderea poſteritas erat naſcitura. *Licet corpus ſanctarum Mulierum,* inquit Diuus Hieronymus, *non vis maculet, ſed voluntas, & excuſari poſſit Sarai, quod famis tempore ſola Regi, in peregrinis locis, marito conniuente, reſiſtere nequiuerit. Tamen poteſt & aliter fœda neceſſitas excuſari. Quod iuxta librum Heſter, quæcunq; mulierum placuiſſet Regi apud veteres, ſex menſibus vngebatur oleo myrrhino, & ſex menſibus in pigmentis varijs erat, & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita poteſt fieri, vt Sarai, poſtquam placuerat Regi, dum per annum eius ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao poſtea ſit percuſſus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente.* Similem de Sara Apologiam habet S. Auguſtinus, vbi & citat expoſitionem antedictam Presbyteri Hieronymi. Ibidem excuſat etiam Abraham à ſuſpicione mendacij. ſic enim de eo loquitur, *tacens quod vxor eſſet, & non mentiens quod ſoror eſſet vt caueret, quod cauere quantum homo poterat: & Deo commendaret, quod cauere non poterat.*

Eadem homil. 32. in c. 12. Gen.

Quæſt Heb. in Gen.

Quæſt ſuper Gen l. 1 q 26.

Pulchrum eſt, quod Origenes habet, de ſpecie oris, & formæ flore. *Etſi accuſandus, inquit, decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt diuinæ plaſturæ acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana: timendum tamen eſt, vel propter iniuriam & violentiam ſpectatorum. Quæ etiam Pater fidei Abraham, in vxoris ſuæ ſpecie pertimuit. & ſororem mentitus, ſalutem contumeliâ redemit.* Id eſt, ſororem tantum eam eſſe ſimulans, contumeliæ

Lib. de cul tu fœmin c. 2.

meliæ diſcrimen adiuit,vt ſaluti conſuleret.Enimuerò pretioſa quidem , ſed periculoſa domi ſupellex,eſt vxor pulchra : & ſæpenumero ſtat curis adeo magnis cuſtodia eius:vt tanti emere non expediat, niſi virtus pulchritudinem comitetur.

Demum S.Hieronymus de Abraham illud notat,ipſum,de Ægypto liberatum,dici non incongrue aſcendiſſe,& exponens inſuper,quomodo potuerit de Ægypto exire diues valde,ait,in Hebræo textu haberi, *Abram grauis vehementer* tum verò ſubdit, *Aegypti enim pondere grauabatur:& licet videantur eſſe diuitiæ pecoris,auri,& argenti:tamen,ſi Aegyptiæ ſunt,viro ſancto graues ſunt.* *In quæſt. Hebr ſuper Gen.*

METAPHORA XXX.

Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Geneſ.cap.15.verſ.1.

QVATVOR externi Reges,victoria potiti,contra Reges quinque Pentapolis,cum præda & captiuis,etiam Loth abducebant, cognatum Abrahæ:cum is cogens, atque inſtruens aciem ſuam domeſticam,& expeditis vernaculis,itinere quinque dierum,hoc eſt ex Hebron,vſque Dan,inſequutus eſt eos Reges prædabundos, & adoriens eos noctu ſemiſomnes,partim in fugam egit,partim trucidauit,prædamq́ue cum Loth omnē retulit. Obuius ei reduci,& victori fuit Melchiſedech, Virgo,Rex,& Sacerdos:qui dicitur ab Apoſtolo fuiſſe ſine patre,ſine matre,ſine genealogia:vt melius referret Regnum & Sacerdotium illius;qui in Cœlo matre,in terris Patre caruit,& cuius vtramque generationem quis enarrabit? Is ergo Sacerdos,qui neque ſucceſſorem habuit,neque anteceſſorem, vti figura Chriſti qui eſt ſacerdos in æternum,pro gratiarum actione panem, ac vinum obtulit Deo,eaq́ue immolata,Abrahæ, atque illius generoſis militibus diſtribuit;præludens ſacrificio magno, quod in Eccleſia Dei iugiter iam immolatur. Viciſſim Abraham,ob partam,Dei ope victoriam,ſancto Pontifici decimas dedit. Dein vt oſtenderet,ſe non hoſtes modò viciſſe,ſed etiam ſuperaſſe cupiditatem habendi , recuſauit locupletari à Rege Sodomorum, eoq́ue exemplo ſpecioſi contemptus,delectatus plurimum Deus, & ſecurus circa Heroem ſuum;quem vtique ſperaret,ſibi admodum fore fidum, quādoquidem tentauerat incaſſum auaritia,ſi quo modo poſſet eum ſuperare, dixit ei, *noli timere Abraham:Ego protector tuus ſum.* In Hebræo textu eſt: *Noli ti-*

mere Abram, Ego ſcutum tibi. Hoc eſt, vt interpretatur his verbis S. Ioannes Chryſoſtomus: *Ego ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnator fio, ego curam gero, ego omnia difficilia, facilia tibi reddam, ego protego te.* Oportuna fuit hæc promiſſio protectionis diuinæ: quia potuerat metuere Abraham, ne quinque illi Reges, cæſi ex inopinato, redintegratis viribus rurſus Pentapolim, & præterea etiam Hebron inuaderent, & cladem ſibi illatam vlciſcerentur. Sed iam nihil amplius potuiſſent caſtra hominum, aduerſus eum, cuius clypeus erat Deus.

In c. 15. Gē. Homil 35.

Nec tantum Abrahæ dedit benignus Deus eam teſſeram ſecuritatis: ſed & addidit: *Ego merces tua magna nimis.* Quaſi diceret, diuitias oblatas à Rege Sodomorum, meritò, & ſapienter contempſiſti. Ego enim ſum, qui ſolus implebo ærarium tuum, quod ſi me eris diues, mecum poſſidebis omnia. *Non eſt ſerus,* inquit Diuus Ambroſius, *ad remunerandum Dominus, & citò promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquam ſubeat pœnitentia, contempſiſſe præſentia, & velut quadam vſuraria largitate compenſat: vt vberiora reſtituat ei, qui captus non fuerit oblatione præſentium.* Profectò non ſolum cum fœnore remunerat eum Deus, ſed longe eſt ſupra ſortem, remuneratio quam offert, dum ſeipſum fore mercedem illius pollicetur. Tanti refert præſentia, & quæ habentur æſtimatione hominum prima, deſpicere, ac liberè Deum ſequi. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hanc Dei celeritatem in remunerando, egregiè etiam ipſe notat, videturque ei Deus retro ſequi hominem recte operantem, & pede quaſi pedem premere, vt confeſtim offerat præmium, vbi hominis viderit meritum. *Vide,* inquit, *miſericordiam Domini, quam ſtatim, & è veſtigio ſequens, beneficijs ſuum Athletam remunerat: & ad vlteriora certamina iterum inſtruens, vigore nouo roborat?*

Lib. 1. de Abram Patriar. c. 3.

In c. 15. Gē. homil 36.

Ego merces tua magna nimis. Deum, qui Dominus eſt, mercedis titulo velle obſequia ab hominibus, magna enimuero miſericordia eſt. Fruſtra Hæretici ſibi blandiuntur: merces ipſis deerit, ſi & merita defuerint. Gloria, & vita æterna, merces ſunt, cenſeri gratuita igitur iſta non debent. Sed & Abraham in hac etiam vita, mercedem habuit à Deo ſane copioſam, & locupletem: poſteritatem nimirum, tot promiſſionibus, & oraculis cumulatam, & imprimis totius proſapiæ, in cultu Dei perſeuerantiam, dum vndique nationes Idola, & eorum ritus abominandos ſectarentur.

METAPHORA XXXI.

Ecce concluſit me Dominus, ne parerem.
Gen.c.16.v.2.

DIxerat iam Deus Abrahæ, *numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum:* hoc eſt, ſicut iuxta vulgi perſuaſionem, ſtellæ Cœli numero carent, ita innumerabiles erunt poſteri tui. Alioqui comprehendunt Aſtronomi ſidera nota, figuris imaginarijs XLVIII. & in plurimis earum inuenies ſtellas pauciores; quam proles, & capita in iuſta familia ſoleant numerari. Promiſsionem eam tam felicem, & prorſus cœleſtem inaudiuerat Sara: & deſiderio exarſit, vt tot ſiderum mater, tot luminum genitrix euaderet. Idcirco metuens, ne viro & ſibi tamdiu procederent anni, donec generare & parere, vltra ætatem eſſe videretur. *Ecce,* inquit, *concluſit me Deus ne parerem. Quanta huius verbi emphaſis eſt,* inquit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: *quam ineffabilem oſtendit Dei potentiam, & prouidentiam? quaſi diceret, ſicut nos aperimus, & claudimus domos: ita & Dominus in natura operatur, & eam ſuo præcepto claudit, & iterum quando vult aperit.* Non multis moror in metaphorę huius expoſitione: nam alibi, inter claues alias, quas olim Hebręi Deo tribuebant, etiam hanc enumerauimus; qua mulieris aluum, & per eam infanti aditum ad vitam Omnipotentia ſua dicitur aperire. Quam multi ſunt, qui dum fructu coniugij priuantur, tentant, vt fœcundi euadant, varia naturæ vel conſilia, vel remedia! Sed irridet eos Dominus ille, qui clauſtri huius clauem ſolus habet. Præſtat eum adire votis: aperiet ipſe vuluam: & vxor viro dabit fœcunditatem. Expertus id Abraham eſt in Sara coniuge ſua, ſed poſt quam diu probata eius virtus fuit. Si enim ſtatim conceſsiſſet illi Deus ſobolem, *virtus Dei,* vt loquitur idem S. Ioannes Chryſoſtomus, *tunc manifeſtata quidem fuiſſet: nam emortuam naturæ officinam, & inutilem ad procreandos filios factam, ſuo præcepto iterum viuificaſſet. At non ita ſuarum laudum corona redimitus fuiſſet Propheta: ſtatim promiſſa accipiens, vt nunc cum tanto tempore ſua probata eſt virtus, & quotidie facta eſt clarior.* Sic Deus, cæteroqui velox ad benefaciendum, ſera beneficia ſua, quodammodo inaurat, & multo ea reddit pretioſiora, dum vtiliter differt eorum largitionem.

In c.16. Gen. homil. 38.

In c.16. Gen. homil. 38.

METAPHORA XXXII.

Ingredere ad ancillam meam.
Gen.c.16.v.2.& 4.

HONESTISSIMA hæc locutio,& frequens admodum in ſcriptura Sacrâ,inde originem habuit:quod ſponſus ſponſæ thalamum,vbi ea priorin lectulo erat collocata,& in tenebris quidem, adiret: non autem ſponſa conclaue viri. Ideo ex ea conſ.ie tud veſperi Iacob thalamum intrans, Liam loco Rachelis habuit, nec agnouit dum tenebræ erant,ſed mane dum ſol oriebatur. Apud Spartanos,& apud nationes alias,mos idem fuit:& ſatis conſtat,ſibi mutuò pudori coniuges fuiſſe;thalamum intraſſe tenebris defenſos,& nubendi vocabulum ex eo natum eſſe,quod ſponſæ in nuptijs vultus ſuos obnuberēt. *Si quem voluptatibus*,inquit Plato,*præſertim maximus fruentem aduertimus,vel quod ridicula, vel quod obſcœna ſint,ipſi quidem erubeſcimus,atque celamus,noctis tenebris talia committentes:quaſi ſint diurni luminis indigua conſpectu.* Vt deteſtabilis proinde fuerit in Philoſophis Cynicis,quod ſibi palam & in triuijs vxores proſtituerent; vti Crates inter alios egit,cum Hiparchiâ elegantiſsimæ formæ ſponſa, quæ tamen ſolam in eo,vtpote vetulo,& varicoſo,virtutem deperierat, & ſponſos ideo alios omnes repudiauerat. Sunt verò,qui huius ſectę Philoſophos,Cynices appellatos tradunt, non tam quod vitijs hominum paſsim allatrarent, quam quòd ita in triuijs,nihilo verecandiores canibus, coirent. Digni prorſus,quibus vel bruta ipſa exprobrent impudentiam in coniugij vſu.Nam elephantes,vt coëant,ſecedunt,& vel inter arbores denſas, vel in profundum locum abdunt ſe.Cameli ſolitudines,& ſecreta petunt, adeo vt interuenire non liceat,ſine pernicie.Item vrſi,qui non vulgati quadrupedum modo, ac more,ſed ambo cubantes,complexique,& plane humanitus ſtrati, coëunt, humanam etiam verecundiam præ ſe ferunt.Secedunt enim in ſpecus,vt pariant:quod ſi ſpecus eis deſit;ramorum & fruticum congerie, ædificant impenetrabiles imbribus, & fronde molli conſtratos. Sentire has feras pudorem diceres; atque officij, & humani moris, Philoſophos ipſos, admonere.

Plutar. in Licurgo. *In Philebo.* *Laertius.* *Ælian. l.7. c.18.* *Plin lib.10. c.63.*

Ingredere

Ingredere ad ancillam meam Qui præterea metaphoram in ijs verbis agnoſcunt: ſatis putant id congruere mulieri: nempe, vt quia in prima ſui origine appellata ædificium fuit; dicatur vir ad eam ingredi; quando ex ea fructum coniugij quærit. Sicut autem nemini ius eſt intrandi in alienas ædes: ita neq; ius eſt vlli viro ingrediendi ad alienam vxorem. Præterea ſicuti fur eſt, & latro, qui non intrat per oſtium in domum aliquam. Ita habendus eſt Mahometes fur, & latro nequiſsimus; qui veluti abutens hac honeſtiſſima Scripturæ ſacræ locutione, ſectam ſuam olidam docuit, vxorem eſſe domum viri, & in hanc domum licere ingredi ex omni parte. Fur eſt, & latro, cum eo vxoris præpoſtero, & ſterili vſu, ſobolem & fœcunditatem ipſi naturæ ſurripiat.

Ingredere ad ancillam meam. Caluinus, homo oris impuri, Saram quaſi lenam, & Abram quaſi adulterum carpit: dum illa huic ancillam obtulit, & ſic par adeò nobile coniugum ſanctiſſimorum impiè traducit. Si non fuiſſet Nouioduni leuiter tantum inuſtus, ſed omnino combuſtus, vti fuerant anteceſſores infamię eius, in ciuitatibus Pentapolis, hos halitus teterrimos, etiam aduerſus Patriarchas, amicos Dei, iam non exhalaret. De ijs potius audiendi SS. Patres, ex quibus ternos teſtes locupletiſſimos proferam, vt illius impudens calumnia retundatur. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus de Abram, *Sufficit*, inquit, *huius viri Philoſophia, ad omne hominum genus erudiendum, & ad trahendum, diligenter auſcultantes, in virtutum viam.* De Sara verò, quæ videns ſe ſterilem eſſe, ac metuens ne Abraham in profundam veniret ſenectutem, atque careret ijs liberis, in quibus implendæ erant diuinæ promiſſiones, ancillam ei obtulit; *Multiplex*, inquit, *& indicibilis eſt huius mulieris probitas. Quæ enim vnquam mulier hoc elegit facere, vel viro conſulere, vel ancillæ coniugali thoro cedere?* *In cap. 16. Geneſ. homil. 28.* *Ibidem.*

Sanctus Ambroſius, ſuſcipiens facti huius honeſti patrocinium. *Ne quodam more nauigantium*, inquit, *locum hunc, quem plerique vadoſum putant, declinaſſe videamur, rationem eius explanare cordi eſt.* Deinde multa complexus; *non ardore aliquo*, inquit, *vagæ ſuccenſus libidinis, non petulantis formæ decore, ancillæ contubernio coniugalem poſthabuit thorum, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis.* De Sara etiam habet elogium: *ac diſce*, inquit, *mulier, zelum deponere, qui ſæpè mulieres in furorem incitat.*

S. Auguſtinus contra Fauſtum, qui pariter hos ſanctiſſimos coniuges auſus fuerat criminari. *Illa*, inquit de Sara, *naturali ordine filios volens, ſeq; ſterilem ſciens, ancillaris vteri fœcunditatem, in vſum iuris ſui, poteſtate licita vindicauit: non cedens viro concupiſcenti, ſed iubens obedienti.* De hoc verò exclamat. *O virum viriliter fœminis vtentem, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* Et ſimul de ambobus ita loquitur; *ab vxore cauſa prolis, ancilla marito traditur; à marito cauſa prolis accipitur, ab vtroque non culpa luxus, ſed naturæ fructus exquiritur.* *Lib. 22.*

Agnoſco tantam triplicis huius teſtimonij lucem, abunde eſſe, vt vnus te-

 nebrio.

nebrio confundatur, Caluinum loquor, qui profectò adeò inuehi in ancillam non deberet, aſſumptam vxoris loco ad Heri thorum, quandoquidem Lutherus, collega eius præcepit: vt quoties venire vxor renuerit, à marito ancilla vocetur. Ceterùm etiam S. Hieronymus, Ioſephus Hebręus, & communiter Scriptores Catholici omnes docent; Agar veram vxorem Abræ, ſecundariam tamen, fuiſſe: diſpenſante Deo, in iure naturæ, & in lege illa; *erunt duo in carne vna* Quomodo enim fuiſſent homines ſecundùm cor Dei Abraham, Iacob, & Dauid, inquinati ſordibus adulterij? Neque nomen concubinæ caret honeſtate matrimonij. cum omnis concubina vxor, inquit S. Auguſtinus, non autem omnis vxor concubina, more loquendi Scripturarum, appelletur. Sic illæ, quæ à Nathan Propheta vocatæ fuerant vxores Dauid, nominantur alibi ab Hiſtorico ſacro eius concubinæ. Ea verò appellatio tribuebatur vxoribus ſecundarijs, quarũ inferior erat & humilior conditio, & quę in vſum thori maritalis, atque in ſpem prolis aſciſcebantur: non autem vt eſſent matresfamilias, & conſortes ac ſociæ œconomicæ gubernationis, quales erant vxores primariæ. Demum vtriſque innocentia, honeſtas, & fama iuſtæ coniugis tribuebatur.

Quæſt. ſuper Geneſ. lib. 1. quæſt. 90.

2. Reg. 12. verſ. 2.

2. Reg. c. 16. verſ. 11.

METAPHORA XXXIII.

Erit pactum meum in carne veſtra, in fœdus æternum. Gen. cap. 17. verſ. 13.

SARA ancillam dederat viro, & fecerat matrem, Abram verò, ſuſcepto ex ea filio Iſmaele, cùm is eſſet annorum XIII. iubetur à Deo ſe, & filium, & mares familiæ circumcidere, & pactum hoc Dei, in carne propria circumferre. Quod factum eſt anno Mundi CIƆ. CIƆ. CXXXVIII. ætatis vero Abræ XCIX.

Afferuntur cauſæ plures, cur debuerit Abram præputare hoc modo ſe, ac gentem ſuam: ſed illa imprimis mihi videtur inſtituto Dei conſentanea: quod ſicut ſignum alterius pacti cum Noe, poſitum congruè in nubibus fuit, ex quibus imbres effundi alioqui debuiſſent, vt fieret rurſus diluuiũ: Ita ſignum fœderis huius noui cum Abram, in quo ſanctitatem, felicitatem, proſapiam Regum, generationem Chriſti, pollicebatur Deus ſemini eius, poni debuerit, in ea corporis parte, ex qua fit ſeminis effuſio, hoc enim ſymbolo, conſignata prodijt generatio piorum, & ſemen iuſti prius tranſiuit per ſtigma Dei,

quam

quam in vterum mulieris transfunderetur. Rectè autē hoc modo conſecrata eſt Chriſti genealogia, quæ per coniugij copulam debuerat propagari.

Ad hæc conſiderantur ab Auctoribus multa in circumciſione, quæ ad mores faciunt, & quæ Origenes inter alios habet. Peculiariter ſignificari ait, Philo Iudæus, reſecandas eſſe voluptates: cum circumciſio fiat in ea corporis parte, cui ſe frenum quis adhibeat, faciliè tum voluptates omnes in poteſtate habebit. Ideò refert de Anacharſi Scytha Clemens Alexandrinus, eum cùm dormiret, alteram ori manum, alteram pudendis apprimere ſolitum: eo quod crederet, honeſtè ac tranquille viuere (niſi ijs perdomitis) homini non licere.

Homil 3. in c.17. Geneſ.

In Hieroglyph.

Alij hoc transferunt ad iniuriam aliquam, ſed vtilem ac ſalutarem. Quia enim futurum erat, vt homines aliquando eò laberentur impietatis, atque dementiæ, vt obſcœniſſimæ huic parti corporis, in ſacris Priapi fœdam venerationem haberent, de qua re etiam S. Auguſtinus agit: creditur ab aliquibus, propterea Deum voluiſſe, vt pars ea circumciſionis quadā iniuria deformaretur, abſcinderetúrque. Nec tamen ab hac impietate enormi Iudæi ſatis reprehendi, atque abduci potuerunt: ſiquidem Aſa Rex, inter alias ſordes Idolorum, quas ſuſtulit, dicitur Maacham genetricem ſuam amouiſſe, ne eſſet Princeps in ſacris Priapi. *Honeſtiſſima matrona*, inquit ſanctus Auguſtinus, *id facere cogebatur in publico, quod ne meretrix quidem, ſi matronæ ſpectarent, facere permitti debuit in theatro.* Proinde tunc Regis matrem elegerant, Lucum vero Aſa ſubuertit, comminuitque & combuſsit ſimulacrum eius, in torrente Cedron.

Lib. 8. de ciu. c. 21.

3. Reg. c. 15.

2. Para. c. 15.

Ibidem.

Ioſephus Hebræus, voluiſſe Deum, ait, gentem ſuam inſigniri circumciſionis nota, ne cum nationibus alijs permixta, & cōfuſa, etiam abiret in mores ac ritus earum. Et idem S. Ioan. Chryſoſt. cenſuit, dum, *vide*, inquit, *ſapientiā Dei: cùm enim ſciret, prauas Hebræorum mentes futuras, ſignum circumciſionis, quaſi frænum quoddam eis impoſuit, ne cum gentibus miſcerentur.*

Homil 39. in Geneſ.

Hoc Theodoretus item exiſtimauit, & alij plures. qui & notarunt, vſum circumciſionis in deſerto non fuiſſe: nam ibi metui non poterat ea nationum permixtio. Quamquam ſoli Hebræi circumciſione non vtebantur. Nam Arabes circumcidi omnes, ſed anno ætatis XIII. debebant, propter Iſmahelem gentis conditorem, qui id ætatis erat, quando circumciſus fuit. Ab Iſmahele ad Idumæos. Madianitas, Æthiopes, Ægyptios circumciſio manauit. De his verò poſtremis Herodotus, *virilia*, inquit, *circumcidunt, munditiæ gratia, pluris facientes, ſe mūdos eſſe, quā decoros.* De iiſdē Ægyptijs Origē. *nullus*, inquit, *aut Geometria, aut Theologiæ ſtudebat, aut Geneſeos ſecreta rimabatur, niſi circumciſus eſſet. Nemo itē apud illos ſacerdos eſſe poterat; neq; quorūlibet ſacrorū miniſter, nec vt illi appellabant Propheta; niſi antea circūciſione, quaſi purgatus, & initiatus fuiſſet. Omnes Hierophantes,*

quaſt. 67. in Geneſ.

Ioſeph. Hebr.

Lib. 2.

Lib. 2. comm. in Epiſt. ad Roman.

omnesq;

omneſq́; vates, atque omnes ſiue cæli (vt putabant illi) ſiue inferni myſtes, & conſcius, nullam apud eos fidem & auctoritatem habet, nulloq́; in honore eſt, ſi hoc caret circumciſionis inſigni. Atque id cauſæ fuit etiam, cur ſacerdotes Ægypti, in Templis ſuis, cynocephalos haberent, quia, cum hi circumciſi naſcantur, erant ideò eis venerationi.

Circumciſio eadem ſignum inſuper fuit peccati originalis, impreſſum ea corporis parte, in qua euidentius rebellio carnis prodit ſe, & per quam origo pariter, & culpa originis ab Adam in poſteros tranſmittitur. Atque hinc ducitur item ratio, cur ſoli mares, & non fœminæ debuerint circumcidi. A patre enim principium generationis eſt, ſolamque mater materiam præbet, & ſicut origo, ita peccatum originis ex patre contrahitur, vti S. Thomas docet.
3 p q. 70. ar. 2. ad. 4. Hoc peccatum verò circumciſio deleuit per fidem, quæ in ea includebatur, non autem per virtutem vllam ſuam, etiam inſtrumentalem, vt loquuntur Theologi, qualis virtus iam ineſt baptiſmo, qui characterem imprimit, &
Ibid ar. 4. Chriſto nos iungit, gratiamque copioſiorem confert, vti habet idem S. Thomas. Itaque circumciſio erat ſolum ſignum, Baptiſmus eſt ſimul cauſa gratiæ, ac ſanctitatis, & eſt nota filiorum Dei. Sed ſuperat Baptiſmus inſuper, quia facilior, & vniuerſalior eſt, nec mares tantum, ſed fœminas pariter expiat. Quæ fœminæ olim apud Hebræos, vel fide parentum, vel oblatione hoſtiarum expiabantur, ſicut & viri, quàmdiu ſine circumciſione in deſerto peregrinati ſunt.

Denique circumciſio ſignum fuit, excellentis fidei, qua credit Abraham promiſſionibus diuinis, præſertim naſciturum Chriſtum ex ſemine ipſius. Hinc impium eſt, hoc tempore circumcidi: quia qui hunc ritum adhuc vſurpant, profitentur, necdum eum natum eſſe, quem circumciſio orituram ex
Lib. 4. ſuper Ioan. c. 50. ſemine Abrææ præmonſtrabat. Facit verò ad hanc rem id, quod S. Cyrillus narrat; nempe mortuo & ſepulto Ioſue, conditos in tumulo eius fuiſſe cultros lapideos, quibus ille circumciderat filios Iſrael: vt ſignificaretur, quemadmodum S. Cyrillus interpretatur, legalem circumciſionem ſepultam fuiſſe, per circumciſionem, & mortem Chriſti.

Iam quia Chriſtus Dominus ipſemet non reſpuit ritum circumciſionis, ſed voluit illum in ſe deſinere: & conſecrari rore primo ſanguinis ſui, adnectam ijs admirabilem hiſtoriam, de inuenta, ſeu recuperata pellicula ſacroſancti præputij eius. Anno M.D.XXVII. in ea quæ tum fuit Romanæ vrbis direptione, Miles quidam ſacrilegus, ſcriniolum ſanctarum Reliquiarum ſurripuerat ex ſacello, iuxta Baſilicam Lateranenſem, cui veneratio indidit hoc vetus nomen, *Sancta Sanctorum*. Captus in via, dum fugeret, XX. circiter ab vrbe lapide, in pago Calcata, familiæ Anguilariæ defodit theſaurum ſacrum. Euaſit deinde, & Romæ obijt in Xenodochio S. Spiritus, ac tum Sacerdoti mori-

moriturus furtum reuelauit. Re poſtmodum ritè comperta, Clemens VII. iuſſit ſtatim loca pagi omnia explorari, nec vſquam inuentum Scriniolum fuit. Poſt annos xxx. forte Sacerdos & Curio pagi, ſcrobem ibi eruens, vbi miles velut in carcere fuerat, reperit arculam ex chalybe, longitudine vnius ſemipalmi, & altitudine 10. digitorum, detulitq́ue eam ad Magdalenam Stroziam, Flaminij Anguilariæ coniugem, quæ tunc Stabij in pago proximo ad vnum miliare, morabatur.

Promitur, aperitur, extrahuntur ſacræ Reliquiæ, obuolutæ ſericis velis perantiquis. Nomina verò membranulæ inſcripta, notulasq́ue eorum, ætas ferè aboleuerat. Primò eximitur particula carnis B. Valentini Martyris, magnitudine vnius nucis iuglandis, & tam recens, ac ſi deciſa ex reliquo corpore tum fuiſſet. Mox profertur pars maxillæ cum dente S. Marthæ virginis. Poſt eam extrahitur panniculus byſſinus, cui inſcriptum erat nomen IESVS. Magdalena conatur eum ſoluere ſemel, iterum, ſed momentò manus ei obrigeſcunt. Stupet euentum, procumbit in preces, & veneratur vt liceat euoluere. Ideò experitur tertiò, ſed digitj, ac ſi eſſent ærei, torpeſcunt denuo. Tum ſacerdos, qui aderat, ſuadet, Claricis filiæ innocentulæ, potius admoueat puras, & virgineas manus: neque conſilium ſucceſſu caruit, ſoluit ea inuolucrum, & poſuit in argenteo polubro ſanctiſſimum IESV præputium, quod inſtar rubri ciceris, denſum, & criſpum erat. Interim fragrantia cœleſtis conclaue, & vniuerſam domum peruaſit, quæ & biduo manſit.

Expoſitæ adhæc plures aliæ particulæ, & procuratæ decentius, incluſæq́ue rurſus, ad pagi Calcatæ ſacram Ædiculam, ſumma fide, & ſilentio relatæ fuerunt. Diu tamen Maieſtas diuini pignoris non latuit: quia biennio poſt, ipſis Calendis Ianuarij, cum mulieres aliquot piæ, è Parthenio ſodalitio S. Vrſulæ, atque alij complures, ex Maſſani propinquo municipio, inſtructi accenſis facibus, eò veniſſent, & Parochus ſanctas Reliquias è ſcriniolo propoſuiſſet adorandas, nebula & caligo repente Eccleſiam repleuit, & ſpatio circiter horarum quatuor, quotquot aderant, nihil niſi ſtellas, & ignes, & faces, euntes redeunteſque per nebulam, pauidi ſimul, & venerabundi perſpectarunt: Magdalena Strotia de his certiorem fecit ſtatim Paulum IV. Pontificem: qui Canonicos binos Baſilicæ Lateranenſis illuc miſit, & narrationi eius omnia congruerunt. Sed accidit præterea, vt dum ex Canonicis vnus pertentat, dura, an mollis caro diuini præputij eſſet, eam diuiſerit incautus, tonitruaque ſtatim & fulgura, & turbines cunctis incuſſere ſpeciem, atque opinionem vltimi terroris. Iam in eo pago, intra Eccleſiam SS. Cornelij & Cypriani, hæ ſanctiſſimæ reliquię ſunt in honore pręcipuo: eaſque olim fuiſſe in ſacello antedicto, ad Sancta Sanctorum, conſtat ex perueteri codice Baſilicę Lateranenſis.

METAPHORA XXXIV.

Cùm finitus eſſet ſermo loquentis cum eo; aſcendit Deus ab Abraham. Gen. cap. 17. ver. 22.

FRequenter in Scriptura ſacra deſcendere dicitur Deus, quoties nimirum procurare perhibetur humanas res. Iam dum in ea narratur, Deum ex colloquio Abrahæ aſcendere, innuitur tacitè, eum vt colloqueretur, prius deſcendiſſe. Argumentum eſt verò magnæ dignationis, Deum ab excelſo ſolio ſancto ſuo, demitti tantoperè, vt affatus mutuos, ferè ex æquo, vſurpet cum hominibus. Sed cur licet tam ſæpè cum Abraham, cum Iacob, cum Moyſe ſolitus fuerit ſermocinari, hac vice ſingulariter, finito alloquio, ab Abraham dicitur aſcendiſſe? In hoc alloquio Deus circumciſionis legem tulerat: pepigerat fœdus cum Abram, & cum eius poſteris: conſtituta & confirmata videbatur promiſſio Redemptoris, pro generis humani reparatione, & ſtipulatus erat contractus. Idcirco Deus, quaſi non anxius, neque ſollicitus, ob eam rem futurus deinceps, aſcendere videtur, ad ſedem ſuæ placidiſſimæ tranquillitatis. Nec antea in Scriptura ſacra de aſcenſu eius facta eſt mentio: quaſi voluerit Deus perſuaſionem eſſe, haud ſolitum ſe tunc longius digredi, ſed in propinquo agere, & frequenter adeſſe, ac redire, inſtar ſatagentis, donec conſtanti & immutabili promiſſione conſtitueret, & ſtabiliret, ex quonam ſemine futurum eſſet, vt mundi ſalus, & expectatio gentium oriretur.

Fortaſſe etiam aſcendit Deus ab Abraham, vt dum in terris circumciſio fieret, ſederet ipſe pro tribunali, & Abram inſignia electi populi ſumentem, ſpectaret non ex humili loco, ſed ex cœlo ipſo, atque ex ſede maieſtatis ſuæ: & vt hoc pacto præſcriptam à ſe nouam illam ſuorum electorum profeſſionem, ritu quodam ſolemni acceptaret. Denique aſcenderit etiam idcirco Deus, vt ſyngrapham contractus, atque initi fœderis poneret in cœlo, inter chirographa æternitatis, nominaque Abrahæ, & eius ſanctæ poſteritatis ſcriberet in libro vitæ, referretque in codicem Electorum.

METAPHORA XXXV.

Conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, Geneſ. cap. 18. verſ. 12.

SVB quercu, in conualle Mambre, tres viſi adeſſe hoſpites Abrahæ, comederant, non ad refectionem propriam, cibos digerendo, ſed arcana quadam vi reſoluendo eos in aërem tenuem, ſicut ſol reſoluit in vapores aquam, & terram in exhalationes. Illi deinde tam hoſpitaliter & benignè habiti, pro gratiarum actione bonum nuntium Abrahæ dederunt, ſobolem nimirum ei naſcituram, ex coniuge libera & primaria, & ſobolem in ſpes illas genitam, quas toties Deus oraculo ſuo explicauerat, confirmaueratque. Exclamat ſanctus Ioannes Chryſoſtomus elo- In c. 18 Gen.
quenter; *O magnitudinem hoſpitalitatis; ô humilitatis excellentiam; o mentem oppidò* Homil. 41
piam! Aſtabat centenarius comedentibus illis: mihi videtur tunc præ gaudio alacritateq; multa, imbecillitate ſua factus ſuperior, & robur quoddam accepiſſe. Fructum deinde tanti meriti ſic paucis explicat; *poſtquam largiter, & magna hilaritate ſemi-* Ibidem.
nauit hoſpitalitatem, ſtatim & manipulos vberrimos meſſuit.

Sed & hac occaſione iis, qui lautè, & opiparè tractant, atque inuitant ſe in menſa, exprobrat quòd tenaces erga alios ſint, & inhoſpitales. *O magnam deſidiam*, inquit, *quantum hic damni facimus? quantum lucri è manibus noſtris excidere permittimus? Materiam noſtræ ſalutis, à Deo nobis datam, amandamus: neque in mentem accipimus, neque conſideramus paruitatem eorum, quæ damus, & immenſitatem eorum, quæ pro his recipimus. Sed omnia arculis includentes, & aurum quidem à rubigine abſumi permittimus, imò furum manibus proponimus, veſtes quoque varias à tineis arrodi ſinimus. Nolumus autem, vt ea, quæ abſque vſu iacent, bene diſpenſentur, vt iterum nobis cuſtodiantur, ac per ea etiam ineffabilia bona mereamur aſſequi.* Sic ipſe. Audita huius hoſpitalitatis remuneratione, riſit Sara, reputans ſe ſterilem, & vetulam, & fœcunditati ac partui minus idoneam eſſe: deſierant enim ei fieri muliebria, *arefactus erat fons*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *excæcatus oculus, officina erat inutilis facta.* Dixit verò, *poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Vbi notandum obiter eſt, iis verbis indicari tacitè, ſanctos eos coniuges tunc, aut ſeparato thoro,

aut continentes vixiſſe,& abſtinuiſſe à coniugij voluptate, ex quo ſibi non videbantur ſperare amplius poſſe fœcunditatem.

Conſenus,& Dominus meus vetulus eſt. Magnum exemplum obſequij erga viros vxores in ijs verbis habent. Ad quod exemplum prouocat ſanctus Petrus,
Ep.1 cap.3. verſ.6. dum *ſubiectæ*,inquit, *proprijs viris: ſicut Sara obediebat Abraham, Dominum eum vocans,cuius eſtis filiæ.* Erat Sara ſtirpis conditione par Abrahæ coniugi ſuo: quippè vel ſoror eius vera, ex eodem Patre, licet non ex eadem Matre, vel filia Aran fratris Abrahæ,ac ſoror Loth,in quam ſententiam ſanctus Auguſtinus, & alij plures inclinant. Erat Matrona illuſtris: & magna mater gentium maximarum deſtinabatur: quia populus Iſrael, qui verum Deum coluit,ab ea originem habuit, & Saraceni à Sara nomen acceperunt, ſicut Iſmahelitæ ab Iſmahele, dicti ſunt, & Agareni ab Agar ancilla, quam Sara vxorem ſecundariam dederat Abrahæ viro ſuo. Nihilominus fœmina ijs dotibus, & titulis præcellens,maritum ſuum Dominum appellauit.

Fateor quidem: virum propriè vxoris Dominum non eſſe, quia vxor, vti
Lib.8 de Gen ad litt. cap.11. adiutorium,homini conceſſa eſt à Deo,non igitur vir eſt propriè vxoris Dominus,ſi vxoris indiget opera, & adiutorio. Sancti Auguſtini ſimilis eſt ratiocinatio, quando, poſtquam obſeruauerat, cum primum in ſacra Geneſi Deum vocari Dominum,cùm introduxit hominem in Paradiſum, vt operaretur,& cuſtodiret illum, hæc ſubdit, *operari eum,vt iuſtus eſſet, & cuſtodire, vt tutus eſſet: ipſa vtique dominatione ſua: quæ non eſt illi, ſed nobis vtilis. Ille quippe noſtra ſeruitute non indiget: nos vero dominatione illius indigemus, vt operetur, & cuſtodiat nos, & ideò verus, & ſolus eſt Dominus: quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem, ſalutemque ſeruimus. Nam ſi nobis indigeret, eo ipſo non verus Dominus eſſet, cùm per nos eius adiuuaretur neceßitas, ſub qua*
Pſal 15. *& ipſe ſeruiret.* Concludit deinde adducens teſtimonium illud Dauidis. *Dixi* DOMINO, DEVS *meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.*

Hoc verò fundamentum eſt dominij,quod in terris à Deo habent, om-
In quaſt. Hebr ſuper Geneſ. nes qui dominantur. In quam rem libet referre id,quod narrat S.Heronymus,ex Hebræorum traditionibus:nempe Deum ex nomine ſuo tetragrammato יהוה litteram ה *he* nominibus Abræ, & Saræ addidiſſe. Dicebatur enim primùm אברם *Abram*,id eſt, Pater Excelſus; poſtmodum vocatus eſt אברהם *Abraham*,Pater multarum,id eſt,gentium. Notat etiam,cum *he* ſit additum,pronuntiari *a* Græcè,& Latinè, quia Hebraicę linguæ idioma fert, vt quod per *he* ſcribitur,per *a* pronuncietur: ſicuti è contra *a* littera,ſemper vti *he* ſolet pronuntiari. De Sarai item ait, ſublato י *iod*,id eſt,*i* elemento, additam ei eſſe *he* litteram,quæ vti *a* etiam legitur,vt vocaretur שרה *Saraa*,

nec

nec amplius diceretur Princeps mea, & vnius tantum domus materfamilias,
ſed Princeps, id eſt ἄρχουσα. Quid verò tum moliri voluerit Deus! an vnius
litteræ donum ijs tantum offerre? Parum hoc ſit: *non enim*, inquit S. Ambro- *Lib. 2. de*
ſius, *munus Deo eſt, vna littera, ſed virtus litteræ, quæ exprimit muneris Diuini gratiam.* *Abraham*
Ergo quia in nomine Dei continetur omnis vera poteſtas; litteram vnam A- *Patr. c. 11.*
brahæ ac Saraæ, deciſam ex nomine ſuo, tetragrammato, adiecit nominibus
eorum Deus, vt illum Parentem magnum, hanc Principem magnam natio-
num, & populorum crearet: & vt intelligeretur, omnem poteſtatem à Deo,
& à Dei nomine deriuari.

Sed cum fatear, vt aiebam, virum propriè vxoris Dominum non eſſe, quod *P. 1. q. 92.*
etiam S. Thomas colligit ex ædificatione mulieris de latere viri; quia ſi de ca- *a. 3.*
pite ſumpta fuiſſet; cenſeri voluiſſet Domina: ſi fuiſſet vero ſumpta de pedi-
bus, cenſeri potuiſſet ancilla, & viri pediſſequa. Tamen ſi alterutri coniugum
titulum Domini deferri oporteat, is viro debetur, & non mulieri; cui dixit ni-
mirum Deus, *ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui.* Dixit quidem *Gen. c. 3.*
Apoſtolus, vt animaduertit S. Auguſtinus, *per charitatem ſeruite inuicem*: ſed ne- *v. 16.*
quaquam diceret, inuicem dominamini. Hinc idem Diuus Auguſtinus in- *Ad Galat. 5*
fert, *Poſſunt itaque coniuges per charitatem ſeruire inuicem: ſed mulierem non permittit* *Ibidem.* *1. Tim. 2.*
Apoſtolus dominari in virum: hoc enim viro potius Dei ſententia detulit: & maritum ha-
bere Dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa. Fauet demum huic viri do-
minio vocabulum Hebræum: ſiquidem בעל *babhal*, maritum, ac Dominum
peræquè ſignificat.

Attamen præſtat, coniuges ambos ſe inuicem colere, & obſeruare vt pa-
res; & vt duos in carne vnâ. Præſtat viros meminiſſe mulierem non ex capite
aut pedibus, ſed ex loco medio, & ex coſta pectoris ſumptam eſſe, vt vitæ ac
thori ſocia foret; & vt mediam veluti ſortem, id eſt, nec totam haberet ancil-
læ ſeruitutem, nec totam haberet Dominæ poteſtatem. *Conſenui, & Dominus*
meus vetulus eſt. Addam & illud, diſcant vxores præterea, vti erga viros ſuos,
appellatione honoris potius, quàm amoris. Turpe videtur, aut certe nimis
molle, non ſponſos dixerim, quibus ab hac parte aliquid indulgendum ſit, ſed
interdum grandæuos, aut etiam effœtos coniuges audire, qui ſe appellent
mollius, & quaſi tener eſſet adhuc eorum amor. Præſtat quid deceat, quàm
quid liceat, pro conditione, & pro ætate, inter coniuges modeſtos, v-
ſurpari. Præſtat, Saræ filios, & filias, domini appellatione
vti, & honoris atque obſeruantiæ titulis
ſe mutuo ſalutare.

METAPHORA XXXVI.

Peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Gen.c.18.v.20.

Lib. 8 de Gen ad litt c. 4. Pſ. 37. v. 5.

VNVMQVODQVE peccatum habet onus, & pondus graue pro-prię voluntatis; *nec fieri poteſt*, inquit S. Auguſtinus, *vt voluntas propria, non grandi ruinæ pondere, ſuper hominem cadat ſi eam voluntati Superiorum extollendo præponat.* Dauid etiam Rex, *iniquitates meæ*, inquit, *ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Supergredi caput, eſt eas, quaſi Dominas imperare, eſt ſolium poteſtatis aſcendere, eſt detrahere ex eo rationem: cuius prætorium Deus in capite, velut in Regia, collocauit. Eaſdem iniquitates *grauari*, quaſi onus graue, eſt rationem ipſam pondere maligno deprimere, & ad terram dare, vt proſtituta ratione, voluptas & libido abſque fræno verecundiæ, dominentur.

Sed conſuetudo peccandi, hoc pondus adhuc magis habet, & eſt quaſi lapis molaris, impoſitus ceruicibus impiorum, qui eos non ſinit ſuſpicere in Cœlum, & recordari, Deum ibi eſſe vindicem ſcelerum, vltoremque nequitiæ. Imo nec ſinit eos, pondus ſuum ſentire: ſunt enim ſicut vrinatores, qui non ſentiunt pondus aquæ, quæ magna vi & copia ſuperfluit capiti eorum. Videlicet *impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et contempſere ideo viri Sodomæ, Loth iuſti admonitiones, ac ſalubria conſilia, qui, vt loquitur ſcriptura ſacra, viſus eis eſt, quaſi ludens loqui; quoties imminere eis Diuinam vltionem, (niſi reſipiſcerent, & emergerent ex iniquitatis profundo) conteſtabatur.

Prou. c. 18. v. 3.

Egregiè S. Ioann. Chryſ. deſcribit Dei, in eis puniendis, longanimitatem. *Dederat*, inquit, *vitam ad vſuram Sodomitis, terram in illorum vſum, creaturas in agriculturam conduxerat. Illi autem neque mercedis, neque vitæ conceſſæ curam habentes, diſperſerunt in luxum tempus, inſumpſerunt in delitias dies, prodegerunt vitam in voluptates; luxuriæ impenderunt viuendi ſtatuta tempora.* Addit poſtea quid miſericors Deus circa eos diſponeret. *Bonus autem fœnerator*, inquit, *adhuc ferebat ingratitudinem, & mittit Loth ad eos, vt memores faciat debitorum. Loth enim erat pietatis memor, operibus ſuis docens quantum debebant Deo. Vt autem vlcus luxuriæ manſit immedicabile, pharmaco longanimitatis, candenti ferro, quaſi putredo, egit & omnem ignem ſtatim, ac flammam ſuſcepit.* Nec mirum ſit, ſi eorum iniquitas ſtatim arſit: quia pec-

Serm. de Adam. Sodomitis. Achab. & pœnitentia.

Ibidem.

peccatum eorum aggrauatum erat nimis.Cum enim S. Auguſtinus id , quod eſt in editione noſtra,*ſicut onus graue,* ita legat , *ſicut faſcis,grauatæ ſunt ſuper me:* poſſumus perinde interpretari:Sodomæorum iniquitates (quæ dicuntur aggrauatæ nimis) ſicut faſces,grauatas fuiſſe ſuper illos , & ideo homines peſſimi,vt ligna arida,de cœlo tacti,conflagrauerunt. *Enarrat. in Pſ.37. v.5.*

*Peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.*Ionas , qui peccatorum fuit typus , vt notat S.Ioannes Chryſoſtomus,nauigium,in quo erat,non corporis ſui,ſed peccati ſarcina graui ferè demerſit.*Ipſum peccatum*,inquit, *& ſcapham tunc grauabat,& peſſundari cogebat.*Chriſtus Dominus etiam,quando iniquitates mundi collocauit ſupra humerum ſuum,ſenſit vtique pondus,etiam humeris ſuis cœleſtibus oneroſum,& graue.Quocirca Cruci affixus,capite inclinato , & flexa ceruice,quaſi premeretur à pondere illo,emiſit ſpiritum. Sed non premit modò,iſtud onus peccati,peccatorem ipſum,verum & trahit Deum pôdere ſuo,ad vindictam de eo ſumendam.Videtur verò,tanquam in horologio,conſtituta vnicuique hora,mortis & ſupplicij , inter decreta Diuinæ iuſtitiæ,& ſupremi tribunalis eius.Non pulſatur hora in horologio , niſi cum ponderum grauitas vrget intus machinas,& ciet malleos ad pulſum. Sic trahit,ſua quiſque grauitate , Deum ad peccati,interdum citam, interdum ſeram,ſemper tamen iuſtam pœnam & animaduerſionem. *Hom.1.de Pœnit.*

METAPHORA XXXVII.

Deſcendam,& videbo;vtrum clamorem , qui venit ad me,opere compleuerint. Gen.c.18.verſ.21.

TRia potiſſimum vitia ſunt , quæ clamare in Cœlum dicuntur, oppreſſio innocentis,qualis fuit cædes Abelis,fraudatio mercedis pauperum,& crimen præpoſteræ libidinis. Generatim tunc ineſſe clamorem peccato,aiunt SS. Patres, quãdo nullus timor, nulla ſupereſt peccati verecundia , quando eſt ſumma licentia, &libertas peccandi,in quo ſenſu S.Gregorius,*peccatum*,inquit,*cum voce,eſt peccatum in actione , peccatum cum clamore,eſt peccatum cum libertate.* Quando item adeſt ei iactantia,ex quo illud exprobrat Iſaias. *Peccatum ſuum , ſicut Sodoma, prædicauerunt, nec abſconderunt.* Saluianus autem conſiderans magnitudinem huius clamoris, quo peccata noſtra in cœlo perſtrepunt & feriunt aures Dei. *Grandis abſque dubio* , inquit , *peccantium clamor* *3.p.Paſtor. admon. 32.* *Cap.3.*

eſt

Lib. 2. de Prouidẽtia. *eſt, qui à terra aſcendit ad Cœlum. Quare autem peccata hominum, quaſi clamare teſtatur? ſcilicet quia cadit aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium.* Et verè clamor, & grandis clamor eſt: quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur.

Sed vt explicetur peculiariter clamor, huius nefandæ libidinis, quem Hiſtoria ſacra hoc loco ter, nec fruſtra, iterat abſque vocabuli vlla variatione. Dici poteſt, in eo vitio perſonare voces, & clamores, vox vnius hominis, cui inferatur damnum, vel iniuria, ſed totius humanæ naturæ, cuius lædi cernitur in eo dignitas, & maieſtas. Dolet verò natura, & queritur coram Deo, auctore ſuo, vium generationis, ordinemque peruerti, & ſeruire ſterilitati voluptatem illam, ex qua debuit ſperari potius ſtirpis humanæ fœcunditas. Ad hæc, ſicut verba illa, *vox ſanguinis fratris tui clamat,* expoſuimus de clamore omniũ poſterorum Abel, qui ex illo fuiſſent naſcituri, niſi Cain, cruentus eorum Patruus, vniuerſos, vno parricidio, ſuſtuliſſet. Ita clamor hic Sodomæ, & Gomorrhæ exponi poteſt, de prole innumerabili, quæ nata alioqui fuiſſet; niſi tot viri, à recto vſu naturæ deſciuiſſent. *Abſtinendum à maribus iubeo,* inquit inter ſuas leges Plato: *nam qui iſtis vtuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem ſeminantes, vbi radices agere, id quod ſeritur, numquam poterit.* Igitur tot interfectorum voces ſucclammare in Cœlum credas, ex peccato Sodomæorum; & petere à Deo, vt aliquando vindicet, qui libenter ignoſcit.

Gen. c. 4. v. 10.

8 de legibus.

Sed obijciet fortaſſe aliquis, is, qui virgo, aut cœlebs viuit, ſponte ipſe etiam ſobole naturam priuat, cur ergo hæc continentia non perinde clamet coram Deo? Nimirum vna gemma, & vnus lapis pretioſus, longè præſtat materiatis lapidibus, ex quibus eſto, vna domus ædificaretur, vel quod idem eſt, in ſenſu ſcripturæ ſacræ, poſteritas relinqueretur. Et hæ gemmæ ornant monilia Eccleſiæ, & diadema Dei: dum interim non deſunt lapides viui, qui ædificant domum Dei, & ſubminiſtrant illi populum fidelem. Certè quæri ſolet, ſi non peccaſſent primi Parentes, ſi immortales permanſiſſent ac virgines; an ideo mundus deſijſſet multiplicari? fortaſſe autem benedictio fuit, & non lex, aut præceptum; quando ante inobedientiam Euæ dictum eſt, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: Poteſt dici,* inquit ſanctus Auguſtinus, *alium modum eſſe potuiſſe, in corporibus immortalibus: vt ſolo pio charitatis affectu, nulla corruptionis concupiſcentia, filij naſcerentur, nec mortuis parentibus ſucceſſuri, nec ipſi morituri. Donec terra immortalibus hominibus impleretur: ac ſic inſtituto iuſto, & ſancto populo, qualem poſt reſurrectionem futurum credimus, naſcendi etiam modus fieret.* Quid ſentiendum tamen ſit in hac re, Theologi definiunt, quos cuiuis liceat conſulere.

Gen. c. 1. v. 28.
Lib 3 de Gē ad litt. c. 21.

S. Tho p. 1. q. 98 ar. 2.
Suar. l. 5. de opere ſex dier. c. 1. & 2.

Quin & clamori huius peccati, alias poſſumus addere clamoſiſſimas voces ferarum, & animalium omnium, exprobrantium homini coram Deo, ſcelus

adeo

adeo immane. Certè Plato etiam poſtquam teſtem in hanc rem, belluarum naturam citauerat; *audacter*, inquit, *manifeſteq; dicamus, non oportere, vt cine nostris auibus, multiſq; belluis ſint peiores: permultos enim greges ipſarum videmus, integre, atq; caſte ante quam procreandi tempus aduenerit, viuere. Sed cum hanc ætatem attigerint, mas fœminæ, & fœmina mari coniuncta, iuſte ſancteq; in prima perſeuerante amicitia, reliquam peragunt vitam.* Hæ vtique clamant, nos brutæ ſumus, nec ratione, aut legibus, & inſtitutis ducimur, & ſeruamus tamen ordinem naturæ, neque vſu præpoſtero, inutili, ac ſterili inuicem miſcemur, vindica Domine, naturæ Auctor, & conditor, ſcelus hoc hominum, qui videntur, belluis eſſe viliores. Ariſtoteles humanarium nefarios concubitus enumerat inter genera feritatis, non quod feræ illo vitio ſe polluant: ſed quia in eo ab omni rationis vſu homo reſilit, vt fera. 8. de Leg. 7 Ethic. ad Nicom.

Deſcendam, & videbo, verum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Tantæ multitudini clamantium non ſtatim credidit Deus, ſed humano more egiſſe videtur, vt rei magnæ nobis præberet illuſtre documentum. *Per interrogationem*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *docere nos vult, quòd opus ſit magna diligentia, & non audita ſolum peccatores condemnandi ſint, neque ſententia ferenda, niſi condemnatio præcedat.* Idem monet quoque S. Ambroſius, *Propter te inſtruendum*, inquit, *verba eiuſmodi loquebatur, vt tu propius ſcruteris eorum commiſſa, in quos vindicandum arbitraris. Deſcendam, inquit, vt videam: hoc eſt, etiam tu deſcende cura, deſcende indaginis ſtudio, ne quid ſit, quod ſedeat, aut lateat abſentem, vt oculis facinus deprehendas: eminus poſiti melius non ſcire poſſunt.* Non igitur rumori, aut famæ credendum, nec pronuntianda eſt a Iudice ſententia: niſi ritè prius crimen probetur. Atque hoc idem ſeruare omnes debent, etiam in re priuata, nec oportet æſtimare temerè famam alterius, aut dubiam, aut malam. *Non ſolum ij, qui pro tribunali ſedent*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *obſeruare hanc legem debent, ſed & nullus vnquam, ob nudam accuſationem proximum condemnet.* In c. 18. Gē. Homil. 42. In c. 18. Gē. Homil. 42.

Deſcendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Species hæc, & ſimilitudo inquirentis, imperfectionem nullam arguit in Deo, qui, vtpote oculus mundi, intuetur omnia, & omnia perfectiſſimè nouit. *In omnibus* inquit S. Hilarius, *quæ ſe ignoraſſe Deus loquitur, ignorantiam quidem profitetur: ſed ignoratione tamen non detinetur: dum ad id quod neſcit, non neſciendi infirmitas eſt, ſed aut tempus eſt non legendi, aut diſpenſatio eſt non agendi.* Origenes quoque, poſtquam dixerat, Deum deſcendere, eſſe Deum humanæ fragilitatis curam habere: & Dominum cum Apoſtolis aſcendere, in montem excelſum, vbi transformatus eſt. Turbis autem & Phariſæis, quibus exprobrat peccata, deorſum eſſe, qui factum eſt. Poſtquam hęc, inquam, Origines dixerat, hæc habet. *Ex iſto vno ſermone Hæretici impugnare ſolent Deum meū, dicentes: Ecce neſciebat Deus legis, quid agereetur in Sodomis: niſi deſcendiſſet, vt videret, & miſiſſet, qui diſcerent.* Reſpon- Lib. 9 de Trinit. Homil. 4. in cap. 18. Gen.

N det

det vero paulo pòſt. *Dicimus cum fiducia, quod ſecundùm Scripturas, non omnes ſciat Deus. Peccatum neſcit Deus, & peccatores neſcit Deus, alienos à ſe, ignorat.*

Matth. c. 7. verſ. 23. Cum autem adduxiſſet verba illa Christi Domini. *Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem,* pulcherrimã
Ibidem. hanc ſuæ aſſertionis ſubdit explicationem. *Hoc autẽ dicimus, non blaſphemũ aliquid, ſicut vos facitis, de eo ſentientes, neq; ignorantiam adſcribentes ei. ſed ita intelligimus, quod hi, quorum factus Deo eſt indignus, indigni etiam notitia Dei dicuntur. Non enim dignatur Deus noſſe eum, qui auerſus eſt ab eo, & ignorat eum. Et ideo dicit Apoſtolus; quoniam, qui ignorat, ignoratur.*
1. Corin 14. Sic ipſe: tametſi ſenſus obuius hoc loco eſt, ſimulare de induſtria Deum ignorantiam, atque diſtantiam, vt inſtruat nos: quemadmodum, præter S. Ioannem Chryſoſtomum, & S. Ambroſium, habet S.
Lib. 4 Moral. c. 14. Gregorius etiam, in hæc verba. *Omnipotens itaque Dominus, & omnia ſciens, cur ante probationem, quaſi dubitat? niſi vt grauitatis nobis exemplum proponat: ne mala hominum ante præſumamus credere, quam probare?*

METAPHORA XXXVIII.

Loquar ad Dominum meum; cùm ſim puluis, & cinis. Gen. c. 18. verſ. 29.

verſ. 17 ABraham erat magnus vir, etiam in oculis Dei: qui iam dixerat de eo; *num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, & robuſtiſſimam, & benedicenda ſint in illo omnes nationes terræ?* quod fuit ferè ipſum conſtitui conſiliarium Dei. Nihilominus is cauſa incolarum Sodomæ demiſſiſſimè patrocinatur, & vt conciliet ſibi beneuolentiam à ſupremo Iudice Deo, *Loquar,* inquit, *ad Dominum*
Lib. 3 Moral. c. 23. *meum, cum ſim puluis, ac cinis.* Suſpicit hæc, nec immeritò quidem, ſanctus Gregorius, dicens: *Ita loquitur, ſed deſpicit, qui vſque ad honorem Diuinæ collocutionis aſcendit ſollicita remiſſione ſeruandum eſt, qua pœna illi feriendi ſunt, qui ad ſummum non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur?* Nec obiter omiſerim, contineri magnam laudem Abrahæ, ſicut hic Pontifex innuit, in eo quòd dignaretur eum Deus alloqui ſuo. Etenim Homerus, de Creta mentionem faciens, *in Gnoſſo regnauit, Minos nouem annos magno cum Ioue colloquutus.* De quo elo-
In Minoe. gio hæc Plato habet: *Tanta eſt hæc in Minoe laus paucis verbis explicata, vt nunquam, pari laudatione, Heroum quempiam, extulerit.*

Phari-

Pharifæi etiam hoc intelligebant, qui Cæco nato, cui iam ex miraculo illuxerat dies, impreccati ſunt: ſed feliciter, quoad ipſum, dicentes ei de Christo Domino, *Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus, vnde ſit.* *Sancti omnes*, inquit idem Diuus Gregorius, *quando in Dei viſione proficiunt, quanto magis Diuinitatis interna conſpiciunt, tanto magis ſe nihil eſſe cognoſcunt. Nunquam quippe legitur, quod Abraham cinerem, & puluerem ſe eſſe profeſſus eſt: niſi cùm habere Dei meruit collocutionem.* Libentius habebat Abraham penuria materiæ, vt ſe ex modeſtiâ demitteret, redderetque [illegible], & cauſæ ſuſceptæ beneuolũ Iudicem Deum, & quia culpa caruit, qualitur ſaltem aliquid, quod deſpiceretur in natura. *Quoniam non habebat peccata, quæ diceret*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *ſed vndique bonis operibus fulgebat, circumuerſans, & nihil contra ſe inueniens ad naturam ipſius confugit. Et quoniam terra videtur quodam modo bonum etiam nomen, cineris addidit.* Homo vel [illegible], nolit [illegible] vitæ origine puluis, eſt in vitæ exitu cinis. Subdit idem S. Ioannes Chryſoſtomus, *non igitur dicas mihi, florem oculorum, neque erectam ceruicem, neque [illegible], & equum, & miniſtros [illegible] mortuur, hæc omnia cogita, & [illegible].* Certè nec aliter appellauit Ethnicus Poëta, fœminam pulchram, in funere eius, niſi

Dilapſam in cineres facem.

Rectè etiam, in vetere Epitaphio, vocatur homo, *Vas cinerum.*

Dic homo vas cinerum, quid confert flos facierum?

Copia verborum: mors vltima meta dierum.

Et olim ideo, ante primarios Antiſtites Æthiopum Chriſtianorum, non crux modò, ſed vas aureum, pulueris plenum præferebatur, vt maneret originis recordatio.

In qua quidem origine nos terra dicimur, quia dum viuimus, fœcundi eſſe poſſumus, & feraces operum bonorum; at vbi morimur, & in exitu vitæ, cinis ſumus, ſteriles ſumus, nec amplius eorum operum cumulare merita nobis licet. Videtur porrò, poſt iacturam innocentiæ, homo ſpecie tenus, manſiſſe quod erat, & intus vaneſcere, inſtar pulueris, & inſtar cineris. Cornelius Tacitus, de Pentapolis exuſta regione, item poſt peccatum; *Ibi cuncta*, inquit, *ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuerunt, atra, & inania, velut in cinerem, vaneſcunt.* Ita nos quotquot homines viuimus, ac ſpecie ſumus, vaneſcimus, quaſi puluis & cinis, & ex vento quouis, atque aura leui, diſſipamur.

Sapienter itaque Abraham, & cum eo iuſti omnes, etiam in hac vita, & nõ expectata extrema, atque ineuitabili neceſſitate, ſe puluerem, ac cinerem dicunt. Et quia cõparantur ſcintillis in arundineto, *per omne quod viuunt*, inquit S. Gregorius, *in cinerẽ redeũt: quia poſtquam flammæ cõiunctæ, dũ infirmitatẽ conditionis ſuæ cõſiderant, nihil aliud, quàm fauillã ſe eſſe cognoſcũt: vt à ſuperbiæ ſuæ duritia reſoluti,*

Ioan. c. 9. v. 28. 29.

Li. 18. Moral. c. 33.

Homil. 29. in c. 11. epiſt. 2. ad Corin.

Ibidem.

Horatius.

Lib. 5. Hiſto. ab exceſſu Neronis.

Sapien. 3. verſ. 7.

Lib. 19. Moral. c. 33.

per pœnitentiæ dicat, memento Domine, quia puluis ſumus. Ea t frequenter ideò cogitat o humana ad hunc natiuum puluerē, ad hos cognatos cineres: nec enim ſolum reddet ſibi propitium Deum, ſed Dæmoni reddet ſe prætereà inexpugnabilem. Tam hic ſerpens homini cedet, ſi luto, & puluere, & cinere ſe homo armauerit, quàm aſpis cedat, quando Ichneumon in Ægypto, cum aſpide certaturus, luti operimento, velut lorica, tectus ad prœlium venit, & vincit.

Ælian. l. 3. cap. 2.

Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis: vilis res, ſed vtilis, ex recto eius vſu. Dei miſericordia, & clementia circa Sodomam deficiebat, & penè extinguebatur, tamquam ignis, nec parcere, ſed punire Deus decernebat. Cinis conſeruat ignem, Abraham ſe eſſe cinerem affirmat, & Dei clementiam conſeruat aliquandiu, adeo vt velit iam parcere, ſi decem iuſtos tantum ciuitas reperiat.

Plin. lib. 30. cap. 16.

Rex Apum, cum examine toto, repetit aluearium, vnde emigrauerat, ſi eum quis reſperſerit puluere, ex anguium veſtigijs collecto. Homo puluis eſt, ſuper quem in Paradiſo veſtigium ſui, hoc eſt peccatum, ſerpens reliquit. Deus, & Angeli miniſtri eius, ſunt velut Rex, & examen Apum, melleaſque iras habent, videlicet ſemper cum mixtura leuitatis puniunt exceſſus generis humani. Deſeruerant Sodomam, feciſſetque Adam, vt reuerterentur, & illius deinceps quoque prouidentiam haberent, dum ſe eiuſmodi puluerem eſſe dicit, ſi vel decadem vnam iuſtorum Sodoma offerre potuiſſet. Hoc impetraſſet perinde dum ait, ſe cinerem eſſe, nam Sodomæ ciues erant veluti apes mortuæ, quippe Apibus in vna ea re ſimiles, quod ſicut hæ à tergo aculeum habent, ita erat à tergo peccatum, & nequitia eorum. Atqui apes mortuæ, in cinere tepido reuiuiſcunt: & vt reuiuiſcerent viri Sodomæ, Abraham ipſe cinerem ſe profitetur, ac cinerem tepidum, nam huic humilitati miſcuerat charitatem.

Sozomen l. 3. hiſt. Eccleſiæ 16.

Hiſtoriam addo, quæ maximè videtur eſſe in rem præſentem. Ibat Edeſſam Beatus Ephrem, & pro argumento benè auguratæ profectionis, flagitauerat à Deo, vt dum vrbem illam intraret, monitum aliquod pertinens audiret. In aditu ciuitatis, obuia illi fuit mulier formoſa, quæ oculos in eum vibrans, ſtetit, & interea ſiluit. Ephrem triſtior, vt qui fœminæ periculum, pro ſalutari alloquio viri, habuerat in occurſu ſuo, ſciſcitatur, cur fœmina parum verecunda, intuitu pertinaci, quaſi faſcino, venientem ſe, ibi moraretur? Tum illa, ego te, inquit, aſpicio, quia ex te orior, & ex latere tuo, quin tu potius terram aſpicis, de cuius limo figmentum exiuiſti? Obſtupuit Ephrem, vocem è cælo miſſam agnouit, deditque oraculum illud meditationi ſuæ. Vtinam aſſiduè, nos cuam, id meditaremur!

META-

METAPHORA XXXIX.

Viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero, vſque ad ſenem. Gen. cap. 19. verſ. 4.

EX colloquio Abrahæ abierat Dominus, hoc eſt, Angelus forma auguſtior, qui Deum referebat. Alij duo (tres enim apparuerant ſub quercu, in conualle Mambre) venerant in vrbem Sodomam, ream ob flagitia plurima, & imprimis ob infanda Veneris diuerticula. Loth vir iuſtus, in porta ciuitatis Hoſpites Angelos inuitat, atq; offert omnem hoſpitij, & beneuolentiæ modum. Diuertunt hi ad domum eius, ſed eorum venuſtas, & caſti oris, ac cęleſtis lumen, ciues pronos, & præcipites in fœdam libidinē, ita inflammat, vt tanquam emiſſarij, perfractis habenis verecundię, eò ſe proripiant, ad inferendum dedecus, hoſpitibus adeò decoris, & amœnis. *Neque erubeſcebant*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *tam turpe, tamq; impudens flagitium, neque infallibilem oculum cogitabant, neque iuſtum reuerebantur.* In c. 19. Gen. homil. 43.

Viri Ciuitatis vallauerunt domum, ita noſtra editio vertit id, quod in Hebręis codicibus eſt, *girare*: quaſi inſtar valli, & munitionis caſtrorum, circumuenerint domum Iuſti. Vallauerunt autem eam à *puero vſque ad ſenem*, quia, vt loquitur Diuus Ambroſius, *Nulla ætas erat culpæ immunis, ideò nullus immunis exitij fuit: & qui poßibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum: effœtæ vires ſenum, ſed mens plena libidinis.* Nec mirum eſt omnes conueniſſe ad nefas, quia nec decem iuſti in ea infelici vrbe potuerant inueniri. Lib. 2. de Abr. Patriarch. cap. 6.

Summa enimuero conſpiratio, & inenarrabilis peruerſitas illa fuit. Venerunt autem antequam hoſpites irent cubitum, quia mos libidinis eſt, turbare caſtitatis tranquillitatem. Expectarunt, donec appeteret nox, quia non alio tempore potuiſſent aptius, filios lucis, filij tenebrarum adoriri. Contulerunt ſe ad domum medici, non vt ſanarentur, ſed vt deterius haberent, & vt morbo ſuo impotenti obſequerentur. *Cogitemus*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *quomodo Iuſtus in medio tam truculentarum beſtiarum habitans, ita excellenti virtute fulſerit. Vniuerſi Dominus, præuidens miram illorum malitiam, diſpenſauit, vt iuſtus eo loci domicilium haberet, vt ſicut optimus medicus mores eorum emendaret.* Sed nihilominus manſit delirium eorum inſanabile: & idcirco nihil ſuperfuit, pro illorum ſalute, niſi Mors. Hæc vltimus malorum medicus dicitur, & ſanè vti à In c. 19. Gen. Homil. 43.

per pœnitentiam dicant memento Domine, quia puluis ſumus. Ea frequenter ideò cogitat o humana ad hunc natiuum puluere, ad hos cognatos cineres: nec enim ſolum reddet ſibi propitium Deum, ſed Dæmoni reddet ſe præterea inexpugnabilem. Tam hic ſerpens homini cedet, ſi luto, & puluere, & cinere ſe homo armauerit, quàm aſpis cedat, quando Ichneumon in Ægypto, cum aſpide certaturus, luti operimento, velut lorica, tectus ad prœlium venit, & vincit.

Ælian. l. 3. cap. 2.

Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis: vilis res, ſed vtilis, ex recto eius vſu. Dei miſericordia, & clementia circa Sodomam deficiebat, & penè extinguebatur, tamquam ignis, nec parcere, ſed punire Deus decernebat. Cinis conſeruat ignem, Abraham ſe eſſe cinerem affirmat, & Dei clementiam conſeruat aliquandiu, adeo vt velit iam parcere, ſi decem iuſtos tantum ciuitas reperiat.

Plin. lib. 30. cap. 16.

Rex Apum, cum examine toto, repetit aluearium, vnde emigrauerat, ſi eum quis reſperſerit puluere, ex anguium veſtigijs collecto. Homo puluis eſt, ſuper quem in Paradiſo veſtigium ſui, hoc eſt peccatum, ſerpens reliquit. Deus, & Angeli miniſtri eius, ſunt velut Rex, & examen Apum, melleasque iras habent, videlicet ſemper cum mixtura leuitatis puniunt exceſſus generis humani. Deſeruerant Sodomam, feciſſetque Adam, vt reuerterentur, & illius deinceps quoque prouidentiam haberent, dum ſe eiuſmodi puluerem eſſe dicit, ſi vel decadem vnam iuſtorum Sodoma offerre potuiſſet. Hoc impetraſſet perinde dum ait, ſe cinerem eſſe, nam Sodomæ ciues erant veluti apes mortuæ, quippe Apibus, in vna ea re ſimiles, quod ſicut hæ à tergo aculeum habent, ita erat à tergo peccatum, & nequitia eorum. Atqui apes mortuæ, in cinere tepido reuiuiſcunt: & vt reuiuiſcerent viri Sodomæ, Abraham ipſe cinerem ſe profitetur, ac cinerem tepidum, nam huic humilitati miſcuerat charitatem.

Sozomen l. 3 hiſt Eccleſiæ 16.

Hiſtoriam addo, quæ maximè videtur eſſe in rem præſentem. Ibat Edeſſam Beatus Ephrem, & pro argumento benè auguratæ profectionis, flagitauerat à Deo, vt dum vrbem illam intraret, monitum aliquod pertinens audiret. In aditu ciuitatis, obuia illi fuit mulier formoſa, quæ oculos in eum vibrans, ſeruit, & interea ſiluit. Ephrem triſtior, vt qui fœminæ periculum, pro ſalutari alloquio viri, habuerat in occurſu ſuo, ſciſcitatur, cur fœmina parum verecunda, intuitu pertinaci, quaſi faſcino, venientem ſe, ibi moraretur? Tum illa ego te, inquit, aſpicio, quia ex te orior, & ex latere tuo, quin tu potius terram aſpicis, de cuius limo figmentum exiuiſti? Obſtupuit Ephrem, vocem è cælo miſſam agnouit, deditque oraculum illud meditationi ſuæ. Vtinam aſſiduè, nos etiam, id meditaremur!

META-

METAPHORA XXXIX.

Viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero, vſque ad ſenem. Gen. cap. 19. verſ. 4.

EX colloquio Abrahæ abierat Dominus, hoc eſt, Angelus forma auguſtior, qui Deum referebat. Alij duo (tres enim apparuerant ſub quercu, in conualle Mambre) venerant in vrbem Sodomam, ream ob flagitia plurima, & imprimis ob infanda Veneris diuerticula. Loth vir iuſtus, in porta ciuitatis Hoſpites Angelos inuitat, atq; offert omnem hoſpitij, & beneuolentiæ modum. Diuertunt hi ad domum eius, ſed eorum venuſta, & caſti oris, ac cęleſtis lumen, ciues pronos, & præcipites in fœdam libidinē, ita inflammat, vt tanquam emiſſarij, perfractis habenis verecundię, eò ſe proripiant, ad inferendum dedecus, hoſpitibus adeò decoris, & amœnis. *Neque erubeſcebant*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *tam turpe, tamq; impudens flagitium, neque infallibilem oculum cogitabant, neque iuſtum reuerebantur.* In c. 19. Gē. homil. 43.

Viri Ciuitatis vallauerunt domum, ita noſtra editio vertit id, quod in Hebręis codicibus eſt, *girare*: quaſi inſtar valli, & munitionis caſtrorum, circumuenerint domum Iuſti. Vallauerunt autem eam à *puero vſque ad ſenem*, quia, vt loquitur Diuus Ambroſius, *Nulla ætas erat culpæ immunis, ideò nullus immunis exitij fuit: & qui poßibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum: effœtæ vires ſenum, ſed mens plena libidinis.* Nec mirum eſt omnes conueniſſe ad nefas, quia nec decem iuſti in ea infelici vrbe potuerant inueniri. Lib. 2. de Abr. Patriarch. cap. 6.

Summa enimuero conſpiratio, & inenarrabilis peruerſitas illa fuit. Venerunt autem antequam hoſpites irent cubitum, quia mos libidinis eſt, turbare caſtitatis tranquillitatem. Expectarunt, donec appeteret nox, quia non alio tempore potuiſſent aptius, filios lucis, filij tenebrarum adoriri. Contulerunt ſe ad domum medici, non vt ſanarentur, ſed vt deterius haberent, & vt morbo ſuo impotenti obſequerentur. *Cogitemus*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *quomodo Iuſtus in medio tam truculentarum beſtiarum habitans, ita excellenti virtute fulſerit. Vniuerſi Dominus, preuidens miram illorum malitiam, diſpenſauit, vt iuſtus eo loci domicilium haberet, vt ſicut optimus medicus mores eorum emendaret.* Sed nihilominus manſit delirium eorum inſanabile: & idcirco nihil ſuperfuit, pro illorum ſalute, niſi Mors. Hæc vltimus malorum medicus dicitur, & ſanè vti à In c. 19. Gē. Homil. 43.

Deo prouenit, qui punit ſcelera impiorum, potius vocari debet medicina, quàm pœna, & aliquo modo eos etiam ſanat, quià impedit, ne ſuperſtites adhuc, diuturnius peccent, neue, quod inde fit, ſupplicij Gehennæ, acerbioribus crucientur.

Itaque Deus ſimul ex iuſtitia iratus, ſimul ex miſericordia propitius, improbos citra culpæ meritum, caſtigat. Cæterum Plato, qui alicubi pœnam Reorum appellauit ſapientem *medicinã improbitatis*, & Reos ægris, Iudices medicis aſſimilauit; alibi fatetur, aliqua eſſe peccata, quæ non poſſunt ſanari, ſed prodeſſe tamẽ cæteris arbitratur, ſi ea puniantur. *Qui apud Deos*, inquit, *& homines, ita dant pœnas, vt vtilitatem inde aliquam referant, & fiant inde meliores, hi ſunt qui peccata ſanabilia cõmiſerunt: quibus dolor, cruciatusq; prodeſt apud homines, & apud inferos. Qui autem extrema iniuſtitia detinentur, & propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſiq; nullam amplius vtilitatem inde reportant, vtpote qui ſanari non poſſunt. Sed proſunt dumtaxat alijs per exemplum, qui eos intuentur propter flagitia maximis, acerbiſſimisq; & terribiliſſimis pœnis omni tempore cruciatos.*

In Gorgia.

Ibidem circa finem.

METAPHORA XL.

Ingreſſi ſunt, ſub vmbra culminis mei. Gen. cap. 19. verſ. 9.

DVm ita caſtitas hoſpitum, & Iuſti hoſpitalitas oppugnatur, egreditur Loth, & clauſo oſtio, ne ſuggrederentur obſcœni ciues, colloqui & conditiones aliquas pacis, tametſi non adeò familię ſuę honorificas, incipit proponere. Nam filias innuptas, & florem earum obtulit, furenti ciuium libidini, dummodo hoſpitibus parcerent. Sic verò eum loquentem inducit S. Ioannes Chryſoſtomus. *Adhuc inexpertæ ſunt nuptialis congreſſus: intactæ ſunt, luculentæ ſunt, & adhuc in flore ætatis: eas omnibus expoſitas do, & vtimini eis, ſicut vobis placet.* S. Ambroſius verò notat, offerri ab eo flagitium minus, vt flagitium maius impediretur. *Offerebat igitur*, inquit, *Sanctus Loth filiarum pudorem: nam etſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, ſecundum naturam coire, quàm aduerſum naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ, hoſpitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.*

In cap. 19. Geneſ. Homil. 43.

Lib. 1 de Abr. Patriarch. cap. 6.

Sanctus Auguſtinus tamen dubitat, num liceat nobis, aliquid mali patrare, eo conſilio, ne patrent alij malum grauius, & videtur in Loth excuſare perturbationem animi, qua nó potuerit ſatis deliberare, laudabiliter, an [illegible]

filias

filias proprias illis offerret. *Quoniam proſtituere, inquit, volebat filias ſuas, hac compenſatione, vt viri hoſpites eius, nihil à Sodomitis tale paterentur, vtrum admittenda ſit compenſatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat, an potius propter animum Loth, hoc conſilium tribuendum ſit, quia hoc dixerit, merito quæritur.* Deinde concludit in hæc verba, *nimirum periculose admittitur talis compenſatio: ſi autem perturbationi humanæ tribuitur, & mentis tanto malo permotæ, nullo modo imitanda eſt.* *Quæſt ſuper Gen. lib. 1. quæſt 41.*

Alij à peccato eum non excuſant, & quod iuſtus à Scriptura ſacra nominetur, ſic exponunt, quaſi hoc dicatur, comparatione Sodomæorũ, qui erant nequiſſimi. Cardinalis Caietanus vero putat, eam fuiſſe ſolum hyperbolicã ſubmiſſionem, ſtudio placandi furentem populum, non autem animi filias proſtituendi. Miratur certe S. Ioannes Chryſoſtomus, hac eum arte nihil tamen impetrauiſſe. *Poſt verba illa, inquit, & tam eximiam manſuetudinem: cum verbis ſuis, quaſi manibus, proſtituiſſet filias, quid dicunt? Recede illuc. O grauẽ ebrietatem, o immodicam deſipientiam. In huiuſmodi animum ſe habet efferata, & mala beſtia concupiſcentia, quando rationem vicerit. Nihil, quod oportet, videre ſinit, ſed quaſi in tenebris, & pugna nocturna omnia facit.* Inſtabant videlicet, & continuabant oppugnationem illam pudoris, & honeſtatis. Itaque nihil proficit Loth, & ſumma colloquij eſt, *recede illuc.* Quaſi dicerent, deſine ab eo ſtatione̅m, deſeri excubias, & oſtij defenſionem: vt pateant portæ, vt liceat ingredi, vt libidinem liceat explere. *In c. 19. Gẽ Homil. 43.*

Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. In Hebræo textu eſt, *ſub vmbra tabulati* vel *contignationis meæ*, & apud Septuaginta Interpretes *ſub tegmen trabium mearum.* Senſus idem eſt, nempe, ſicut tectum obumbrat eos, qui domi ſunt, & ab imbre atque æſtu eos tegit, ita peregrini recepti ſunt in Hoſpitis tutelam & fidem: & huius eſt, ab eis iniuriam omnem propulſare. Nec aliter id explicat, S. Ioan. Chryſoſt. *Quoniam, inquit, coegi eos, & induxi ſub tectum meum, vt ne mihi aſcribatur iniquitas, quæ eis contigerit, & ego eis auctor ſim contumeliæ.* Ne multis; ipſemet hoſpes, hoſpitibus ſuis domus eſt: decetque hos ab illo, non magis in ædibus materiatis quàm in pectore, & animo excipi, & inter ſpatia charitatis contineri. *Ibidem.*

Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. Refrigerare non potuit, hæc hoſpitalis vmbra, æſtum & ardorem vehementem luxuriæ, qui ciues illos immanes, tanquam tauros in furorem agebat. Tauros tamen vmbra fici arboris reddi mites, aiunt. Quos etiam, quamlibet feroces, vt ſcribit Plinius, caprificus, collo eorum circumdata, ita compeſcit, vt immobiles præſtet. Ficus peregrinis amicum olim ſymbolum dedit, & nota hoſpitalitatis fuit, ideoque quicumque peregrè ibant, ramalibus fici poſtes ædium coronabant, in ſignum bene auguratæ profectionis. Nimirum hoſpitalitas vmbraculum domicilij, & fructus charitatis dulces, aduenis ſemper benigna, præbet. Attamen iuſti *Lib. 23. c. 7.*

Loth

Loth hoſpitalis vmbra, & eius patrocinium, erga peregrinos eos cœleſtes, non ſatis erat, vt compeſceret huiuſmodi [illegible] incontinentiam.

Ælian. l. 1. de Animal. cap. 5. Plin. lib. 8. cap. 30. Hyæna animal eſt, quod ſexum quotannis mutare, & alternare maris, ac fœminæ vices, ab Auctoribus nonnullis dicitur. Cum autem ſit fera, humanas voces callide adeò imitatur, vt paſtores ſæpè nominatim, ex caula euocet, & incautos perimat. Sodomæ ciues Hyenæ ſimiles, & belluæ vtriuſque naturæ, vel vtriuſq; libidinis, in quibus nihil videbatur ſuperfuiſſe hominis, præter humanam vocem, pudicos Hoſpites ex Iuſti domo euocant. Reſpondet Loth, ingreſſos eos ſub vmbra culminis ſui. Sed vmbram Hyena nó metuit: imò potius vmbra ſua nocet, canibuſque latratum adimit. Plin. ibidem Sodomæ ciues pariter, tetra luxuriæ vmbra, Iuſti Loth cuſtodiam hoſpitibus inutilem reddiderunt. Ideò impar eorum furori eſt, & cùm prope eſſet, vt illi effringerent fores: Angeli, ſua vſi potentia, ei ſuppetias tulerunt.

METAPHORA XLI.

Eos, qui foris erant, percuſſerunt cœcitate. Gen. cap. 19. verſ. 11.

OCuli, qui primi peccauerant, iure ac meritò primi puniuntur: principium enim culpæ eſt in oculis, quam explet voluntas, quando quis ad concupiſcendum videt. Oculus in animali vltimus oritur, & primus moritur: & videri hoc poteſt, non prouidentiæ Dei modò, ſed etiam miſericordiæ conſilium, pro homine, quò ita nimirum, quia cor nouiſſime obit, etiam momenta vitæ vltima, idonea & vtilia homini ſunt, vt conuertatur ad Deum. [illegible] quia oculi, quando deficiunt, prodromi ſunt obitus imminentis, dum ciues Sodomæ videmus fuiſſe ab Angelis percuſſos cæcitate, conijcere poſſumus etiam, imminere obitum eorum: ſed fore, vt cor eorum conuertatur, ſperare non poſſumus. Etenim in eis cordis cœcitas antecellerat cœcitatem oculorum, & ideò, dum hi deficiunt, admonere cor, vltimi momenti, vt reſipiſcat, nequiuerunt, quia cor cœcum iam erat, & cœcus cœco ducatum præſtare, vtiliter nó poteſt. *Quoniam mentis cœcitas oculis,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *excœcatus erat, propter hoc & viſu priuati ſunt: vt diſcas, quod nihil iis proſint corporales oculi, ſi oculi mentis fuerint excæcati.* In c. 19 Gē. Homil. 43.

Percuſſerunt eos cœcitate. S. Ambroſius, S. Ioannes Chryſoſtomus, & alij, eos viſu

viſu omninò priuatos fuiſſe,putant.S. Auguſtinus tamen notat,eſſe apud Septuaginta Interpretes Gręcè hoc vocabulum *ἀορασία*, *quod*, inquit ipſe, *magis ſignificat,ſi dici poteſt,auidentia,quæ faciat,non videri; non omnia. ſed quod non eſt opus.* Itaque opinatur non fuiſſe ſublatum eis omnem videndi facultatem, ſed ademptam imaginem duntaxat oſtij Loth,ex oculis eorum, ſiue eius loco inſecta fuerit ſpecies parietis,& rei alterius,ſiue interfuſus aër, qui eſt natura ſua perſpicuus,redditus fuerit denſus, & opacus, ita vt ſpeciem oſtij tranſmittere non potuerit.Illos certè,vſu oculorum , priuatos penitus non fuiſſe,ex eo deducit S.Auguſtinus, quia nec quærere oſtium deinceps potuiſſent, ſi nihil omnino viderent, & ea calamitate turbati deſtitiſſent à nequitia. Ceterum ſimili *ἀορασίᾳ* credit eos laboraſſe,qui Eliſæum quærebant,atque item diſcipulos duos, qui Chriſtum Dominum, euntes cum eo in Emaus, non cognouerunt.

Quæſt ſuper Geneſ. lib.1. q 41. *4.Reg.6.* *Luc.24.*

Percuſſerunt eos cæcitate , à minimo vſque ad maximum. Ciuitas cœcorum appellari Sodoma tunc potuit,multo æquius,quam Ceraſtis antiqua vrbs,quę cœcorum oppidum dicta eſt:propterea quod Conditores eius,locum eligere neſciuiſſent,ſeptem ſtadijs diſtante Bizantio,tanto feliciore omnibus modis ſede. Enimuero habitatores Sodomæ ſua non nouerunt bona, quippe abuſi felicitate regionis,quę irrigabatur,ſicut Paradiſus Dei,abuti etiam natura voluerunt cœci,& verè ciuitas cæcorum.Effectus luxuriæ cœcitas mentis eſt,quia Deum non videt,neque conſiderat, eum fore vindicem incontinentiæ.Contrà dicuntur,*Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt.*

Plin. lib. 5. cap.30. *Matth. 5. Verſ.8.*

METAPHORA XLII.

Dominus pluit ſuper Sodomam,& Gomorrham, ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.

Gen.c.19.v.24.

QVIA iam vſtio parabatur,vt exemplo neceſſariæ ſeueritatis ſaltem poſteri ſanarentur, idcirco monent Angeli hoſpitem ſuum: vt ſibi, vxori, filiabus , & generis cito conſulat, atq; vt ineuitabile alijs, fugiat infortunium. Non poſſum hoc loco,quin vnà cū Origene dicā; *Audite hæc,qui peregrinis clauditis domos,audite hæc,qui hoſpitem velut hoſtem vitatis. Loth in Sodomis habitabat : alia eius benè geſta non legimus. Hoſpitalitas in eo ſola,ex vſu veniens,memoratur,euadit ignes,euadit incendia,ob hoc ſolum,quod domum ſuam patefecit*

Homil 5. in 19.c. Gē.

*hoſpitibus Hoſpitalem domum Angeli ingreſſi ſunt: clauſas hoſpitibus domos, ignis ingreſ-
ſus eſt.* Plato etiam ſapientiſſimè ait, vlciſci Deum præcipuè iniurias, quæ pe-
regrinis fiunt, & adfert rationem pulcherrimam, propter quam ij præ aliis
[*5. de legibus.*] Deo cordi eſſe videantur. *Ferme omnia,* inquit, *contra peregrinos peccata, præ illis,
quæ inter ciues committuntur, vltori Deo curæ ſunt. Nam cum peregrinus amicis cogna-
tisq; careat, maiorem & apud Deum, & apud homines meretur miſericordiam.* Certè
videtur Deus, non prius induci potuiſſe, ad vindictam contra eum infamem
populum, tametſi inceſtarent ſe mutuo, quam vbi tentauerant Hoſpites An-
gelos violare. S. Auguſtinus, præterea tribuit meritis Abrahæ liberationem
[*Gen. c. 19. verſ. 29.*] Loth, nam in Hiſtoria Sacra ſic habetur. *Cùm enim ſubuerteret Deus ciuitates Re-
gionis illius, recordatus eſt Abrahæ, & liberauit Loth, de ſubuerſione vrbium, in quibus
[*Quæſt. ſuper Gen. q. 45.*] habitauerat.* Tum verò ipſe, *commendat,* inquit, *Scriptura, meritis magis A-
brahæ liberatum eſſe Loth. Vt intelligamus iuſtum Loth dictum, ſecundum quendam mo-
dum: maximè quod vnum verum Deum colebat, & propter comparationem ſcelerum So-
domorum: inter quos viuens, ad vitam ſimilem, nõ potuit inclinari.* Tanti refert, ſi quis
fuerit ex ſtirpe Deo amica, & ex cognatione Sancta. Loth igitur Angelorum
admonitu alloquutus eſt generos ſuos, aperuit eis conſilium Dei, & inſtare
[*verſ. 14.*] ciuitatis vltimum exitium, affirmauit. Sed *viſus eſt eis, quaſi ludens loqui.* Obiter,
quomodo dicatur Loth habuiſſe generos, qui tamen paulò ante filias ſuas
dixerat, nondum cognouiſſe viros, explicatur in textu Sacro, vbi dicitur, *E-*
[*Ibidem.*] *greſſus eſt Loth, & locutus eſt ad Generos, qui accepturi erant filias eius:* necdum igi-
tur, virgines filiæ matrimonio fuerant copulatæ. Denique cum ijs, & cum v-
xore educitur Loth ab Angelis: & tunc *Dominus pluit ſuper Sodomam, & ſuper
Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Pluuia eſt propriè, exſtillans è nu-
bibus aqua, benefica vt plurimum, & quæ ad vbertatem irrorat agros. Iam
vt puniatur vitium contrà naturam, pluit contrà naturam ſulphure & igne,
quo ſubmerſæ fuerũt quatuor ciuitates Sodoma, Gomorrha, Adama, & Se-
boim, anno Mundi CIↃ.CIↃ.C.XXXVIII. quo eodẽ anno Sara nonagenaria,
ex Abraham centenario concepit Iſaac: quaſi ab enormi ſcelere debuerit
Mundus expiari, priuſquam naſceretur Puer, qui figura & imago erat Agni
[*Plin. lib. 35. cap. 15.*] immaculati, & iudicaturi aliquando ſæculum per ignem: Olim in Ethnico-
corum ritibus ſulphur vſui erat, ad expiandas ſuffitu domos. Vtinam ſulphur
harum ciuitatum, ſeu ſcelerum earum vindex, ſatis Mundi hanc magnam do-
mum expiauerit. Segor, quinta ciuitas Pentapolis, incendium euaſit, quia pro
ea Loth iuſtus Angelis ſupplex fuit: & exauditus eſt in præmium hoſpitalita-
tis. Alias quatuor ciuitates, fatiſcente ſolo per terræmotum, hauſtas eſſe: poſt-
quam conflagrauerant, perhibent multi, & in earum ſitu ſtagnare lacum, in
quo *ſuperiecta,* inquit Tacitus, *incertum vnde, vt ſolido, feruntur: periti, imperitiq; nan-
di perinde attolluntur.* Refert etiam Ioſephus Hebræus Veſpaſianum (qui ve-

nerat

nerat illuc viſendi cauſa) iuſſiſſe quoſdam mergi, vinctis retrò brachijs, & omnes ex imo lacus reiectos fluitare ſupernè viſos eſſe. Aſphaltidis nomen eſt lacui, qui ſulphureus eſt, nec piſces vllos alit.

Dominus pluit ſulphur & ignem. Sanctus Gregorius, *ſulphur*, inquit, *quid aliud* Lib. 14. Moral. c. 10. *eſt, quam fomentum ignis, quod tamen ſic ignem nutrit, vt fœtorem grauiſſimum exhalet:* & deinde ait, in eo genere ſupplicii, notari à Deo maculam criminis, in quo vtique fit ardor, & fœtor: quia fœtorem ſulphur habet, & ignis ardorem. Enimuero quæuis luxuria, ardor, & ignis eſt: ſed ea quæ tum puniebatur hoc habuit præterea, vt grauiſſimè oleret. S. Bernardus ait, flammam Gehennæ non ſuſtinuiſſe moras, ſed perueniſſe, vt de medio tolleret execrabilem nationem, *& ciuitates*, inquit, *ſpurcitiæ Sodomiticæ matres*, ſic enim eas De conuer. ad Cleric. cap. 19. appellat, & confirmat id quod inſinuaui alibi, nempè crimen hoc ante diluuium non fuiſſe, tametſi Abulenſis, ex S. Methodio Martyre id aſſeruerit. Imo Eucherius, & Strabus quærentes, cur Deus aquis tunc, & iam igne ſæuierit: reſpondet, libidinis peccatum cum fœminis, vti leuius, quia naturale eſt leuiori elemento, nempe aqua, ſed libidinis peccatum cum viris, vtpote contra naturam, & ideò grauius, acriori elemento, nempe igne puniri debuiſſe. Ibi à ſordibus aqua Deus terram abluit tantum, atque ideò rurſus floruit, ac ſegetes tulit. Iam verò ignis conflagratio attulit Pentapolis regioni æternam ſterilitatem: nec aliter debuit puniri ſterilis libido, quæ inimica generi humano, impediuit naturæ fœcunditatem. Quam fuerit verò tunc horribilis rerum facies, deſcribit eloquenter S. Ioannes Chryſoſtomus, præſertim illis verbis, *Fumigabat cœlum igniferum, fluebant ex aëre ſcintillæ, intendebant fulgura, quidquid tangebant, ſtrepebat fundamentum tactum, in carbones redigebantur tecta, ſcrutatio fiebat fundamentorum, fugientibus occurrebat ignis, latentium veſtigia inueſtigabat.* Serm. de Adam, Sodomitis, Achab. & pœnitentia.

Dominus pluit ſulphur, & ignem à Domino de cælo. Vt ab hoc ſulphure & igne, feliciori Alchimiæ genere, nos aurum eruamus, agnoſcere debemus, in ijs Scripturæ Sacræ verbis, filij Æterni, à Patre æterno geniti, tamquam ſupremi Iudicis, poteſtatem. Ducem habemus ad veritatem hanc indagandam Sanctum Hilarium, qui, *rogo*, inquit, *quis eſt Deus hic, Sodomæ, & Gomorrhæ euerſor. pluit enim Dominus, à Domino, numquid non verus Dominus, à vero Domino? aut numquid aliud, quàm Dominus à Domino? vel quid, præter ſignificationem perſonæ, in Domino, ac Domino coaptabis?* Et paulò poſt, *tuo te impie teneo mendacio*, inquit, *nondũ ex Euangelijs Deum iudicem profero, lex mihi iudicem Deum locuta eſt. Aufer à filio, quod Iudex eſt; & auferes quod Deus verus eſt.* Lib. 5. de Trinitate. Sanctus Auguſtinus etiam idem agnoſcit, dum hæc habet, *Et pluit Dominus à Domino, qui ſcribebat dixit: vt Dominus eius à Domino eius, id eſt, Dominus noſter, à Domino noſtro, pluiſſe intelligatur, Filius à Patre.* Quæſt. ſuper Geneſ. quæſt. 59. Idem agnoſcit S. Ioannes Chryſoſtomus, qui vt æqualem Patri Filium

det vero paulo poſt: *Dicimus cum fiducia, quod ſecundum Scripturas, non omnes ſciat Deus. Peccatum neſcit Deus, & peccatores neſcit Deus, alienos a ſe, ignorat.*

Matth.c.7. verſ.23. Ibidem. Cum autem adduxiſſet verba illa Chriſti Domini: *Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem,* pulcherrimá hanc ſuæ aſſertionis ſubdit explicationem. *Hoc autē dicimus, non blaſphemū aliquid [illegible] [illegible], de eo ſentientes, neq; ignorantiam adſcribentes ei: ſed ita intelligimus, quod [illegible] Deo [illegible] indignus, indigni etiam notitia Dei dicuntur. Non enim di-*

1.Corin 14. *gnatur Deus [illegible], qui auerſus eſt ab eo, & ignorat eum. Et ideo dicit Apoſtolus, quoniam [illegible] ignorat, ignoratur.* Sic ipſe. tametſi ſenſus obuius hoc loco eſt, ſingulare de in[illegible] Deum ignorantiam, atque diſtantiam, vt inſtruat nos: quemad-

Lib.9 Moral.c.14. modum, præter S. Ioannem Chryſoſtomum, & S. Ambroſium, habet S. Gregorius etiam, in hæc verba. *Omnipotens itaque Dominus, & omnia ſciens, cur ante probationem, quæſo, debeat? niſi vt grauitatis nobis exemplum proponat: ne mala hominum ante præſumamus credere, quam probare?*

METAPHORA XXXVIII.

Loquar ad Dominum meum; cùm ſim puluis, & cinis. Gen.c.18.verſ.29.

verſ.17. ABraham erat magnus vir, etiam in oculis Dei. qui iam dixerat de eo, *[illegible] celare potero Abraham, quæ geſturus ſum: cum futurus ſit in gentem magnam, & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ?* quod fuit ferè ipſum conſtitui conſiliarium Dei. Nihilominus is cauſæ incolarum Sodomæ [illegible] patrocinatur, & vt conciliet ſibi beneuolentiam à ſupremo Iudice Deo, *Loquar*, inquit, *ad Dominum*

Lib 3 Moral.c.23 *meum, cum ſim puluis, & cinis.* Suſpicit hoc, nec immeritò quidem, ſanctus Gregorius. [illegible], inquit, *[illegible] ſuſpicit, qui vſque ad honorem Diuinæ collocutionis aſcendit, [illegible] eſt, quia pœna illi feriendi ſunt, qui ad ſummum non præſumunt [illegible] tamen [illegible] extolluntur!* Nec obiter omiſerim, contineri magnam laudem Abrahæ, ſicut hic Pontifex inſinuat, in eo quòd dignaretur cum Deo alloqui [illegible] Homerus, de Creta mentionem faciens, *in Creta, inquit, [illegible] magno cum Ioue colloquutus.* De quo elo-

In Minoe. gio hæc Plato [illegible] *Tanta eſt hæc in [illegible] laus paucis verbis explicata, vt nunquam, pari [illegible] Heroum quenquam, extulerit.*

Phari-

Phariſæi etiam hoc intelligebant, qui Cæco nato, cui iam ex miraculo illuxerat dies, imprecati ſunt: ſed feliciter, quoad ipſum, dicentes ei de Chriſto Domino: *Tu diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus, vnde ſit. Sancti omnes,* inquit idem Diuus Gregorius, *quanto in Dei viſione proficiunt, quanto magis Diuinitatis interna conſpiciunt, tanto magis ſe nihil eſſe agnoſcunt. Nunquam quippe legitur, quod Abraham ſe cinerem, & puluerem ſe eſſe profeſſus eſt: niſi cum habere Dei meruit collocutionem.* Laborabat Abraham penuria materiæ, vt ſe ex modeſtiâ demitteret, redderetque ſibi, & cauſæ ſuſceptæ beneuolum Iudicem Deum, & quia culpa caruit, quæſiuit ſaltem aliquid, quod deſpiceretur in natura. *Quoniam non habebat peccata, quæ diceret,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *ſed vndique bonis operibus fulgebat, circumuerſans, & nihil contra ſe inueniens, ad naturam ipſam confugit. Et quoniam terra videtur quodam modo bonum, idem etiam nomen, cineris addidit.* Homo vel [illegible], in vitæ origine puluis, eſt in vitæ exitu cinis. Subdit idem S. Ioannes Chryſoſtomus, *non igitur diuitias vides, florem oculorum, neque erectam ceruicem, neque clamydem, & equum, & famulos, ſed vbi moritur, hæc omnia cogita, & attende.* Certè nec aliter appellauit [illegible] Poëta, fœminam pulchram, in funere eius, niſi

Ioan. c. 9. v. 28. 29.
Li. 18. Moral. c. 33.
Homil. 28. in c. 11. epiſt. 2. ad Corin.
Ibidem.
Horatius.

Dilapſam in cineres facem.

Rectè etiam, in vetere Epitaphio, vocatur homo, *Vas cinerum.*

Dic homo vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? mors vltima meta dierum.

Et olim ideo, ante primarios Antiſtites Æthiopum Chriſtianorum, non crux modò, ſed vas aureum, pulueris plenum præferebatur, vt maneret originis recordatio.

In qua quidem origine nos terra dicimur, quia dum viuimus, fœcundi eſſe poſſumus, & feraces operum bonorum; at vbi morimur, & in exitu vitæ, cinis ſumus, ſteriles ſumus, nec amplius eorum operum cumulare merita nobis licet. Videtur porrò, poſt iacturam innocentiæ, homo ſpecie tenus, manſiſſe quod erat, & intus vaneſcere, inſtar pulueris, & inſtar cineris. Cornelius Tacitus, de Pentapolis exuſta regione, item poſt peccatum; *Ibi cuncta,* inquit, *ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuerunt, atra, & inania, velut in cinerem, vaneſcunt.* Ita nos quotquot homines viuimus, ac ſpecie ſumus, vaneſcimus, quaſi puluis & cinis, & ex vento quouis, atque aura leui, diſſipamur.

Lib. 5. Hiſto. ab exceſſu Neronis.

Sapienter itaque Abraham, & cum eo iuſti omnes, etiam in hac vita, & nõ expectata extrema, atque ineuitabili neceſſitate, ſe puluerem, ac cinerem dicunt. Et quia cõparantur ſcintillis in arundineto, *per omne quod valent,* inquit S. Gregorius, *in cinerẽ redeũt: quia pietatis flammam [illegible], dũ infirmitatẽ conditionis ſuæ cõſiderant, nihil aliud, quàm fauillã ſe eſſe cognoſcunt: vt à ſuperbiæ ſuæ duritia reſoluti,*

Sapien. 3. vers. 7.
Lib. 18. Moral. c. 33.

per pœnitentiam dicant, memento Domine, quia puluis ſumus. Ea t frequenter ideò cogitat o humana ad hunc natiuum puluere, ad hos cognatos cineres: nec enim ſolum reddet ſibi propitium Deum, ſed Dæmoni reddet ſe præterea inexpugnabilem. Tam hic ſerpens homini cedet, ſi luto, & puluere, & cinere ſe homo armauerit, quàm aſpis cedat, quando Ichneumon in Ægypto, cum aſpide certaturus, luti operimento, velut lorica, tectus ad prœlium venit, & vincit.

Ælian. l. 3. cap. 2.

Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis: vilis res, ſed vtilis, ex recto eius vſu. Dei miſericordia, & clementia circa Sodomam deficiebat, & penè extinguebatur, tamquam ignis, nec parcere, ſed punire Deus decernebat. Cinis conſeruat ignem, Abraham ſe eſſe cinerem affirmat, & Dei clementiam conſeruat aliquandiu, adeò vt velit iam parcere, ſi decem iuſtos tantum ciuitas reperiat.

Plin. lib. 30. cap. 16.

Rex Apum, cum examine toto, repetit aluearium, vnde emigrauerat, ſi eum quis reſperſerit pulſuere, ex anguium veſtigijs collecto. Homo puluis eſt, ſuper quem in Paradiſo veſtigium ſui, hoc eſt peccatum, ſerpens reliquit. Deus, & Angeli miniſtri eius, ſunt velut Rex, & examen Apum, melleaſque iras habent, videlicet ſemper cum mixtura leuitatis puniunt exceſſus generis humani. Deſeruerant Sodomam, feciſſetque Adam, vt reuerterentur, & illius deinceps quoque prouidentiam haberent, dum ſe eiuſmodi puluerem eſſe dicit, ſi vel decadem vnam iuſtorum Sodoma offerre potuiſſet. Hoc impetraſſet perinde dum ait, ſe cinerem eſſe, nam Sodomæ ciues erant veluti apes mortuæ, quippe Apibus, in vna ea re ſimiles, quod ſicut hæ à tergo aculeum habent, ita erat à tergo peccatum, & nequitia eorum. Atqui apes mortuæ, in cinere tepido reuiuiſcunt: & vt reuiuiſcerent viri Sodomæ, Abraham ipſe cinerem ſe profitetur, ac cinerem tepidum, nam huic humilitati miſcuerat charitatem.

Sozomen l. 3. hiſt. Eccleſia 16.

Hiſtoriam addo, quæ maximè videtur eſſe in rem præſentem. Ibat Edeſſam Beatus Ephrem, & pro argumento benè auguratæ profectionis, flagitauerat à Deo, vt dum vrbem illam intraret, monitum aliquod pertinens audiret. In aditu ciuitatis, obuia illi fuit mulier formoſa, quæ oculos in eum vibrans, ſtetit, & interea ſiluit. Ephrem triſtior, vt qui fœminæ periculum, pro ſalutari aliquo viri, habuerat in occurſu ſuo, ſciſcitatur, cur fœmina parum verecunda, intuitu pertinaci, quaſi faſcino, venientem ſe, ibi moraretur? Tum illa ego te, inquit, aſpicio, quia ex te orior, & ex latére tuo, quin tu potius terram aſpicis, de cuius limo figmentum exiuiſti? Obſtupuit Ephrem, vocem è cælo miſſam agnouit, deditque oraculum illud meditationi ſuæ. Vtinam aſſiduè, nos etiam, id meditaremur!

META-

METAPHORA XXXIX.

Viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero, vſque ad ſenem. Gen. cap. 19. verſ. 4.

EX colloquio Abrahæ abierat Dominus, hoc eſt, Angelus forma auguſtior, qui Deum referebat. Alij duo (tres enim apparuerant ſub quercu, in conualle Mambre) venerant in vrbem Sodomam, ream ob flagitia plurima, & imprimis ob infanda Veneris diuerticula. Loth vir iuſtus, in porta ciuitatis Hoſpites Angelos inuitat, atq; offert omnem hoſpitij, & beneuolentiæ modum. Diuertunt hi ad domum eius, ſed eorum venuſtas, & caſti oris, ac cęleſtis lumen, ciues pronos, & præcipites in fœdam libidinē, ita inflammat, vt tanquam emiſſarij, perfractis habenis verecundię, eò ſe proripiant, ad inferendum dedecus, hoſpitibus adeò decoris, & amœnis. *Neque erubeſcebant*, inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *tam turpe, tamq; impudens flagitium, neque infallibilem oculum cogitabant, neque iuſtum reuerebantur.* *In c. 19. Gen. homil. 43.*

Viri Ciuitatis vallauerunt domum, ita noſtra editio vertit id, quod in Hebręis codicibus eſt, *girare*: quaſi inſtar valli, & munitionis caſtrorum, circumuenerint domum Iuſti. Vallauerunt autem eam à *puero vſque ad ſenem*, quia, vt loquitur Diuus Ambroſius, *Nulla ætas erat culpæ immunis, ideò nullus immunis exitij fuit: & qui poßibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum: effœta vires ſenum, ſed mens plena libidinis.* Nec mirum eſt omnes conueniſſe ad nefas, quia nec decem iuſti in ea infelici vrbe potuerant inueniri. *Lib. 1. de Abr. Patriarch. cap. 6.*

Summa enimuero conſpiratio, & inenarrabilis peruerſitas illa fuit. Venerunt autem antequam hoſpites irent cubitum, quia mos libidinis eſt, turbare caſtitatis tranquillitatem. Expectarunt, donec appeteret nox, quia non alio tempore potuiſſent aptius, filios lucis, filij tenebrarum adoriri. Contulerunt ſe ad domum medici, non vt ſanarentur, ſed vt deterius haberent, & vt morbo ſuo impotenti obſequerentur. *Cogitemus*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *quomodo Iuſtus in medio tam truculentarum beſtiarum habitans, ita excellenti virtute fulſerit. Vniuerſi Dominus, præuidens miram illorum malitiam, diſpenſauit, vt iuſtus eo loci domicilium haberet, vt ſicut optimus medicus mores eorum emendaret.* Sed nihilominus manſit delirium eorum inſanabile: & idcirco nihil ſuperfuit, pro illorum ſalute, niſi Mors. Hæc vltimus malorum medicus dicitur, & ſanè vti à *In c. 19. Gen. Homil. 43.*

Deo prouenit, qui punit ſcelera impiorum, potius vocari debet medicina, quàm pœna, & aliquo modo eos etiam ſanat, quià impedit, ne ſuperſtites adhuc, diuturnius peccent, neue, quod inde fit, ſupplicijs Gehennæ, acerbioribus crucientur.

Itaque Deus ſimul ex iuſtitia iratus, ſimul ex miſericordia propitius, improbos citra culpæ meritum, caſtigat. Cæterum Plato, qui alicubi pœnam Reorum appellauit ſapienter *medicinã improbitatis*, & Reos ægris, Iudices medicis aſſimulauit; alibi fatetur, aliqua eſſe peccata, quæ non poſſunt ſanari, ſed prodeſſe tamẽ cæteris arbitratur, ſi ea puniantur. *Qui apud Deos*, inquit, *& homines, ita dant pœnas, vt vtilitatem inde aliquam referant & fiant inde meliores, hi ſunt qui peccata ſanabilia cõmiſerunt: quibus dolor, cruciatusq́; prodeſt apud homines, & apud inferos. Qui autem extrema iniuſtitia detinentur, & propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſiq́; nullam amplius vtilitatem inde reportant, vtpote qui ſanari non poſſunt. Sed proſunt dumtaxat alijs per exemplum, qui eos intuentur propter flagitia maximis, acerbiſſimisq́; & terribiliſſimis pœnis omni tempore cruciatos.*

In Gorgia.

Ibidem circa finem.

METAPHORA XL.

Ingreßi ſunt, ſub vmbra culminis mei. Gen. cap. 19. verſ. 9.

DVm ita caſtitas hoſpitum, & Iuſti hoſpitalitas oppugnatur, egreditur Loth, & clauſo oſtio, ne ſuggrederentur obſcœni ciues, colloqui & conditiones aliquas pacis, tametſi non adeo familię ſuę honorificas, incipit proponere. Nam filias innuptas, & florem earum obtulit, furenti ciuium libidini, dummodo hoſpitibus parcerent. Sic vero cum loquentem inducit S. Ioannes Chryſoſtomus. *Adhuc inexpertæ ſunt nuptialis congreſſus: intactæ ſunt luculentæ ſunt, & adhuc in flore ætatis: eas omnibus expoſitas do, & vtimini eis ſicut vobis placet.* S. Ambroſius verò notat, offerri ab eo flagitium minus, vt flagitium maius impediret. *Offerebat igitur*, inquit, *Sanctus Loth filiarum pudorem: nam etſi illa quoque impuritas erat, ſecundum naturam coire, quam aduerſum naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ, hoſpitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.*

In cap 19. Geneſ. Homil. 43.

Lib. 1 de Abr. Patriarch. cap. 6.

Sanctus Auguſtinus tamen dubitat, num liceat nobis, aliquid mali patrare, eo conſilio, ne patrent alij malum grauius, & videtur in Loth excuſare perturbationem animi, qua nõ potuerit ſatis deliberare, laudabiliter, an ſecus

filias

filias proprias illis offerret. *Quoniam profluere, inquit, volebat filias ſuas, hac compenſatione, vt viri hoſpites eius, nihil à Sodomitis tale paterentur, verum admittenda ſit compenſatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat, an potius perturbationi Loth, hoc conſilium tribuendum ſit, quia hoc dixerit, merito quæritur.* Deinde concludit in hæc verba, *nimirum periculoſe admittitur talis compenſatio: ſi autem perturbationi humanæ tribuatur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda eſt.* Quæſt ſuper Gen. lib. 1. quæſt 41.

Alij à peccato eum non excuſant, & quod iuſtus à Scriptura ſacra nominetur, ſic exponunt, quaſi hoc dicatur, comparatione Sodomæorũ, qui erant nequiſſimi. Cardinalis Caietanus verò putat, eam fuiſſe ſolum hyperbolicã ſubmiſſionem, ſtudio placandi furentem populum, non autem animi filias proſtituendi. Miratur certe S. Ioannes Chryſoſtomus, hac eum arte nihil tamen impetrauiſſe. *Poſt verba illa, inquit, & tam eximiam manſuetudinem: cum verbis ſuis, quaſi manibus, proſtituiſſet filias, quid dicunt? Recede illuc. O graue ebrietatem, ò immodicam deſipientiam. In hunc modum ſe habet efferata, & mala beſtia concupiſcentia, quando rationem vicerit. Nihil, quod oportet, videre ſinit, ſed quaſi in tenebris, & pugna nocturna, omnia facit.* In c. 19. Gẽ. Homil. 43. Inſtabant videlicet, & continuabant oppugnationem illam pudoris, & honeſtatis: itaque nihil proficit Loth, & ſumma colloquij eſt, *recede illuc.* Quaſi iubeant, deſere ab eis ſtationem, deſeri excubias, & oſtij defenſionem: vt pateant portæ, vt liceat ingredi, vt libidinem liceat explere.

Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. In Hebræo textu eſt, *ſub vmbra tabulati, vel contignationis meæ*, & apud Septuaginta Interpretes *ſub tegmen trabium mearum.* Senſus idem eſt, nempe, ſicut tectum obumbrat eos, qui domi ſunt, & ab imbre atque æſtu eos tegit, ita peregrini recepti ſunt in Hoſpitis tutelam & fidem: & huius eſt, ab eis iniuriam omnem propulſare. Nec aliter id explicat, S. Ioan. Chryſoſt. *Quoniam, inquit, coegi eos, & induxi ſub tectum meum, vt ne mihi aſcribatur iniquitas, quæ eis contigerit, & ego eis auctor ſim contumeliæ.* Ibidem. Ne multis; ipſemet hoſpes, hoſpitibus ſuis domus eſt: decetque hos ab illo, non magis in ædibus materiatis, quàm in pectore, & animo excipi, & inter ſpatia charitatis contineri.

Ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. Refrigerare non potuit, hæc hoſpitalis vmbra, æſtum & ardorem vehementem luxuriæ, qui ciues illos immanes, tanquam tauros in furorem agebat. Tauros tamen vmbra fici arboris reddi mites, aiunt. Quos etiam, quamlibet feroces, vt ſcribit Plinius, caprificus, Lib. 23. c. 7. collo eorum circumdata, ita compeſcit, vt immobiles præſtet. Ficus peregrinis amicum olim ſymbolum dedit, & nota hoſpitalitatis fuit, ideoque quicumque peregrè ibant, ramalibus fici poſtes ædium coronabant, in ſignum bene auguratæ profectionis. Nimirum hoſpitalitas vmbraculum domicilij, & fructus charitatis dulces, aduenis ſemper benigna, præbet. Attamen iuſti

Loth

Loth hoſpitalis vmbra, & eius patrocinium, erga peregrinos eos cœleſtes, non ſatis erat, vt compeſceret iſtiuſmodi ta[illegible] inconuenientem.

Ælian. l. 1. de Animal. cap. 5. Plin. lib. 8. cap. 30.

Hyæna animal eſt, quod ſexum quotannis mutare, & alternare maris, ac fœminæ vices, ab Auctoribus nonnullis dicitur. Cum autem ſit fera, humanas voces callide adeò imitatur, vt paſtores ſæpè nominatim, ex caulis euocet, & incautos perimat. Sodomæ ciues Hyenæ ſimiles, & belluæ vtriuſque naturæ, vel vtriuſq; libidinis, in quibus nihil videbatur ſuperfuiſſe hominis, præter humanam vocem, pudicos Hoſpites ex Iuſti domo euocant. Reſpondet Loth, ingreſſos eos ſub vmbra culminis ſui. Sed vmbram Hyena nó metuit: imò potius vmbra ſua nocet, canibuſque latratum adimit. Sodomæ ciues pariter, tetra luxuriæ vmbra, Iuſti Loth cuſtodiam hoſpitibus inutilem reddiderunt. Ideò impar eorum furori eſt, & cùm prope eſſet, vt illi effringerent fores: Angeli, ſua vſi potentia, ei ſuppetias tulerunt.

Plin. ibidem

METAPHORA XLI.

Eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate. Gen. cap. 19. verſ. 11.

OCuli, qui primi peccauerant, iure ac meritò primi puniuntur: principium enim culpæ eſt in oculis, quam explet voluntas, quando quis ad concupiſcendum videt. Oculus in animali vltimus oritur, & primus moritur: & videri hoc poteſt, non prouidentiæ Dei modò, ſed etiam miſericordiæ conſilium, pro homine, quò ita nimirum, quia cor nouiſſime obit, etiam momenta vitæ vltima, idonea & vtilia homini ſunt, vt conuertatur ad Deum. Itaque oculi, quando deficiunt, prodromi ſunt obitus imminentis, dum ciues Sodomæ videmus fuiſſe ab Angelis percuſſos cæcitate, conijcere poſſumus etiam, imminere obitum eorum: ſed fore, vt cor eorum conuertatur, ſperare non poſſumus. Etenim in eis cordis cæcitas anteceſſerat cæcitatem oculorum, & ideò, dum hi deficiunt, admonere cor, vltimi momenti, vt reſipiſcat, nequiuerunt, quia cor cæcum iam erat, & cæcus cæco ducatum præſtare, vtiliter nó poteſt. *Quoniam mentis eorum oculus, inquit* S. Ioannes Chryſoſtomus, *excæcatus erat, propter hoc, & viſu priuati ſunt: vt diſcant, quod nihil ſibi proſint corporales oculi, ſi oculi mentis fuerint excæcati.*

In c. 19 Gẽ. Homil. 43.

Percuſſerunt eos cæcitate. S. Ambroſius, S. Ioannes Chryſoſtomus, & alij, eos viſu

viſu omninò priuatos fuiſſe, putant. S. Auguſtinus tamen notat, eſſe apud Septuaginta Interpretes Gręcè hoc vocabulum *ἀορασία*, *quod*, inquit ipſe, *magis ſignificat, ſi dici poteſt, auidentia, quæ faciat, non videri; non omnia. ſed quod non eſt opus.* *Quæſt. ſuper Geneſ. lib. 1. q 41.*
Itaque opinatur non fuiſſe ſublatum eis omnem videndi facultatem, ſed ademptam imaginem duntaxat oſtij Loth, ex oculis eorum, ſiue eius loco iniecta fuerit ſpecies parietis, & rei alterius, ſiue interfuſus aër, qui eſt natura ſua perſpicuus, redditus fuerit denſus, & opacus, ita vt ſpeciem oſtij tranſmittere non potuerit. Illos certè, vſu oculorum, priuatos penitus non fuiſſe, ex eo deducit S. Auguſtinus, quia nec quærere oſtium deinceps potuiſſent, ſi nihil omnino viderent, & ea calamitate turbati deſtitiſſent à nequitia. Ceterum *4. Reg. 6.* ſimili *ἀορασίᾳ* credit eos laboraſſe, qui Eliſæum quærebant, atque item diſcipulos duos, qui Chriſtum Dominum, euntes cum eo in Emaus, non cognouerunt. *Luc. 24.*

Percuſſerunt eos cæcitate, à minimo vſque ad maximum. Ciuitas cœcorum appellari Sodoma tunc potuit, multo æquius, quam Ceraſtis antiqua vrbs, quę cœcorum oppidum dicta eſt: propterea quod Conditores eius, locum eligere neſciuiſſent, ſeptem ſtadijs diſtante Bizantio, tanto feliciore omnibus modis ſede. *Plin. lib. 5. cap. 30.* Enimuero habitatores Sodomæ ſua non nouerunt bona, quippe abuſi felicitate regionis, quę irrigabatur, ſicut Paradiſus Dei, abuti etiam natura voluerunt cœci, & verè ciuitas cæcorum. Effectus luxuriæ cœcitas mentis eſt, quia Deum non videt, neque conſiderat, eum fore vindicem incontinentiæ. Contrà dicuntur, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* *Matth. 5. verſ. 8.*

METAPHORA XLII.

Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham, ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.

Gen. c. 19. v. 24.

QVIA iam vſtio parabatur, vt exemplo neceſſariæ ſeueritatis ſaltem poſteri ſanarentur, idcirco monent Angeli hoſpitem ſuum: vt ſibi, vxori, filiabus, & generis cito conſulat, atq; vt ineuitabile alijs, fugiat infortunium. Non poſſum hoc loco, quin vnà cũ Origene dicã; *Audite hæc, qui peregrinis clauditis domos, audite hæc, qui hoſpitem velut hoſtem vitatis. Loth in Sodomis habitabat: alia eius benè geſta non legimus. Hoſpitalitas in eo ſola, ex vſu veniens, memoratur, euadit ignes, euadit incendia, ob hoc ſolum, quod domum ſuam patefecit* *Homil 5. in 19. c. Gẽ.*

*hoſpitibus Hoſpitalem domum Angeli ingreſſi ſunt: clauſas hoſpitibus domos, ignis ingreſ-
ſus eſt.* Plato etiam ſapientiſſimè ait, vicìſci Deum præcipuè iniurias, quæ pe-
regrinis fiunt, & adfert rationem pulcherrimam, propter quam ij præ alijs
5. de legibus. Deo cordi eſſe videantur. *Ferme omnia,* inquit, *contra peregrinos peccata, præ illis,
quæ inter ciues committuntur, vltori Deo curæ ſunt. Nam cum peregrinus amicis cogna-
tisq́; careat, maiorem & apud Deum, & apud homines meretur miſericordiam.* Certè
videtur Deus, non prius induci potuiſſe, ad vindictam contra eum infamem
populum, tametſi inceſſarent ſe mutuo, quam vbi tentauerant Hoſpites An-
gelos violare. S. Auguſtinus, præterea tribuit meritis Abrahæ liberationem
Gen. c. 19. vers. 29. Loth, nam in Hiſtoria Sacra ſic habetur. *Cùm enim ſubuerteret Deus ciuitates Re-
gionis illius, recordatus eſt Abrahæ, & liberauit Loth, de ſubuerſione vrbium, in quibus
Quæſt. ſuper Gen. q. 45. habitauerat.* Tum verò ipſe, *commendat,* inquit, *Scriptura, meritis magis A-
brahæ liberatum eſſe Loth. Vt intelligamus iuſtum Loth dictum, ſecundùm quendam mo-
dum: maximè quod vnum verum Deum colebat, & propter comparationem ſcelerum So-
domorum: inter quos viuens ad vitam ſimilem, nō potuit inclinari.* Tanti refert, ſi quis
fuerit ex ſtirpe Deo amica, & ex cognatione Sancta. Loth igitur Angelorum
admonitu alloquutus eſt generos ſuos, aperuit eis conſilium Dei, & inſtare
vers. 14. ciuitatis vltimum exitium, aſſirmauit. Sed *viſus eſt eis, quaſi ludens loqui.* Obiter,
quomodo dicatur Loth habuiſſe generos, qui tamen paulò ante filias ſuas
dixerat, nondum cognouiſſe viros, explicatur in textu Sacro, vbi dicitur, *E-
Ibidem. greſſus eſt Loth, & locutus eſt ad Generos, qui accepturi erant filias eius:* necdum igi-
tur, virgines filiæ matrimonio fuerant copulatæ. Denique cum ijs, & cum v-
xore educitur Loth ab Angelis: & tunc *Dominus pluit ſuper Sodomam, & ſuper
Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Pluuia eſt propriè, exſtillans è nu-
bibus aqua, benefica vt plurimum, & quæ ad vbertatem irrorat agros. Iam
vt puniatur vitium contrà naturam, pluit contrà naturam ſulphure & igne,
quo ſubmerſæ fuerūt quatuor ciuitates Sodoma, Gomorrha, Adama, & Se-
boim, anno Mundi CIↃ.CIↃ.C.XXXVIII. quo eodē anno Sara nonagenaria,
ex Abraham centenario concepit Iſaac: quaſi ab enormi ſcelere debuerit
Mundus expiari, priuſquam naſceretur Puer, qui figura & imago erat Agni
Plin. lib. 35. cap. 15. immaculati, & iudicaturi aliquando ſæculum per ignem: Olim in Ethnico-
corum ritibus ſulphur vſui erat, ad expiandas ſuffitu domos. Vtinam ſulphur
harum ciuitatum, ſeu ſcelerum earum vindex, ſatis Mundi hanc magnam do-
mum expiauerit. Segor, quinta ciuitas Pentapolis, incendium euaſit, quia pro
ea Loth iuſtus Angelis ſupplex fuit: & exauditus eſt in præmium hoſpitalita-
tis. Alias quatuor ciuitates, fatiſcente ſolo per terræmotum, hauſtas eſſe: poſt-
quam conflagrauerant, perhibent multi, & in earum ſitu ſtagnare lacum, in
quo *ſuperiecta,* inquit Tacitus, *incertum vnde, vt ſolido, feruntur: periti, imperitiq́; nan-
di perinde attolluntur.* Refert etiam Ioſephus Hebræus Veſpaſianum (qui ve-

nerat illuc viſendi cauſa) iuſſiſſe quoſdam mergi, vinctis retrò brachijs, & omnes ex imo lacus reiectos fluitare supernè viſos eſſe. Aſphaltidis nomen eſt lacui, qui ſulphureus eſt, nec piſces vllos alit.

Dominus pluit ſulphur & ignem. Sanctus Gregorius, *ſulphur*, inquit, *quid aliud eſt, quam fomentum ignis, quod tamen ſic ignem nutrit, vt fœtorem grauiſſimum exhalet:* & deinde ait, in eo genere ſupplicii, notari à Deo maculam criminis, in quo vtique ſit ardor, & fœtor: quia fœtorem ſulphur habet, & ignis ardorem. Enimuero quæuis luxuria, ardor, & ignis eſt: ſed ea quæ tum puniebatur hoc habuit prætcrea, vt grauiſſimè oleret. S. Bernardus ait, flammam Gehennæ non ſuſtinuiſſe moras, ſed perueniſſe, vt de medio tolleret execrabilem nationem, *& ciuitates,* inquit, *ſpurcitiæ Sodomiticæ matres*, ſic enim eas appellat, & confirmat id quod inſinuaui alibi, nempè crimen hoc ante diluuium non fuiſſe, tametſi Abulenſis, ex S. Methodio Martyre id aſſeruerit. Imo Eucherius, & Strabus quærentes, cur Deus aquis tunc, & iam igne ſæuierit: reſpondet, libidinis peccatum cum fœminis, vti leuius, quia naturale eſt leuiori elemento, nempe aqua, ſed libidinis peccatum cum viris, vtpote contra naturam, & ideò grauius, acriori elemento, nempe igne puniri debuiſſe. Ibi à ſordibus aqua Deus terram abluit tantum, atque ideò rurſus floruit, ac ſegetes tulit. Iam verò ignis conflagratio attulit Pentapolis regioni æternam ſterilitatem: nec aliter debuit puniri ſterilis libido, quæ inimica generi humano, impediuit naturæ fœcunditatem. Quam fuerit verò tunc horribilis rerum facies, deſcribit eloquenter S. Ioannes Chryſoſtomus, præſertim illis verbis, *Fumigabat cœlum igniferum, fluebant ex aëre ſcintillæ, incendebant fulgura, quidquid tangebant, ſtrepebat fundamentum tactum, in carbones redigebantur tecta, ſcrutatio fiebat fundamentorum, fugientibus occurrebat ignis, latentium veſtigia inueſtigabat.*

Lib. 14. Moral. c. 10.

De conuer. ad Cleric. cap. 19.

Serm. de Adam, Sodomitis, Achab. & pœnitentia.

Dominus pluit ſulphur, & ignem à Domino de cælo. Vt ab hoc ſulphure & igne, feliciori Alchimiæ genere, nos aurum eruamus, agnoſcere debemus, in ijs Scripturæ Sacræ verbis, filij Æterni, à Patre æterno geniti, tamquam ſupremi Iudicis, poteſtatem. Ducem habemus ad veritatem hanc indagandam Sanctum Hilarium, qui, *rogo,* inquit, *quis eſt Deus hic, Sodomæ, & Gomorrhæ euerſor. pluit enim Dominus, à Domino, numquid non verus Dominus, à vero Domino? aut numquid aliud, quàm Dominus à Domino? vel quid, præter ſignificationem perſonæ, in Domino, ac Domino computabis?* Et paulò poſt, *tuo te impie teneo mendacio,* inquit, *nondũ ex Euangelijs Deum iudicem profero, lex mihi iudicem Deum locuta eſt. Aufer à filio, quod Iudex eſt, & auferes quod Deus verus eſt.* Sanctus Auguſtinus etiam idem agnoſcit, dum hæc habet, *Et pluit Dominus à Domino, qui ſcribebat dixit: vt Dominus eius à Domino eius, id eſt, Dominus noſter, à Domino noſtro, pluiſſe intelligatur, Filius à Patre.* Idem agnoſcit S. Ioannes Chryſoſtomus, qui vt æqualem Patri Filium

Lib. 5. de Trinitate.

Quæſt. ſuper Geneſ. quæſt. 59.

Serm. de Trinit.

lium credamus, notat non dici; *Dominus minor, à Domino magno*; *ſed Dominus à Domino*; Ita demum exponunt ſanctus Cyrillus, & alij, fatenturque hunc textum, eſſe vnum ex ijs in veteri Teſtamento, ex quibus deducitur Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Dominus enim à Domino, eſt Filius à Patre, non quocumque modo, ſed Filius Deus, à Patre item Deo. Sicut enim vterque in noſtra editione Dominus appellatur, ita in Hebræis codicibus vtrique tribuitur ex æquo nomen Tetragramaton, quod ſoli & vero Deo in Scriptura ſacra tribuitur.

METAPHORA XLIII.

Cuſtodiui te, ne peccares in me. Gen. cap. 20. verſ. 6.

MIgrabat Abraham ex conualle Mambre, in terram Geraræ, & Saram coniugem, rurſus appellari ſororem dum voluit, occaſionem dedit, vt Rex Geraræ Abimelech, illius nuptias optauerit. Quomodo tam elegans habita ſit fœmina nonagenaria, mirantur nonnulli: & Hugo ſancti Victoris credit, variato temporis ordine hanc Hiſtoriam referri, multoque ante id eueniſſe, cùm Sara iunior, & formoſior erat. Hebræi miraculo Dei adſcribunt, tantam etiam in ſenio pulchritudinem. Sed ad id exiſtimandum, nulla nos adigit neceſſitas: nam ætas mulierum illius æui erat annorum circiter CXXX. & Sara triennio minus vixit. Mulier itaque nonagenaria tunc erat, ſicut iam mulier quadragenaria, in qua ætate, quis neget inuenire poſſe mulierem decoram, cuius pulchritudinem poſſit aliquis deperire? Adhæc Sara diu continens, & caſta manſerat, ex quo tempore ſterilem ſe eſſe cognouerat, abſtinueratque à thoro maritali, & ideò dixit, *poſtquam ſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* intemperantia autem ſenectutem accelerat. Nullos item filios pepererat, nullos lactauerat, quæ duo, ſi crebro eueniant, aduentu ſuo, quia ſunt vteri fructus, excutiunt oris & formæ florem. Fortaſſe etiam Abimelech Saram, matronam magno natu, & ætatis conditione, venerandam optauit, ſeu familiæ regendæ cauſa, ſeu ſtudio affinitatis cum Abraham, qui fortis, & diues, & magnæ famæ vir erat.

Hæc diſponenti Regi Abimelech, Deus apparuit ſecundùm quietem, eique mortem interminatus eſt, propter deſideratas mulieris nuptias, quæ ſuum

ſuum iam virum habebat. Rex pauefactus, excuſata ignorantia, & ſimplicitate cordis, meruit clementiam, dixitque ad eum Deus: *& ego ſcio, quod ſimplici corde feceris, & ideò cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi, vt tangeres eam.* Regum eſt vetus ea conſuetudo, vt cuſtodes corporis, & ſatellites circa ſe habeant: ſed cuſtodes animæ, ô quàm rari Principes habent: & ô quàm pauci ſtudio exercendæ huius alterius cuſtodiæ, limen Regum terunt. Indigent ijs tamen Reges, & Principes, aduerſum adulationes, aduerſus dolos, & nequitias: deberetq́ue ipſis aſſiſtere veritas armata, & ſuo ſtipata ſatellitio: pietate nimirum, iuſtitia, clementia, honeſtate, & virtutibus alijs, quæ Regiæ planè ſunt, & Regiam rarò admodum nihilominus frequentant.

His cuſtodibus animæ carebat Rex Geraræ Abimelech, tametſi hæ, abſque ſtipendio mereant, atque eos, quos cuſtodiunt, gratis ſeruent, & tantùm non ſeruiant, cùm cœleſtes artes ſint, & nihil ſeruile moliantur. Verum cuſtodiam hanc, quæ illi deerat, ſuppleuit feliciſſimè Deus: ipſe enim; *Cuſtodiui te*, inquit, *vt non peccares in me.* Meruerat hanc tutelam Dei, ſimplicitas cordis, & munditia manuum eius, quia minime nuptam crediderat eam, cuius nuptias optauerat. Tantam verò innocentiam diſcant, vel ab Ethnico Rege, Principes & Reges, qui in vera luce fidei & Religionis geniti, atque inſtituti ſunt, ac illuſtres filij Eccleſiæ nominantur.

S. Ioannes Chryſoſtomus, de eo quòd additur; *vt non peccares in me. Maxima*, inquit, *Domini eſt miſericordia. In me, inquit, rediturum eſt peccatum, nam ſicut in hominibus, quando quis aliquem, in multo honore apud Dominum ſuum, iniuria quadam afficit, ſibi iniuriam factam putat Dominus, & dicit: mihi iniuriam feciſti per ea, quibus à te ſeruus iniuria eſt affectus: ea enim quæ in illum committuntur, in me tranſeunt. Eodem modo, & bonus Dominus, cohibui te, inquit; vt ne peccares in me: mei, inquit, famuli ſunt, & adeò mihi commendati, vt mihi fieri exiſtimem: quæcumque illis fiunt, ſiue bona ſint, ſiue non bona.* Sic ipſe, nec habet *cuſtodiui te*, ſed *cohibui te*, quaſi habenis validis coercuerit voluptatem eius: & conſonat, cum verbis alijs, *non dimiſi, vt tangeres eam.* Rex cohibet populos, & Deus cohibet Regem: nec eſſe ſine frœno aliquo Rex debet. Interim obiter tutela, quam habuit Deus piorum coniugum Abrahæ ac Saræ, ſolatio eſſe poteſt ijs, qui mutuam fidem in coniugio ſeruare illibatam ſatagunt. *Cognoſcimus*, inquit Diuus Ambroſius, *velut Præſulem, cuſtodemq́; coniugij, eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Et ſi quis fecerit peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam ſoluat.*

In c. 20 Gen. hom. 45.

Lib. 1. de Abrah. Patr. cap. 7.

Cuſtodi te, vt non peccares in me. Dixi, cuſtodibus animæ Reges, & Principes in aula egere, & virtutes Regias, pro ea cuſtodia deſignaui. Non ideas virtutum loquor, ſed viros ijs virtutibus claros, quibus adulatio, peſtis Aulæ, ægrè locũ apud eos cedit. Olim primogeniti Regum Perſarum, qui ſucceſſores in monarchia deſtinabantur, poſtquam infantiam, & fere pueritiam exegerant,

ſub educatione virili, [illegible] quos appellabant Regios pædagogos. [illegible] ex omnibus Perſis, ea ætate, electi, præcipuiq́; quatuor, ſapien[illegible] atque fortiſſimus aliquis vir: quorum primus magicam Zoroaſtri, Oro[illegible] docet: eſt autem illa Deorum cultus, atque eidem tradit inſtituta regia. Secundus admonet, vt in omni vita ſit verax. Tertius, ne vlla cupiditate ſuperetur, vt liber viuere conſueſcat, & reuera Rex, imperans iis ante omnia, quæ in ipſo ſunt, nec vlli ſeruiens. Quartus denique impauidum illum, atque intrepidum reddit: ne quando quidpiam metuens, ſeruus fiat. Hoc autem enimuero idem erat, atque eorum filios à virtutibus, Sapientia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudine Reges initiari: nec ego diſſimiles cuſtodes Regibus, atque Principibus aſciſcendos in aulam eſſe, perſuadeo. Ceterum, ni a niſi Dominus, etiam ipſe ſit cuſtos: Fruſtra vigilet, qui umque vel iis virtutibus egregiè imbutus, cuſtodiat eos. Reges & Principes in ſinum Dei paternis, & in tutelam eius prouidentiæ crebro ſe conferant. Faciant votis erga Deum verum, quod Domitianus Cæſar Templo, & ſimulacro erga Iouem egit. Is enim Ioui cuſtodi ædem magnam dicauit, ſeque in ſinu Dei ſacrauit, propterea quod, in ſeditione Vitelliana, ſeruatum ſe Iouis patrocinio, exiſtimauit.

In Alcibiade 1.

Suetonius in Domitiano.

METAPHORA XLIV.

Hoc erit tibi, in velamen oculorum. Gen. c. 20. verſ. 16.

QVoniam dixerat Deus Regi Abimelech, cum præclaro de Abraham elogio; *Redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt, & viues*: ideò Abimelech Rex accerſiuit ad ſe Abraham, & excuſans, quòd ignarus iniuriam thori eius meditatus fuerit, poteſtatem ei vltrò fecit, commorandi in terra Geraræ, ac munera etiam obtulit, oues, boues, ſeruos, ancillas, & argenteos mille. Tum Saræ dixit, *hoc erit tibi in velamen oculorum.* Transferunt Septuaginta Interpretes, *hoc erit tibi in pretium faciei tuæ:* Chaldæa Paraphraſis verò, *eſt illud tibi velamen honoris.*

In hoc textu verè eſt velum obſcuritatis: nam in eo explicando Auctores multa tentabundi, conijciunt verius, quàm ſecuri enuntiant. De oculorum velo reipſa, & propriè intelligi, ægrè adducor, vt credam. Tum quia non eſt adeò certum, illius æui mulieres, honeſtatis ergo, ſolitas obducere velo vultum ſuum: ſi enim ita erat, quomodo viſa ſtatim fuiſſet Saræ pulchritudo, & nuntia-

nunciatum de ea Regibus Ægypti,ac Geraræ? Tum verò, quia videtur pretium, nimirum excedens cōditionem vnius veli muliebris,dediſſe argenteos mille. Tametſi enim Abulenſis notet, id quod Hebraicè ſonat *velamen oculorum*;poſſe verti etiam, vt ſignificet *velamen colorum*, ex quo infert, fuiſſe velum pretioſum:nihilominus pro velo quamlibet pretioſo,mille argentei,hoc eſt,mille ſicli,ſeu mille argenti ſemiunciæ, æſtimatione illorum temporum, grande admodum pretium fuiſſet.Quod putem verum eſſe,licet non velum ſolius vultus emi debuiſſet, ſed theriſtrum, quale fuiſſe pallium Rebeccæ, vertunt Septuaginta Interpretes, quando texit ſe,antequam veniret ad conſpectum Iſaac. Quod theriſtrum S. Hieronymus ait,fuiſſe genus veſtimenti muliebris,quo fœminæ Arabiæ & Meſopotamiæ, etiam ſuo ipſius tempore amiciebantur,vel potius totæ operiebantur. *In cap. 20. Geneſ.*

Aliqui aiunt, decuiſſe regiam magnificentiam, multo plus offerre, quàm iuſti pretij modus exigeret. Afferunt verò in hanc rem, Reginas Luſitaniæ, aureorum quindecim millia,pro ſolis crepidis,annuè percepiſſe.Addam ego pro ſolis aciculis,Reginæ alicubi,quando nuptui datur,pendi ſupra ſexaginta aureorum millia:imò & olim,vt Plato refert,Reges Perſarum prouincias, & regiones fertiles, & ſatis magnas, ſingulis ornamentis Reginarum aſſignaſſe, & nomina eorum etiam illis impoſuiſſe, vt narrauerat, qui iter fecerat per locum,quem incolæ Zonam vxoris Regiæ appellabant. Sed cùm hæc ita ſint, quis in hæc exempla magnifica Regum maximorum, vocare velit Abimelech,Regulum vnius Regionis perangustę,nempe Geraræ? *In Alcibiade 1.*

Propter has rationes, & multo magis, quia id quod ſubiūxit Abimelech Rex, videlicet,*quocumque perrexeris,memento te deprehenſam*,(hoc eſt,agnitam vxorem Abrahæ, cuius te ſororem ſimulaueras) velo oculorum in ſignificatione propria minus congrueret. Exiſtimem veroſimilius,hoc velamine oculorum Saræ, ſignificari defenſionem honoris, & patrocinium pudoris eius. Quippe in oculis pudor eſt,& ſententia horum verborum eſſe poſſet; Dedi Abrahæ fratri,& viro tuo oues,boues,ſeruos,ancillas,& nummos argenteos mille: idque eo conſilio egi,vt qui hæc munera conſiderauerint, intelligant penes me,atque in Regia mea,te illibata pudicitia manſiſſe. Neque enim dimiſi te,vti muliercularn aliquam,qua ego fuerim abuſus: ſed vti matronam, & hoſpitam honeſtam,quod etiam volui,iſta hęc magna munera mea palàm omnibus teſtificari.Itaque non erit,cur erubeſcere debeant oculi tui: nam eis,inſtar velaminis,erunt munera mea.Sed enim,etſi nihil contigerit hac vice,ex quo te oporteat verecundari:moneo,ne iactes iterum alibi, te Abrahæ ſororem eſſe, cùm deprehenſa ſis vxor eius:nam occaſio alijs denuo eſſes adulterij.

METAPHORA XLV.

Viſitauit Dominus Saram; & impleuit quæ locutus eſt. Gen.cap. 21.verſ.1.

VIſitare Deus hominem dicitur quoties declarat effectis magnis,potentiam ſuam,& quodammodo præſentiam,operamque teſtatur: præſertim dum ea eueniunt,quæ ſupra ætatem,ſupra vires,ordinemque naturæ, aut aliter inuſitata,& ſingularia conſentur. S. Thomas reuocat ad tria rerum capita viſitationes Dei, de quibus meminit interdum Scriptura ſacra. Modò enim viſitare nos, & res humanas dicitur Deus,cùm homines impios damnat, modò cum alios corripit ad ſalutem, modò cum gratijs,& beneficijs quempiam ſolatur. Interim conſonant,ſicut vox,& vocis Echo,hę duæ locutiones, *Viſitauit Dominus Saram*,nempe vt oriatur Iſaac; *& viſitauit nos Oriens ex alto*; nempe Oriens Ieſus, quem Iſaac figurauit. Sara verò viſitari à Deo meritò perhibetur,quandoquidem effecit Deus,vt ex viro centenario, ipſa vxor nonagenaria conciperet filium tantæ ſpei, quantæ fuit Iſaac,verè parentum riſus,& lætitia nepotum,ac totius ſanctę poſteritatis eorum.

Luc.cap 1. verſ.78.

Serm.68. & 73.

Miraculum huius viſitationis, non vno in loco S Auguſtinus, cum hilari facundia, ſub oculos ponit, dum fœminam illam concipere ait,cuius totum corpus ſulcabatur in rugas,in qua frons perarata, triſtis ſenectus, venæ marceſcentes, & inanes, emortua viſcera, fide operante, ſunt ad partum vſque, inquilinis caloribus animata,quam fecit diuina promiſſio matrem,cùm Auia videretur ætate, in qua marcidę mammæ fontibus lactis manarunt,vt quem tumeſcente vtero, ac ſinu rediuiuo pepererat, eum ſuis papillis, ac pectoris rore niueo nutriret,& in ſpem ſtirpis ſidereæ lactaret.

Cardinalis Caietanus etiam fauere videtur huic ætati vtriuſque parentis: ſed Abrahæ præſertim,adeò grandæuæ, & cum dicat, in Hebræo textu legi; *concepit, & peperit Sara Abrahæ filium ſenectutibus eius*; in eo numero ſenectutum ait, exprimi ſenilis ætatis multitudinem, quæ ſoleat diſtingui in primum ſenium,in ſenectutem propriam ſeu mediam,& in ſenium extremum.

Verùm quia Sara hoc eodem anno concepit, quo placuit Abimelech Regi,non eſt exiſtimandum, anilem vultum, & in vultu aniles rugas eam habuiſſe,

buiſſe,fuiſſeque in ſtatu aridæ ſenectutis.Dixit quidem ipſa de ſe, conſenui: ſed perinde loqueretur ex honeſtate matrona quadragenaria (cui comparauimus alibi Saram nonagenariam) ſi quis ei, aut innuptæ vellet nuptias perſuadere; aut nuptæ,ſed diu ſterili, & thori vſum ideo recuſanti, vellet perſuaſionem facere; vt rurſus, ſpe ſuſcipiendæ prolis,voluptati operam daret.

Quare potius hæc Dei viſitatio fundatur in eo; quod ſuſtulerit impedimentum ſterilitatis, & quod Saræ dederit ſobolem,quando ea non amplius videbatur obſequi voluptati: vt Iſaac hoc pacto eſſet purior,& caſtior figura illius;cuius genitrix ſine tactu pudoris,inuenta eſt mater Saluatoris.Hoc agnouit S.Auguſtinus;qui de Sara;*valde conueniebat*,inquit,*vt quoniam filius,quem parturiebat, ipſam figuram Chriſti, qui ex ſola virgine ſine aliqua humanæ voluptatis cupiditate naſceretur,pertulit;illum non ætate, qua ſolent fœminæ parere; ideſt,à duodecimo anno, vſque ad quadrageſimum nonum annum, ſed contra illius conſuetudinis metas parturiret:vt ſcilicet ille infans, non ſolum vltra quinquageſimum annum,deſinente ſcilicet partus officio; ſed etiam nonageſimo anno naſceretur, deſinente voluptatis deſiderio.* *lib. de mirabil ſcrip. ſac. cap. 12.* Deinde ſubdit, quale hoc cenſere miraculum oporteat; dum *hoc*, inquit, *quamuis contra conſuetudinem; non tamen aduerſus naturam factum eſt. Quoniam etſi contra conſuetudinem eſt, vt pariat anus: aduerſus tamen naturam non eſt; vt in vtero fœminali naſcatur quandoq; filius.* *Ibidem*

Sed vt dixi,magis miraculum fuit, ex ſterili matre, quam ex matre, non adeò ſene, fructum vteri haberi; & gaudium quoddam orationis videri debet;cum dicuntur hi duo Coniuges,effœti,flore fœcunditatis exhilarari;agitare cunas, & vagienti paruulo interdum blandiri vultu feſtiuo; interdum neniolis, & canticis lætis,ac pijs ſomnulum conciliare. Etſi verum cæteroqui eſt,naturam eorum tunc inclinatam, & æui tinea detritam aliquantulum fuiſſe.Obiter S.Ambroſius,dum conſiderat, ab ipſâmet Sarâ,& non à nutrice lac Iſaac ſuxiſſe.*Prouocantur*(inquit)*fœminæ,meminiſſe dignitatis ſuæ,& lactare filios ſuos.Hæc enim matris gratia,hic honos,quo ſe proprijs commendant viris. Denique eos plus amare filios ſolent; quos ipſæ matres lactauerint vberibus ſuis.* *li. 1. de Abr. Patriar. c. 7.* Et profecto matres quæ hoc agunt,non videntur perfectè vti beneficio Dei, qui in vſum nutriendæ prolis eius,eis lactis fontes,non ſanè fruſtra,ex pectore voluit ſcaturire.

METAPHORA XLVI.

Tentauit Deus Abraham. Geneſ.c.22.v.1.

AGit iam ſcriptura ſacra, de magno illo obedientiæ, ac fideĩ experimento; in quo iuſſus fuit Abraham immolare Iſaac, filium ſuum. Contigit hoc anno mundi CIↃ. CIↃ. CLXIII. prima die VII. menſis, hoc eſt XXI. die Septẽbris in Aequinoctio Autumnali; exſerto enim gladio Abraham, tunc attonita natura, & plaudente Deo ſtetit ſupra ceruicem filij ſui. Qua die Moyſes ideo inſtituit anniuerſariam celebritatem tubarum; & tubæ erant corneæ propter memoriam Iſaac, liberati oblatione arietis; quem Abraham eius loco ſacrificauit. Iſaac erat annorum. XXV. in ætatis robore, ac flore: Abraham vero annorum erat CXX. Mittitur itaque Abraham in terram viſionis, in Hebræo eſt *Moria*; mons ille videlicet, vbi templum poſtea conditum fuit, in area Ornæ Iebuſæi; qui locus etiam illuminans, lucens, ac lucidus dictus eſt: *quia ibi*, inquit S. Hieronymus, דביר *dabir, hoc eſt oraculum Dei, & lex ac ſpiritus ſanctus, qui docet homines veritatem, & inſpirat Prophetas*. Hic mons tamen, in plura iuga, interiectis vallibus diſtribuebatur, & eorum ſingula nomen diſtinctum habebant. Ad meridiem erat Syon, ad occaſum Golgotha, ad boream Acra, ad ortum Moria, quæ erat etiam appellatio communis totius montis. Hic verò templum fuit, ſitu præ alijs excelſo, & prominenti, in vrbe Ieroſolyma; quæ cæteroqui erat pars altiſſima Palæſtinæ; adeo vt vndique ad eam aſcenderetur. Notat præterea S. Hieronymus, ex Geraris ad Moriam, intercedere iter trium dierum; & Abraham triduo huc perueniſſe, quia hoc tempore in Geraris habitabat, non autem in conualle mambre, vnde nec iter vnius diei eſt, verſus Ieroſolymam.

Paralip. l. 1. cap 21.

In quæſt. Hebraicis. ſuper Geneſ.

Tentauit Deus Abraham, multa SS. Patres conſiderant, quæ tormentum pectoris maius Abrahæ dederunt, in hac tentatione diuina. Textus ita incipit. *Quæ poſtquam geſta ſunt, tentauit Deus Abraham.* Id ita explicat S. Chryſoſtomus, *poſtquam præ oculis videbat ſucceſſurum hæredem, magnamq́; inde voluptatem percipiens, impauide & ſecure ageret Patriarcha, poſt tot promiſſiones, & hanc quoque, quæ recens facta, & cuius memoria adhuc in auribus illius ſonabat: cum iam adoleſceret*

In c. 22. Geneſ. Homil. 47.

Iſaac,

Iſaac,& in ipſo ætatis flore eſſet,creſceretq; patris erga illum dilectio: Poſt verba promiſſionu,& poſtquam dixit, in illo vocabitur tibi ſemen, & ille erit ſucceſſor tuus: poſtquam ergo hæc geſta ſunt,tentauit Deus Abraham. Dicitur autem illi, *Tolle Filium tuum vnigenitum,quem diligis Iſaac,& vade in terram viſionu,atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Non ſuffecerat*, inquit Origines, *dixiſſe filium,ſed adijcitur,& chariſſimum. Eſto:& hoc quid adhuc additur, & quem diligis?Sed vide tentationis pondus,charis & dulcibus appellationibus iterum,ac ſæpe repetitis,paterni ſuſcitantur affectus, vt amoris euigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduerſus fidem animi,tota carnis militia repugnaret.* *In c. 22. Geneſ. Homil. 6.*

Ponderat deinde ipſum nomen Iſaac, quod eſt vocabulum riſus & gaudij,atque adeo viam trium dierum, vt acerbius & diutius cruciaretur. Item quàm diuerſa Deus tum petijt ab ijs,quæ promiſerat: *& ea quomodo implebuntur,*inquit S. Ioannes Chryſoſtomus; *quo pacto enim fieri poteſt, vt radice exſecta, rami pullulent,vel ſucciſa arbore fructus prouenıant,vel fonte areſacto, fluuij reddantur?* miratur etiam idem Sanctus,quomodo manus eius ferre potuerit gladium & ignem. *Manus quidem,inquit,ferebat ignem,qui ſenſibilis erat, intus autem accendebat ipſius mentem,& rationem abſumebat,& perſuadebat, vt vinceret amor in Deum,facie-batque cogitare,quod is, qui dederat ſupra humanam naturam factum eſſe patrem,iterum poſſet,& nunc,quæ humanam tranſgrediuntur rationem,operari.Ceterum vide obſecro,præterea,ante ſenſibilem ignem,incendium internum, quod paulatim exardeſcebat,& iuſti mentem concremabat.*ſic ipſe. Ibat itaque Abraham,pater excelſus,cum tam copioſo viatico iuſtiſſimi mœroris. Ibat ſacerdos magnus, cruorem proprium,& propria viſcera in victima,hoc eſt in filio,effuſurus, & in eo immolaturus,ſpes omnes cœleſtium promiſſionum,cum interim ſtellæ contremiſcerent,& propè metuerent defectum ſtirpis, quam Deus futuram ipſis numeroſiorem antea prædixerat. Demum Deus obedientiæ, ac fidei miraculo lætus, aliam hoſtiam ſacrificio filij ſubrogauit, atque hoc fuit Abraham à Deo tentari:ideſt ſpecie tentantis exigi victimam filij. Vt enim loquitur Cardinalis Caietanus, tentare non conuenit Deo propriè, quia eſt actio neſcientis, ſed metaphoricè.*Tentabat Deus Abraham,*inquit S.Ioannes Chryſoſtomus:*quid ergo,ignorabat Deus,quia fortis erat ille vir,& animo generoſo? quare ergo tentabat,non vt ipſe cognoſceret:ſed vt alijs demonſtraret,& manifeſtam eius fortitudinem conſtitueret vniuerſis.*S.Auguſtinus etiam notat, locutionem ſcripturæ ſacræ eſſe,vt tentare ſæpenumero fit idem, ac probare,& idem ac manifeſtum nobis reddere id,quod ipſi eſt plane perſpectum:& ita illud Deuteronomij, *tentat vos Dominus Deus veſter,vt ſciat ſi diligatis eum.* ſic exponit, ac ſi diceretur, vt ſcire vos faciat.

eadem Homil. 47. *Ibidem.* *Homil. 25. in c. 11. Epiſ. ad Heb.* *Quæſt. ſuper Gene. q. 5.* *c. 13. v. 3.*

Alioqui & ſi frequenter dicitur etiam Diabolus nos tentare,longe alius ſenſus eſt,quia,vt loquitur ſanctus Ambroſius, *Diabolus tentat, vt ſubruat, Deus* *l. de Abr. Patr. ca. 8.*

tentat, vt coronet S. Auguſtinus, *illa tentatione*, inquit, *qua quiſque decipitur, & ſedu-*
ſerm 9 de diuerſ. c 9 *citur, neminem tentat Deus, ſed planè iudicio ſuo alto, & occulto quoſdam deſerit. Cum illa deſeruerit, inuenit, quid faciat Tentator. Non enim inuenit aduerſum ſe luctatorem, ſed continuo illi ſe exhibet poſſeſſorem, ſi deſerat Deus.* Hoc pacto autem S. Iacobus,
Epiſtol Catholica. c. 1. v. 13. *Deus*, inquit, *intentator malorum eſt.*

l. de Abr. Patriar c. 8 S. Ambroſius præterea exiſtimat eſſe diſcrimen, inter hæc duo. Deus probat nos, & Deus tentat nos, iuxta illud Dauidis, *Proba me Deus, & tenta me.* Ait
pſa. 25. v. 2. vero, Abraham à Deo probatum fuiſſe prius, ac deinde tentatum, *ne*, inquit, *ſi ante tentaret, quam probaſſet, grauaret.* Enumerat item plurima, in quibus ſumpſerat periculum virtutis eius, antequam poſtularet rem adeo Heroicam, nempe filij ſacrificium, vt cum iuſſus exierat de terra Haram: cum poſt debellatos Reges raptores, & Loth ab eis receptum, ſe auaritia prædæ minimè polluerat: cum crediderat de ſe viro centenario, fore vt eſſet pater,
Ibidem. ex coniuge nonagenaria. *Probatum igitur*, inquit ipſe, *quaſi fortiorem, tentandum putauit maioribus, & quibuſdam imperijs durioribus.* Facit ad rem hanc id quod Se-
lib. de prouidentia. neca, propemodum Chriſtiano ſpiritu, aliquando dixit, nempè; *Quid mirum, ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum eſt.* Quin imo idem Philoſophus, oſtendens Deum erga viros probos, Patri, quam Ma-
Ibidem. tri, ſimiliorem eſſe. *Matres*, inquit, *fouere in ſinu, continere in vmbra liberos volunt, nunquam flere, nunquam triſtari, nunquam laborare. Patrium habet Deus, aduerſus bonos animum, & illos fortiter amat*, ideſt, vult ſubinde fortia pati, nec diligit tam generoſus pater ſobolem delicatam. Hæc tentatio itaque, quam probatio varia præceſſerat, Abraham, vti Heroem à Deo electum fuiſſe oſtendit, qui auderet, & poſſet in vno filij ſui holocauſto, ſpes ingentes, & tot ſyngraphas promiſſionum maximarum inuoluere ac immolare, quibus ei toties Deus
Carolo V. obligauerat fidem ſuam: Imperatori magno, vir cui ille grandem æris mutui ſummam debebat, ſchedulam rationum, vt debitum extingueretur, ſic exhibuiſſe fertur: foco eam iniecit, & tum acceſſit Imperator, atque affirmauit, nunquam aliàs ſe ſolitum vtilius, & gratius ad ignem calefieri. Deus, ad ignem holocauſti, in quod Abraham coniecerat ſpes, & rationes omnes ſuas,
v. 16. ita incaluit, vt propterea mox dixerit ei, *quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli.*

Interim hac imagine rerum, & in eodem quaſi theatro Montis Moria, præluſit Deus, ſacrificio cruento filii ſui æterni, & vnigeniti, qui immolatus ibidem fuit, pro ſalute mundi. Porro in ea re Deus Abrahæ nihil præcepit quod

quòd non fuerit maximè honeſtum. Naſcimur enim omnes filij iræ, ac in Dei Tribunali ſumus omnes capitis Rei. Cum itaque ſententia ſit lata, & ſit ſtatutum omnibus hominibus ſemel mori, potuit Deus velle vti, hoc iure ſuo, circa Iſaac, & potuit Abraham parentem eius aſſumere, quaſi miniſtrum, qui ſententiam exequeretur. Imo etiamſi Rei nos minime naſceremur, adhuc Deus, qui altum, & ſupremum erga nos dominium habet, poſſet pro libitu nos morti deſtinare, ſicut figulus pro libitu poreſt vas deſtruere, quod formauit. Abraham verò ſi ſponte, & non iuſſus à Deo, filium voluiſſet immolare, fuiſſet parricida. Vt enim loquitur S. Auguſtinus: *Pater illius erat, ſecundum operationem carnis, non autem creator & conditor ſecundum operationem maieſtatis*, & ideo ſolum vbi hæc Maieſtas imperauit, Abraham potuit velle, filio vitam adimere, neque ſe ad parricidium accinxit, ſed ad ſacrificium. *Serm. 71. de Temp.*

Inſignis hæc obedientia, quam omnis ætas mirabitur, viſa eſt aliquando rurſus in ſcenam dari: cum Abbas Murius, iuſſus à ſeniore, filium deturbare in profluentem amnem, obtemperauit, & plauſum habuit, etiam à Deo, qui eidem ſeniori ſecundum quietem, viſus adeſſe, faſſus eſt, Abrahæ Patriarchæ opus, obedientia tam egregia, illum expleuiſſe. De his Heroibus, illud Senecæ adſcribam hoc loco, inſtar Elogij. *Dicant, quicunque videntur pati timidis, ignauisq. flebilia: digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati.* Cæteri, qui non adeo fortunati ſunt, vt ad virtutis tale ſpecimen, tamque arduum opus niti poſſint, ſaltem diſcant ex Tertulliani admonitu, pignora à parentibus habenda non eſſe, Deo chariora. *Caſſia in Inſtit. lib. 4. c. 24. & 28.* *Lib. de prouiden.*

METAPHORA XLVII.

Princeps Dei es apud nos.
Geneſ.c.23.v.6.

EXceſſerat è viuis Sara in Ciuitate Arbeæ,quæ eſt Hebron,
& tum funere eius procurato, locum ſepulchri pro ea emit
Abraham à filijs Heth. Mirum ſanè videtur, Virum adeo
illuſtrem,& cum familia copioſa, necdum vlla terræ iuge-
ra,vel in ſepulturæ vſum tam neceſſarium, habuiſſe. *Habe-*
In c.23.Geneſ. Homil. 48. *bat*,inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *Sufficientes diuitias*
mentis, & de alijs non erat anxius. Hethæi quos pridem cœperat veneratio viri,
conceſsêre quod petebatur, & Abraham ſepeliuit Saram, dulciſſimam con-
iugem,ſanctiſſimamque matronam, in ſpelunca, quæ reſpiciebat Mambre:
non ea res caret myſterio, hæc enim eſt ſepultura ſanctorum, quæ nimi-
rum eo reſpiciat,eo tendat, vbi videatur Deus.Sicut in conualle Mambre A-
braham, tres aliquando viderat & vnum adorauerat. Ab Ephron ager gra-
tis offerebatur,pretium tamen erogare maluit Abraham,nempe cccc.ſiclos
argenti.Sanctus Hieronymus verò conſiderat, mutari in hebræo textu no-
In quaeſt. Hebraic. in Geneſ. men eius,& ſic haberi. *Audiuit Abraham Ephron*, & appendit Abrah*m E-
phron argentum,quod locutus eſt,in auribus filiorum Heth, *ſignificante ſcrip-*
tura,inquit,*non eum fuiſſe conſummatæ,perfectæque virtutis,qui potuerit memorias ven-*
*dere mortuorum.*Poſtea ſubdit hoc documentum, *Sciant igitur,qui ſepulchra ven-*
Ibidem *ditant,& non coguntur,vt accipiant pretium,ſed à nolentibus quoque extorquent,immu-*
tari nomen ſuum, & perire quid de merito eorum: cum etiam ille reprehendatur oc-
cultè, qui inuitus acceperit. Atque hoc transferri poteſt, ad obſequia omnia,
quæ exhibentur funeri,ac ſepulturæ mortuorum: plus enim habent claritatis
& meriti,ſi gratis, & non ſpe vlla mercedis, aut lucri, ea exerceantur: ſicut
more factum eſt,& cum laude à ſeniore Tobia.

*Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris, ſepeli mortuum tuum.*Ita viri Hethæi allocuti ſunt Abraham,atque vſi ſunt appellatione Principis Dei.Sic enim olim Hebræi nuncupabant omnia, quæ præter ſolitum excellerent,& plus habere in ſe viderentur perfectionis diuinæ. *Fulgebat in Abraham*, inquit Cardinalis Caietanus,*tanta iuſtitia diuina,vt vices ſummi iudicis Dei videretur ibidem gerere.* Multi,quia copia rerum,& gloria,& dignitate,& authoritate præſtant,ſalutantur Principes, ſed cum ea appendice glorioſa, Principes Dei,

quàm

quam tari nũcupantur? Lapis Lydius ad explorandos eos Principes, verè aureos, pietas eſt, cuius duæ ſunt laudes, *rectus de Deo ſenſus*, *rectus in Deum cultus.* vtramque habuit perfectè Abraham, Princeps Dei. Etenim ne in myſterio quidem arcano, difficillimo, & inenarrabili errauit, tres enim vidit, & vnum adorauit. itaque fuit in eo rectus de Deo ſenſus. Rectum cultum erga Deum, quis putet defuiſſe Abraham, qui etiam oblato ſacrificio, filij ſui vnigeniti, Deum colere diſpoſuerat? Hæc audiant Principes, inſtruantur, imitentur.

Iuſt. Lipſ. li. 1. Polit. c. 2.

Princeps Dei es apud nos. S. Ioannes Chryſoſtomus, Gloſſa Græca, S. Hieronymus, & alij habent etiam; *Rex à Deo es tu in nobis*: tantæ dignationis vir Abraham fuit, vt à filijs Heth nominetur Rex, & Rex quidem ſupremus, Rex à Deo: ſicut Reges magni, qui repetunt à Deo, & à ſole ſuam regiam poteſtatem. S. Hieronymus tamen notat, pro Rege in Hebræo haberi נשיא naſi, hoc eſt Ducem: Vtrimque congruit Abrahæ, & cuiuis homini iuſto, qui Rex Dei eſt: Nam Deus eſt ſors, poſſeſſio, & regnum iuſti; & ad Deum poſſidendum ij vocabuntur, quibus dicetur: *venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum: quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.* Sed eſt præterea Dux Dei: quia vir iuſtus Deum propitium ſecum ducit ad omnes, qui ſint amici, & confœderati eius. Hoc certè induxit Regem Geraræ Abimelech, vt cum eo iniret fœdus. *Deus*, inquit, *tecum eſt in vniuerſis, quæ agis: iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & poſteris meis.* Quaſi diceret, Dux Dei es, Deum ducis tecum, ſeu propitium, ſeu iratum, vt tu ipſe propitius fueris, vel iratus erga eos, ad quos proficiſceris. Sed & commodum ſimile ſperantes Hethæi ab Abraham, Dei Duce, annuerunt ſtatim poſtulationi eius, vt Deum cum ipſo propitium haberent.

In quæſt. Hebraicis in Geneſ.

Matt. c. 25. v. 34.

Geneſ. c. 21. verſ. 22.

Princeps Dei es tu apud nos. Paulò aliter habet Chaldæa Paraphraſis, nempe *Princeps coram Deo tu es apud nos*: id eſt, Princeps æſtimatione Dei, & non ſola æſtimatione hominum tu es apud nos. Et vtinam ij, qui ſunt Principes in apparatu fortunæ magnæ apud homines, ſint etiam Principes apud Deum, & coram Deo, in omni apparatu virtutum, quæ ſolæ & magnos, & Principes nos faciunt coram Deo. Certè S. Franciſcus pauper, & humilis, Princeps coram Deo fuit, induitque ideo ſchema illud principale; vt dicere cum Apoſtolo potuerit. *Ego ſtigmata Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* omnes verò alios, qui tunc viuebant Principes mundi, longè coram Deo ſuperauit. Vel etiam Princeps coram Deo dictus eſt Abraham, quia in eo videbatur præcipuus & eximius, quod exiſtimaret, ſe viuere ſemper in oculis, & in conſpectu Dei. Enimuerò hæc præſentia Dei, ſola eſt, quæ altæ prouidentiæ Principes facit, & tales Iudices, ac Præſides populorũ, quos non facilè ſit à recti vnquã ſemita deuiare. Hoc debere inprimis cordi eſſe Principibus, etiam Ethnici exemplis plurimis docuerunt. Athenis in Curia quingentorum, qui ſummæ rei præerant, ſtatuâ viſebatur Iouis Conſiliarij, quia inſpectorem Deum ſemper Principes,

Ad Gala. c. 6. verſ. 17.

Pauſan. in Atticis p. 3.

8. de legib. pes,& Iudices & præſides populi habere ſe,opinari deberent. Plato præcepit,vt templa circa vrbium fora extruerentur, & iuxta hæc eſſent magiſtratuum Curiæ,ac Iudicum palatia;*in quibus*,inquit ipſe,*quaſi ſacratiſſimis, iuſtiam & accipient, & ferent ſententiam:partim quidem tanquam de rebus ſacris, iudicaturi, partim verò tanquam iudicantium Deorum vbi ſint delubra*.Sic ipſe.In delubris verò maxime præſentes Dei eſſe credebantur.

Philoſtrat. l 1 c.18. Adhæc aula fori Babylonici erat è Sapphyris,quæ gemmæ ſunt cœleſtis coloris,inſtructa;in eaque aureæ Deorum effigies (quaſi ex æthere prodirent)prominebant;non aliter,ac ſi ſpectarent,quid ibi principes, quid Iudices populi,quid Magiſtratus decernerent.Sed eſt obiter notandum, ex eiuſdem aulæ concameratione Illices auiculas quatuor aureas pependiſſe, quæ Adraſtēā vltionis Deā repræſentabant,atq; admonebant Regem Babylonię, ne ſupra Deum ſuperbiens efferret ſe.Eæ verò auiculæ vocabantur linguæ Deorum,in quo agnoſcere liceat præclarum monumentum ſuperbiæ domitæ & punitæ per linguarum confuſionem,cùm ea ciuitas,& turris Babel primum conderetur.

Sed quoad præſentiam Dei,vnum adhuc referā,quod narrant ij,qui Conſtantinopolim,& Curiam ac tribunalia eius viderūt.In loco,vbi ſummi Pręſides prouinciarum ius dicunt,Podium,ſeu ſuggeſtum Tyrannus habet, ex quo paruis foraminibus ſpectare,& audire omnia poteſt:& per conclauia illuc ſecretò aduenit,ſecretò abit;ex eoque fit,vt Præſides,ſemper trepidi, ius adminiſtrent;perinde ac ſi ab eo aſpicerentur ſemper,à quo vtique ſemper aſpici poſſunt,ſic raram iniuriam Clientium,aut gratiam Reorum, credunt è ſubſellijs Iudicum prouenire.Certius multo exiſtimare poſſunt ij,qui orbi terrarum præſunt;ſe ſtare ſemper coram Deo,qui vtiq; non adeſſe poteſt duntaxat,ſpectator omnium:ſed abeſſe non poteſt,& quia vbique eſt,vbique omnia videt,hoc reputent animo Principes,& erunt etiam ipſi,Principes coram Deo.

METAPHORA XLVIII.

Ipſa eſt mulier, quam præparauit Dominus, filio Domini mei. Gen.cap.24.verſ.44.

MAtrimonium nullum adeò caſtis, & pulchris exemplis contractum fuit, atque hoc, cuius veluti Paranymphus Deus videtur fuiſſe, & ſponſam Iſaac præparaſſe, conſortem & ſociam ſimul, thori, virtutis, & felicitatis. Sollicitus de ijs nuptijs Abraham ſeniorem famulum vocauit, monuitque iret in delectum puellæ, quæ eiuſdem eſſet cognationis, & quæ coleret, & timeret Deum: cùm ſatis intelligeret, dotem vxoris præcipuam, eſſe religionem & ſanctitatem. Nulla fit mentio de oris ſuauitate, nulla de opum & fortunarum gloria: ſed ſola pietas deſideratur. Veriſſimè nimirum dixit Plato; ſuadens vt hæc perinde *In ciuili.*
primo loco quæratur ab omnibus, qui ad nuptias aſpirant: *vbi diuinum hoc vinculum conſtat, facilè eſt, & inuenire, & inuenta perficere vincula humana.* Fuit verò Abraham de hac re tam anxius, vt famulum prius ad iuramentum adegerit, atque huius iuramenti ritus fuit, vt famulus manum ſuam poneret ſub fœmore Abrahę: quod non fuit iurare in circumciſione, ſicut interpretantur Iudæi: ſed iurare in ſemine Abrahæ, ſeu in Chriſto, ex ſemine illius naſcituro, vti exponit S.Hieronymus. *In quæſt. Hebraic. ſuper Gen.*

Interim illud aduertere eſt, ſenem eſſe patrem, & ſenem eſſe famulum, qui ſunt in matrimonij huius procuratione. Diſcant qui credunt id negotij potius iuuenibus eſſe committendum, quos amor vehemens & libido, etſi honeſta, libido tamen, nihil patitur vltra voluptatem, in quæſita coniuge, admodum ſtudioſè metiri: ex qua ſæpè re, & ex quibus amoribus triſtes nuptiæ, ac flebiles domus redduntur. Prima mundi corruptio orta eſt, quia viderunt filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, & formam, non virtutem ac pietatem, in coniugio quæſiuerunt. *Gen. cap.6. verſ.2*

Famulus ſenior, aliter inſtructus ab Abraham, hero ſuo, venit ad cognatæ ſtirpis regionem, & captans momenta diei, opportuna delectui habendo, quando videlicet mulieres ad fontes hauriendos veniebãt, ibi manſit, Deum venerans: vt quam ſponſam deſtinaret Iſaac Iuueni hero ſuo, illam ipſe cœlitus permoueret, ad aquam ſibi, & camelis propinandam. Prodeunt mulieres, ſed emicat inter illas Rebecca, *puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro.* In hac vtique, ſponſo alicui iuueni ſumma votorum eſſet, quid enim *verſ.16.*

optaret aliud, præter iſtum oris, ætatis, & caſtitatis florem, quem libare, & carpere nemo adhuc meruerat? At ſenilis animus famuli ſectatur alia, vt ex-

verſ. 7. ploret, num eam oris elegantiam virtus comitetur; accedit propiùs, & *pauxillum aquæ*, inquit, *mihi ad bibendum præbe de hydria tua*. Illa non pulchrior, quàm benignior, annuit ſtatim: ſed & camelis etiam eam offert: ſic famuli votum

Comm. in Gen. c. 41. per omnia expleuit. de quo Rupertus Abbas; *veraciter*, inquit, *ſeniorem hunc ſupra nominauit Scriptura, nam quod ſeniore dignum fuit, nec ipſe petendæ puellæ iudicium ſuis commiſit oculis, qui ſolam faciem, non etiam mores, aut virtutem peruidere poſſent: ſed ſecundùm herilem fidem credens quod Domini ſui curam haberet Deus, totam in illo poſuit electionis ſpem.*

Quæ tamen fuerit virtus, quam is in noua nupta præ formæ gloria quæſi-

In c. 24. Gē. homil. 48. uit, exponit inter alios Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, dum, *quia ſciuit*, inquit, *Patriarchæ hoſpitalitatem, & quia virginem inde ducendam, congruebat iiſdem eſſe præditam moribus, quibus Iuſtus: nullam aliam coniecturam inquirit, ſed characterem virginalis animi, ab hoſpitalitate colligere vult.* Ex hac virtutis nota igitur placuit Rebecca: petitur, impetratur, in auribus, & armillis ab eo comitur, vaſiſque argenteis & donarijs alijs, tum ipſa, tum familia omnis liberaliter cumulatur. Miratur Origenes, Rebeccam ad eum diem, vt ipſe loquitur, incompoſitā, ineruditā, incomptam manſiſſe, nec putandū ait, patri eius, viro locupleti &

Homil. 10. in cap. 24. Geneſ. copioſo, defuiſſe brachialia, & inaures, quas filię daret: *Sed Rebecca*, inquit ipſe, *non vult de auro Bathuelis ornari, non ſunt ei condigna ornamenta hominis barbari & imperiti. De domo Abrahæ requirit monilia, quia patientia* (ſic exponitur hoc vocabulum Rebecca) *de domo ſapientis ornatur. Non potuerunt ergo aures Rebeccæ recipere decorem ſuum, niſi veniret puer Abrahæ, & ipſe eas ornaret. Nec manus eius ornamenta ſuſcipiunt, niſi quæ miſerit Iſaac: vult etiam aurea in auribus ſuſcipere verba, & aureos actus in manibus habere.* Sic Origenes, hoc documento aureo concludens, vt credi poſſit Rebecca, adempta ſignificatione myſterij reſpuiſſe eas puellarum nugas, pulchritudinis deficientis inutilia adiumenta.

De Diſcipl. & habitu virginum. In quæ inuehitur eloquentiſſimè S. Cyprianus ijs verbis. *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oues fecit, aut herbarum ſuccis, & conchilijs tingere & colorare lanas docuit: Nec diſtinctis auro lapillis, & margaritis contexta ſerie, & numeroſa compage digeſtis monilia inſtituit. quibus ceruicem quam fecit abſconderes, vt operiatur illud, quod Deus in homine formauit, & conſpiciatur id deſuper, quod Diabolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali ſeculatis ignara crucietur, vt poſtea de aurium cicatricibus, & cauernis pretioſa grana, dependeant grauia, & ſi non ſuo pondere, mercium quantitate? Quæ omnia peccatores, & Apoſtatæ Angeli, ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœleſti vigore receſſerunt. illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem*

veritatem, corruptelæ ſuæ impugnatione, docuerunt. Sic ipſe feliciſſimè, atque exprobrat etiam paulò poſt, audere homines deprauare ijs ornamentis vultum, quem Deus fecit ad imaginem ſuam. *Manus Deo inferunt, inquit, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: neſcientes, quia opus Dei eſt omne, quod naſcitur, Diaboli, quodcumque mutatur.* Ad hęc ſancti Cypriani monita prouocare licet, ob immodicum luxum fœminarum, qui & patrimonia exhaurit, & pudicitiam interdum etiam proſtituit. *Ibidem.*

Sed vt ad inſtitutum redeam, ducebatur Rebecca iam ſponſa ad domum Iſaac: cuius quis tunc fuit ſenſus, quæ mens? parabantne thalamum, oſcula, complexus? *eo tempore deambulabat Iſaac per viam, qua ducit ad puteum, cuius nomen eſt viuentis, & videntis, & egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die.* In Græco eſt, *vt exerceretur*, & notat S. Auguſtinus ſignificationem vocabuli ἀδολεσχῆσαι, ad animi exercitationem pertinere, & more Scripturæ Sacræ in bono, & laudabili ſenſu vſurpari. *Videtur mihi ſignificare*, inquit, *animi affectum, ſtudioſiſſimè aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis*: hoc eſt, propriè diuina, & cœleſtia meditari. Sanctus Hieronymus pariter notat id, quod ita Græcè redditur, in Hebræo haberi. *Egreſſus eſt Iſaac, vt loqueretur in agro, inclinata iam veſperâ*, & interpretationis loco hæc addit, *ſignificat autem, ſecundùm illud, quod Dominus ſolus orabat in monte: etiam Iſaac, qui in typo Domini fuit, ad orationem, quaſi virum iuſtum domo egreſſum, & vel nona hora, vel ante ſolis occaſum ſpiritualis Deo victimas obtuliſſe.* *Gen. c. 24. verſ. 62.* *Quæſt. ſuper Gen. q. 79.* *Quæſt. Hebraic. in Gen.*

Sanctus Ambroſius conſiderans, qualis ſopor ille fuerit, quem in Adam immiſit Deus, quando Euam coniugem eius ædificare voluit. *Quis eſt ille ſopor*, inquit, *niſi quia paulìſper, ad coniugium copulandum cum intendimus animum, velut intentos oculos ad Dei Regnum, inclinare, atque inflectere videmur, ad quendam ſomnum iſtius mundi, & paulìſper obdormire diuinis, dum in ſæcularibus mundaniſque requieſcimus.* Hoc certè eſt, quod innuit Sanctus Paulus, quando ait, eum qui vxorem duxit, diuiſum eſſe, & cogitare, vt placeat vxori. Sed hoc non videtur metui debuiſſe in ſancto coniuge Iſaac, qui, egreſſus dicitur ad meditandum in agro, & inclinatâ quidem veſpeâ, vigilans Deo, & in eius obſequia, quando quies noctis, & ſomnus corporis inſtare videbatur. Veriſimile autem eſt, preces eius ad Deum tum fuiſſe, vt matrimonio, (quod procurari interea temporis non ignorabat) eſſet beatè, eſſet feliciter, & vt cederet, ad virtutem ſibi, ac promiſſæ poſteritati. nec aliter deinde fuit. *Lib. de Paradiſ. c. 11.* *1. ad Cor. c. 7. v. 33.*

Eant nunc, qui nuptias aiunt, minimè ſuccedere, niſi connubium præceſ-

Geneſ. cap. 24. v. 67.

ſerunt amores. De his iam ſponſis ſcribitur. *Iſaac accepit vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret*: Hoc matrimonium vero tantum abeſt, vt oculi conciliarint, vt potius Rebecca eminus, ad primum conſpectum Iſaac exilierit è Camelo, & ſe theriſtro, ſeu palliolo muliebri operuerit. Exclamat merito Tertullianus; *O mulierem iam de Chriſti diſciplina! oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu, & animo fieri, quemadmodum & ſtuprum*; Senſerat videlicet, ſe ſpiritu nuptam, & nolebat, vel oculos, vel animum prius concupiſcere, & nuptias quodammodo anticipare, cauam ipſius oculi ſedem, thalamum appellari tradunt. In hoc ſæpè oculi thalamo, qui mulierem, aut ſponſam vident, ad concupiſcendum, ſæpè peccatum, aut nuptias præueniunt, & ferè dixerim conſummant.

Lib. de velandis virginibus c. 11.

Cæl. Rodig. lib. 12. c. 3.

Cæterùm ita nuptiæ fiunt, quas præparat Deus, qui nimirum eſt viuens, & videns. Alij qui ſecus agunt, & qui ſolis oculis fidunt, oculos habent, & non vident, & ſe conijciunt in ærumnas, fiuntque Sampſoni ſimiliores, quàm Iſaac. Ille parenti ſuo, neganti vxorem è ſtirpe Philiſtæorum, reſpōdit obfirmatò animo; *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*. Philiſtæi apprehenſo tandem Sampſone ipſi oculos eruerunt, atque hoc pacto, ſi quid amando peccauerunt, ijdem oculi luerunt.

Iudic. c. 14. verſ. 3.

Liceat paululum digredi à ſponſo Rebeccæ ad ſponſos Eccleſiæ, & ijs illam ſollicitudinem inijcere, ad quam Eugenium Pontificem Sanctus Bernardus ijs verbis grauiſſimis hortatus eſt. *Exi in agrum Domini tui, & conſidera diligenter quantis hodieq; de veteri maledicto ſylueſcat ſpinis, ac tribulis. Exi inquam, in mundum, ager eſt enim mundus, isq; creditus tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, ſed tanquam villicus videre, & procurare vnde exigendus es, rationem: Exi dixerim, quibuſdam tuæ paſſibus intentæ ſollicitudinis, & ſollicitæ intentionis. Neque enim ipſi, qui iuſſi ſunt ire in Orbē vniuerſum, Orbem circumierunt præſentia corporali: ſed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quoſdam conſiderationis tuæ, & vide regiones, ſi non ſint magis ſiccæ ad ignem, quàm albæ ad meſſem*. Et poſt alia, *nonne ſi exis*, inquit, *& cernis iſta, pudebit otioſam iacere ſecurim, pudebit ſine cauſa falcem Apoſtolicam accepiſſe?* Deinde proponens exemplum Iſaac, hæc ſubdit. *In hunc quondam agrum Iſaac Patriarcha exierat, cum primò Rebecca occurrit ei, & vt Scriptura habet, exierat ad meditandum: ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris, neceſſe eſt: tibi iam præceſſiſſe meditatio debet, tempus faciendi præ manibus.*

Lib. 2. de conſiderat.

META-

METAPHORA XLIX.

Collidebantur in vtero eius paruuli. Gen.c.25.verſ.22.

ABraham, poſt nuptias Iſaac filii cum Rebecca, Deo vt credere par eſt, inſpirante, in anno ætatis CXLI. vxorem aliam Geturam, fortaſſe vnam ex ancillis, duxerat. Et tametſi, quando generauit Iſaac pater centenarius, dicitur à S. Paulo habuiſſe corpus mortuum, ſuſcepit nihilominus ex ea ſenos liberos, Deo naturam ipſius inſtaurante, ad fœtum nouæ prolis. Et hæc ad myſterium in Abraham fiebant: ſicut enim proles Agar, filios carnis Teſtamenti veteris, hoc eſt reprobos Iudæos figurauerat, & Iſaac filios Dei, ac filios ſpiritus eius. Ita ſoboles Geturæ deſignauit filios carnis noui Teſtamenti, nempe Hæreticos, & reprobos Chriſtianos.

Interim in ea, etſi ſerotina Abrahæ fœcunditate ſteriles vixerant annis xx. Iſaac, & Rebecca, preces & vota offerentes, cum longanimi pietate, pro ea ſucceſſione toties promiſſa, & quam non ignorabant certo futuram, ex deſtinatione ſempiterna. Magnum documentum, vt diſcamus & nos ſemper orare, & nunquam deficere, aut nunquam diffidere de diuina bonitate. Sanctus Gregorius, *Si multiplicatio, inquit, generis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuit, cur coniugem ſterilem accepit? ſed nimirum conſtat, quia prædeſtinatio precibus impletur, quando is, in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuiſſet.* Et ſubſtituit deinde hoc illuſtre documentum, nempe *etſi obtineri non poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt, attamen ea, quæ Sancti viri orando efficiunt, prædeſtinata eſſe, vt non niſi per interpoſitas preces obtineantur. Ipſa quoque*, inquit, *cæleſtis regni prædeſtinatio, ita eſt ab Omnipotenti Deo diſpoſita: vt ad hanc electi ex labore perueniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante ſecula donare diſpoſuerat.* His redarguitur ſtulta illa quorundam ratiocinatio, qui quod futurum eſt de me, inquiunt, hoc pridem iam deſtinauit Deus, quorſum ergo preces, quorſum hominum conſilia, vel Sanctorum auxilia? Imò neceſſaria hæc ſunt, quia *qui creauit te ſine te, non vult ſaluare te ſine te*, nec te ſaluandum aliter deſtinauit.

Lib. 1. dialog. cap. 8.

Ibidem.

Ibidem.

Sed offert ſe præterea & illud conſiderandum, Saram, Rebeccam, & Rachelem, vxores electas Abraham, Iſaac, & Iacob, hoc eſt, illius fortunati triumuira-

 umuira-

Ad Hebraeos c. 11. v. 16. umuiratus; de quo ita loquitur Apoſtolus; *non confunditur Deus, vocari Deus eorum*, ſteriles tamdiu fuiſſe. *Quid ſibi vult*, inquit diuus Ioannes Chryſoſt. In c. 24. Geneſ. Homil. 49. *ſterilium chorus? omnes iuſti, omnes virtute præditi, omnes à Deo teſtimonium habentes.* Cauſam deinde maxime idoneam adfert, nempe vt quodammodo via ſterneretur ad fidem, erga partum vnius Virginis: poſtquam tot fœminæ diu ſteriles peperiſſent. Ibidem. *Exerce*, inquit, *tuos ſenſus in vulua ſterilium: vt cum didiceris ligatam & emortuam vuluam, diuina virtute ad procreationem aperiri: inde copioſis argumentis acceptis, non admireris, audiens, quod virgo pepererit.* Notat verò, æque ingenioſè, ac ſapienter; hac ſolertia vſum eſſe, ad perſuadendum, Archangelum Gabrielem, ſydereum nuncium, in legatione illa cœleſti, qua miſſus ad Virginem, poſtea Deiparam fuit. Ex humiliori enim ſermone, videlicet ex conceptu Eliſabeth cognatæ, diu ſterilis, quæ à 6. menſe geſtabat vterum; perduxit ſenſim eam ad ſublimiorem illam perſuaſionem, de conceptu virgineo. Ibidem. Neque commemorauit, aut Saram, aut Rebeccam, aut Rachelem: *quoniam hæ*, inquit, *erant antiquæ narrationes, & ideo commemorauit, quod nuper contigerat: vt mentem eius prouocaret.*

Collidebantur in vtero eius paruuli, finis venerat precum, & deſideriorum; & Rebecca non tam filios, quam gentes ac populos in vtero habebat, nempe gemellos, qui futuri erant Duces populorum, & hi quaſi altercantes iam collidebantur in vtero eius. Septuaginta Interpretes transferunt, *ludebant, ſeu calcitrabant*: quaſi etiam hi exultarent in vtero Rebeccæ ſterilis: ſicut exultauit Ioannes in vtero ſterilis Eliſabeth. Sed ſiue ludentium exultim paruulorum, ſiue certantium fuerit ille motus, erat certum matris tormentum, cuius viſcera interim concutiebantur. Vt propterea non vers. 22. ferens vterum tam inquietum & bellicoſum, dixerit: *ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere.* Conſuluit verò Deum, & audiuit grande illud oraculum. vers. 23. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Hoc vaticinium primo declarat, motum eum in vtero non tam fuiſſe luſum, quam bellum paruulorum.

Declarat inſuper diſſidium primum, quod erat futurum in iiſdem fratribus Gen. c. 27. vers. 41. iam adultis: adeo vt Eſau, alter illorum, dixerit minabundus, *venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Denique declarat, bellum acerbius, & diuturnius, quod populi nati ex Eſau & Iacob: nempe Idumæi, & Iudæi, inter ſe odijs aſperrimis geſſerunt. Donec regnante Dauide populus Lib. de anim. c. 26. populum ſuperauit, & maior ſeruiuit minori. *Aſpice viuentes*, inquit Tertullianus, *vteros ſanctiſſimarum fœminarum, nec modò ſpirantes iam illic infantes, verum etiam prophetantes. Ecce viſcera Rebeccæ inquietantur, & longe adhuc partus, & aëris nullus impulſus Ecce duplex fœtus, in locis matris tumultuatur, & nuſquam adhuc populi duo. Portentoſa forſitan petulantia infantiæ, ante certantis, quàm viuentis, ante ani-*

moſæ

moſæ quàm animatæ, ſi tantummodò matrem ſubſultando turbaſſet. At cum partus aperitur, & numerus inſpicitur, & auguratus recognoſcitur, puto iam non animæ ſolummodò probantur infantium, ſed & pugnæ. Sic ipſe, metaphoram enim ſeu figuram diſſidij habuerunt, quod & inter fratres ipſos, & inter poſteros eorum intercelſit.

Ad hunc ſenſum hiſtoricum; aliam allegoriam addunt S. Cyprianus, S. Auguſtinus, Rupertus Abbas, & interpretes aliquot: Nam in Iſaac Chriſtum Dominum, in Rebecca Eccleſiam agnoſcunt, & aiunt, hanc ex illo, duos populos concepiſſe, Iudæum maiorem, quia eſt ſenior, Chriſtianum minorem, quia eſt iunior: maiorem verò ſuperari, & in ſeruitutem redigi à minori. Item S. Auguſtinus adhuc ſolis Chriſtianis allegoriam accommodat, & ſicut duo paruuli in vtero Rebeccæ, collidebantur, ſic in vtero Eccleſiæ, ait duos populos ſibi iugiter aduerſari, humiles & ſuperbos, caſtos & adulteros, manſuetos & iracundos. Bonos id conari, vt lucentur malos, malos autem id conari, vt extinguant bonos. Adhæc malos populum eſſe maiorem, quia hi ſemper bonos numero ſuperant. Nihilominus maiorem populum ſeruire minori, *non vtique obſequendo*, inquit, *ſed perſequendo: quomodo lima vel malleus auro, & ſicut mola tritico ſeruiunt.* *Serm. 67. de Temp.*

Denique Origenes duas gentes ait, & duos populos intra nos eſſe; virtutum populum, & populum vitiorum. De corde enim noſtro prodeunt, cogitationes malæ, adulteria, furta, falſa teſtimonia, doli, contentiones, hæreſes, inuidiæ, commeſſationes, ſi vero mereamur & nos dicere, à timore tuo Domine concepimus, & peperimus, ſpiritum ſalutis tuæ fecimus ſuper terram, tunc intra nos reperitur & alium populum; fructus enim ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, manſuetudo, continentia, caſtitas. *Sed iſte populus*, inquit Origenes, *minor eſt, ille maior: ſemper enim plures ſunt mali, & vitia numeroſiora virtutibus. Sed ſi tales ſimus, qualis Rebecca, & mereamur de Iſaac, id eſt, de verbo Dei, habere conceptum, etiam in nobis populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori: ſeruiet enim caro ſpiritui, & vitia cedent virtutibus.* *Homil. 12. in c. 25. Geneſ.* *Ibidem.*

META-

METAPHORA L.

Eſau irrugijt clamore magno. Gen.cap.27.verſ.34.

NAti erant paruuli, Eſau & Iacob, ille rufus, & villoſâ cute, vafro ingenio futurus, & ferinis moribus, hic verò placidus & mitis. Ambos Abrahæ aui delicias aliquamdiu fuiſſe, veriſimile eſt: cum is ſuperſtes ab eorum ortu fuerit, annis XIV. Obijt enim anno mundi CIↃ. CIↃ. CCXIII. ætatis verò ſuę anno CLXXV. Adoleuerant etiam, & Iuuenes erant Eſau & Iacob, quando hic ab illo iura primogeniti coëmit, dato ei in pretium pulmento lenticulæ. Hæc cibus erat Ægyptiorum, & Alexandrinam præſertim, æuo adhuc ſuo magni æſtimari ſolitam, & importari in Regiones varias, ſcribit S. Auguſt. Denique vtriuſq; multum proceſſerat ætas, & Iſaac parenti eorum caligauerant oculi, credibile eſt præ aliqua ægritudine potius, quã præ nimia ſenectute, cùm non excederet annos CXXXVIII. ætatis ſuæ, & cum Abraham eius Parens, qui fuit ferè XL. annis ſenior, ita caligaſſe, id ætatis, in Scriptura Sacra, non dicatur. Quia igitur ille filium Eſau monuerat, vt cibum venaretur, quem ſibi eſſe grati eſus non ignorabat, Iacob interea inſtructus à Rebecca, & protectus hœdinis pellibus, fratremque ſimulans, percepit benedictionem, quam illi parens deſtinauerat. Porrò tum Iacob minimè ſurripuit ius alienum, ſed imò ius recuperauit ſuum. Ipſum enim Deus conſtituerat primogenitum, quando dixerat, *maior ſeruiet minori.* Hinc etiam abſque mendacio dicere potuit patri, *ego ſum primogenitus tuus.* Verùm quando addidit, ſe Eſau eſſe, ſe ad venationem iuiſſe, ſe, quod ille mandauerat, feciſſe, ſi ſit neceſſe in eo culpam mendacij venialem admittere, non eſt grande piaculum, vel in Sancto Patriarcha: in quo præſertim mendacio, nec iuramentum, nec vllius præiudicium fuit. Rem quippe inſpirauerat Deus, ſed modum, & imperfectionem falſi, vel ficti, quam ille miſcuit, minimè ſuggeſſerat Deus. Poſt hæc è ſaltu cum venatione Eſau redijt, & re comperta ingemuit miſer, atque irrugijt clamore magno.

Enarr. in Pſalm. 46.

Gen. ca. 25. verſ. 23.

Ira eius vehemens aptè admodum exprimitur, per Leonis rugitum. Hoc enim animal præ cunctis ira ferox eſt, ad quam iram non intus modò æſtuante ſanguine, circa cor, ſed foris etiam caudæ flagello incitatur. Principio ſiqui-

ſiquidem, quando iraſcitur, terram caudâ, in incremento terga, velut incitamento quodam, diuerberat. Ira homini neceſſaria eſt, nec expugnari quidquam poteſt, niſi ipſa impleat animum, & ſpiritum accendat. Sed enim vti ea oportet, non vt Duce, verum vt milite: quia rationis eſt, Ducis munus, & vices obire, præcipiendo ea quæ in rem fore exiſtimauerit: mox ira, ceu belli quodam impetu, iuſſa exequetur. Hoc Ariſtotelis præceptum refert Seneca, nec illud probat tamen. *Nam ſi exaudit*, inquit, *rationem, & ſequitur, quà ducit; iam ira non eſt: ſi verò repugnat & non vbi iuſſa eſt quieſcit, tam inutilis animi miniſter eſt, quam miles, qui ſignum receptui negligit.* Accipio, imo verò ea maximè hominis ira eſt, quæ rationis gubernaculo regitur, quæ ſequitur Ducem: ſecus quando [illegible] habenis, [illegible] & præcipitanter agit; deſinit ira hominis eſſe, & fit feræ rabies & furor, quem videlicet reprimere mens nulla poteſt. Ph.l.8.c.16 Li.1.de Ira.

Talis fuit iracundia Eſau, & rugire illo dicitur Leonis inſtar, qui ſemel ad iram caudæ ſuæ agmine ac verbere prouocat. Exprobrare ſit generi hominum [illegible] & [illegible] tam manſuetudinem viciſſitudine [illegible] Seneca, *intra domum, vrſorum leonumque ora placida tractantibus adulantur, Dominum feræ: pudebit cum animalibus permutaſſe mores.* Quamquam mitius adhuc ſæuit Leo, quam homo, quia ille non infeſtus eſt alteri Leoni, ſicut infeſtus eſt homini homo. *Cætera*, inquit Plinius, *in ſuo genere probe degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia: Leonum feritas inter ſe non dimicat; ſerpentum morſus non petit ſerpentes; ne maris quidem belluæ & piſces, niſi in diuerſa genera, ſæuiunt. At homini plurima ex homine ſunt mala.* Li.2.de Ira. In proœmio Lib.7.

Exceſſus iræ igitur damnandus, & proſcribendus eſt, ex quo ſolent homines feris reddi perſimiles, vſus vero eius temperatus, eſt potius retinendus: cum vt alibi etiam oſtendimus, habeat vim effectricem rerum maximarum, arduarumque: & cum ſatis conſtet, miſcendo iram Rationi, non ſemper ira hominem inquinari.

METAPHORA LI.

Supplantauit me, en altera vice.
Geneſ.c.27.verſ.36.

EXcuſauerat Iſaac facti ſui neceſſitatem; ſi quomodo furorem Eſau lenire poſſet. *Venit*, inquit, *germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Apud Septuaginta legitur: *venit frater tuus cum dolo*, in textu Hebræo eſt מרמה *rama*, quæ vox interdũ

 deci-

decipere ſignificat, & ideo vertit noſtra editio fraudulenter: interdum ſignificat prudenter aliquid tentare, vel moliri. Quapropter in Chaldaica paraphraſi eſt, *venit frater tuus ſapienter*, ſunt autem fraudes aliquæ, & ſimulationes innocentes, vt quando Ioſeph ſcyphum ſuum abſcondi præcepit, in ſacculo Beniamin, quando inſpirauit Deus, vt vaſa ab Ægyptijs mutua ſumerent filij Iſrael, quando Ioſue cum ſuis fugam ſimulauit: quando Chriſtus Dominus diſcipulis in Emmaus finxit ſe longius ire. In his enim haud deceptio cum nocumento inuenitur, vt propterea de Iacob, dum ita decepit innocēter Iſaac patrem ſuum, dixerit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *vt ſcias quod ſuperna gratia fuerit cooperata, in hoc vt iuſtus deciperetur, vide quomodo ipſe hoc fatetur, dicens, venit frater tuus fraudulenter.* Certè ipſum Iſaac agnouiſſe in ea re conſilium Dei, ſatis ex eo redditur manifeſtum: quia ſi Iacob fraude mala benedictionem alteri ſurripuiſſet, retractare debuiſſet Iſaac id quod iam diſpoſuerat: non auſus eſt tamen, quia hærebat alta mente oraculum diuinum. *Maior ſeruiet minori.* Diſpenſare autem Deus potuit in eo iure natiuitatis, vt qui ſupremus eſt naturæ Dominus: nam in poteſtate eius vniuerſa ſunt poſita.

Gen. c. 44. v. 2. Exod. ca 11. v. 2. Ioſue cap 8 v. 9. Luc. ca. 24. v. [illegible] Ine. 27. Geneſ Homil 53.

Eſau itaque reuerſus, quoniam audiuit non poſſe reſcindi contractum, circa quem iam diſpenſauerat Deus, ſubiunxit, *iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me, en altera vice.* Alluſio eſt ad ſignificationem nominis Iacob: qui de matris vtero egrediens, plantam pedis Eſau manu arripuit, ita vt pene eum ſubuerteret, ne primus oriretur: cum ille primogenitus non eſſet futurus, ex Dei deſtinatione. Iam Eſau, conuenire ait nomen, & conuenire mores Iacob fratri ſuo. Etenim ſupplantauerat ipſum ſemel, quando iura primogeniti propter lenticulæ offulam, ab eo emerat, & nunc benedictionem præcipiens ficto habitu, ac perſonatus, iterum ſupplantauit. In lucta, & prælio ſeu vis, ſeu dexteritas vincat, requiri non ſolet, & ſemper Athleta, qui ſuperauit (vtrouis modo res ceſſerit) ex victoria gloriabitur. Quando collidebantur in vtero paruuli, certare quodammodo viſi ſunt, vter primogenitus eſſe deberet. Deus conſulitur, & rem decernit, pronuntians futurum, vt maior ſeruiret minori. Iacob igitur cautum conſilium ſequutus, vt iure primogeniti iam ſuo poti retur, arte prudenti, non fraude mala fratrem Eſau circumuenit, & quemadmodum in lucta fit, contra vim dexteritate vtitur. Atque ita aduerſarium toroſum, ac robuſtum Athleta ingenioſior ſine iniuria, ſubuertit.

META-

METAPHORA LII.

Frumento, & vino ſtabiliui eum. Geneſ.c.27.v.37.

EXplicat ſummatim Eſau, quid beneficij contulerit filio ſuo Iacob, quando ei tanquam primogenito benedixit, quaſi diceret, rem cibariam, vinum, & omnia, quæ ſunt neceſſarij vſus pro humana vita dedi ei, tanta nimirum vbertate, vt ſtabilem ſedem ſit habiturus in regione amœna fertilique, quæ lacte & melle manabit, & vt duras ſollicitudines, ac peregrinationes anhelas non ſit ſuſcepturus, ad vitam ſuſtentandam.

Ariſtoteles ait ſtirpes, & plantas idcirco humi ſtabiles & fixas hærere, quia vbi naſcuntur, ibi virent, ibi aluntur; vites in vinea, in areola horti flores, arbores in ſylua, vel in pomario. Contra verò animalibus natura motum cõceſſit, vt commeent aliò, victuique neceſſaria perquirant, quia ſtarẽt alioqui, ſi terra more ſtirpium, alimenta eis ſuppeditaret. Proinde ad cibum reptant angues, piſces natant, aues volant, quadrupedes progrediuntur, homo circumuehitur, nauigat, peregrinatur. Quod ſi habitet in prouincia ſoli fœlicis, & in ora ſit natus benigna, ſaltem agrum & vineam frequentat, atque ex ijs exſpectat vini prouentum, ac tritici vbertatem. Stabilis idcirco propriè homo non eſt, attamen Iſaac de Iacob, filio ſuo, *frumento*, inquit, *& vino ſtabiliui eum*, & ſenſus eſt, fore ſubſtantiam ei copioſam, adeo vt habiturus non ſit neceſſitatem luſtrandi regiones longinquas. Nutriet enim eum tellus, quaſi plantam ſolet aut lilia, quæ habent in agro ſtabilem ſedem, non laborant, neque nent, & pater cœleſtis paſcit ac veſtit illa, eo cultu, vt tam nitide & ſuauiter ne Salomon quidem vixerit in omni gloria ſua.

Ad Eſau deinde adhuc eiulantem Iſaac transferens ſermonem, *Viues*, inquit, *in gladio*, *& ſeruies fratri tuo*. En quaſi militem illum creauit: quod cum ſecundo genitus, hodieque in varijs regionibus Parentes nobilium agunt, ad militiæ enim profeſſionem eos deſtinant, vt conditionem ſuam augeant. Quandoquidem natura vni contulit ius primogeniti, & cum eo iure familiæ totius hæreditatem, *Viues*, inquit, *in gladio*, ac ſi diceret, te non ego

ſtabiliui, quemadmodum Iacob: ſed erit neceſſe, vt in bellis aſſiduis, in rapinis & prædis vitam anxiam traducas. Bellum profecto nihil ſtabile habere, ſatis nomina ipſa eius præſeferunt; Nam exercitus vocabulum eſt natum à belli exercitationibus operoſis, agmina etiam ab agendo agitandoque dicta ſunt, Mars quoque Gradiuus à gradiendo appellatus eſt, & Duces ipſi non ita vocarentur, niſi milites ſemper alio ducerent, vtpote profeſſione ſua nunquam ſtabiles. Degenerat vero militia in mille vitia, niſi modus diſciplinæ in ea retineatur.

Hæc duo tamen vaticinia, ita Eſau & Iacob accommodantur, vt dicendum ſit, illa poſteris eorum conuenire potius, & populis, quorum fuere ipſi conditores. ſiquidem in terra promiſſionis, ſtabiliuit Deus frumento, & vino Iſraelitas, poſteros Iacob: Idumæi autem, poſteri Eſau, in gladio vixerunt, quos vtique rapaces fuiſſe, & amantes belli, atque rixarum, Ioſephus Hebræus teſtatur, & ſæpe innuitur etiam in hiſtoria ſacra.

Lib. 1. de bello cap. 6.

METAPHORA LIII.

Tempus veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius. Geneſ. c. 27. v. 40.

CVm Iſaac, Eſau filio dixiſſet. *ſeruies fratri tuo*; & de Iacob hæc alia pronunciaſſet; *Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui*, nempe omnes poſteros Iſmaelis, Eſau, & filiorum Ceturæ, iam vt imminuat aliquo modo eiulatum eius, [illegible] natur, ſeruitutem hanc Eſau, ac nepotum [illegible] non futuram [illegible] ſempiternam. Conſtituere ſeruum Eſau, non aliud [illegible], quam primogenituram in Iacob tranſferre, quia is, qui eſt grandior natu, quaſi pater, & quaſi Dominus in familia habetur. *Vt ſeruus patri,* inquit Diuus Ambroſius, *cum duos haberet filios, vnum intemperantem prudentem & ſobrium alterum, vtrique conſuleret intemperanti præfecit ſobrium. & inſipientem prudenti ſtatuit obedire — quia inſipiens non poteſt voluntarius virtutis eſſe diſcipulus, nec perſeuerare in ſtudio, quia [illegible], vt luna mutatur.* Deinde pergit in hac materia ſapientiſſime philoſophari, dicens [illegible], *ait, ſuper gladium tuum viues, & ſeruies fratri tuo. Domina enim eſt pietas crudelitatis, & manſuetudo duris motibus præſtat.* Præterea inferens, quorumnam ſit proprium ſeruire, *ſeruit,* inquit, *omnis, qui auctoritatem pura non habet conſcientia: ſeruit quicunque, vel metu frangitur, vel delectatione*

Li. 2. de Iacob. cap. 3.

Ibidem.

tiam irritatur, aut cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore deijcitur. Rationem ſubiungit ac proponit, *quia ſeruile eſt omnis paſſio, quoniam qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, & quod peius eſt, multorum ſeruus eſt, qui ſubiectus eſt vitijs, multis ſe Dominis addixit, vt ſeruitio eius exire vix liceat.*

Poſthæc diſtinguit egregiè, quænam in homine ſit origo veræ ſeruitutis. *Non conditio* inquit *fortuitum ſeruum facit: ſed probroſa inſipientia. Denique famulus prudens regit Dominos ſtultos, & probi ſerui Dominis fœnerabunt. Quid fœnerabunt? non vtique pecuniam: ſed ſapientiam.* Hæc ſanctus Ambroſius habet conſentanea ijs, quæ Ariſtoteles, in hanc rẽ pronũciauerat multo ante, cum *quod mentis agitatione,* inquit, *prouidere poteſt, imperium habet natura, & dominatur natura.* Hoc eſt, qui inter alios talis eſt, qualis eſt mens inter animæ facultates, is ex naturæ calculo atque ſuffragio, dominatur alijs iure ſuo, quos vtique ſua voluptas trahit lenocinijs, perinde atque in homine ſenſus & perturbationes inferioris animæ, commoueri, & irritari, & allici eiſdem lenocinijs videmus. Pulchrè Horatius etiam hominem, qui nihil ſeruile in animo habeat, ita deſcribit: l. 1 Polit. cap 2. ſerm. lib 2. ſatyr. 7.

Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus,
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent,
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læue morari,
In quem manca ruit ſemper fortuna.

Mancipium itaque ſeruitutis, filium ſuum Eſau, conſtituerat Iſaac parens eius: fore tamen vt iugo excuſſo, aliquando aſſereret ſe in libertatem, ſolatij cauſa prædixit: dum *tempus veniet* inquit *cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Iugo ſeruitutem ſignificari, vetus, & communis eſt tropus apud ſcriptores omnes: iugum autem boui propriè imponi ſolet, neque incongruè à boue ad ſeruum fit tranſlatio. *Bos enim,* inquit Ariſtoteles, *pauperibus pro ſeruo eſt.* nec enim ferè aliter pauper Agricola, eiuſque vxor, laboris ac vitæ ſocia, à boue obſequium, & auxilium, quàm diuites coniuges à ſeruo habent. Idumæi tamen hoc ſeruitutis iugum, nunquam ceruice ſatis domita tulerunt: & ideo durior ſeruitutis eorum neceſſitas ſemper fuerit, quia *nullum tam arctum eſt iugum,* inquit Seneca, *quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem, vnum eſt leuamentum malorum ingentium pati.* Ibidem. li. 3. de Ira.

Tempus veniet cum excutias, & ſoluas iugum eius. Idumæos poſteros Eſau Dauid ſubegit, quando reuerſus eſt, capta Syria, cæſiſque in valle Salinarum decem atque octo millibus, & in Gebelem ad viginti tria millia, collocauit in Idumæa cuſtodes ac præſidiarios, fuitque Regionis Dominus. Salomone deinde regnante (poſtquam is inquinauerat ſe Idololatriæ ſacrilegio) Rex Idumæ- 2 Reg. c. 8. 1 paral. c. 18

us Adad, qui dum erat paruulus, è proſapia regia in Ægyptum tempore cladis à Dauid illatæ, fugerat, & poſtmodum ibi adultus, tandem ad natale ſolum, & ad ſuos redierat, defectionem inter eos ſuſcitauit. Sed omni ex parte Idumæi iugum excuſſerunt tempore Regis Ioram filij Ioſaphat: vti refert Hiſtoria ſacra, & tradit etiam Ioſephus Hebræus. *Etiam hiſtoricæ proprietate,* inquit S. Auguſtinus, *hoc reſponſum inuenitur eſſe completum: vbi populus Iſrael, hoc eſt Iacob minor filius ſuperauit Idumæos, hoc eſt gentem, quam propagauit Eſau, eoque fecit tributarios per Dauid, Quod diu fuit, vſque ad Regem ſcilicet Ioram: ſub quo Idumæi rebellauerunt, & iugum Iſraelitarum, Idumæi à ceruice ſua depoſuerunt.* Libertatem hanc verò continuarunt annis circiter DCCC. donec rurſus protriti ſunt bello, ab Hircano filio Simonis Machabæi; & coacti circumciſionem, ac Religionem Iudæorum profiteri. Poſtremo (vt variant vices rerum humanarum) Herodes filius Antipatri Idumæi, Regnum Iudæorum adeptus eſt, eoque potiti ſunt nepotes ipſius, vſque ad excidium Ieroſolymitanum: hoc eſt annis CL. Quin etiam in eo ipſo bello Idumæi Veſpaſiano, & Tito Romanis Ducibus militarunt, & intulere cum Romanis vrbi Sanctæ vltimam vaſtitatem.

Quæſt. ſup. Geneſ. l. p. q. 73.

Ioſeph. li. 13. antiq. c. 17.

Ioſeph. li. 14. Antiq. initio: & li. de bello Iudaico.

METAPHORA LIV.

Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Gen. c. 28. v. 17.

MInas Eſau contra Iacob audierat Rebecca, ideo vt ſpatium iræ eius daretur, ſuaſit Iacob filio, ad Laban Auunculum in Haran proficiſceretur; ſibique inter Agnatos ibi vxorem perquireret. Annus ætatis illius erat LXXVIII. & tum valedicens charis genitoribus, iter Iacob, verſus Meſopotamiam Syriæ arripuit. Sol & dies peregrinum prima defecerant: itaque in eodem loco, vbi tenebræ primum ingruerant; de hoſpitio, & de cubili haud magnopere ſollicitus, ſed incubiturus humi, ceruici ſuæ lapidem ſubſtrauit. *Vidiſti ineffabilem vitæ philoſophiam,* inquit diuus Ioannes Chryſoſtomus? *Vidiſti, quomodo veteres iter faciebant? Vir domi educatus, tantaque affectus cura, ſimplex enim erat, inquit ſcriptura, & domi habitans, peregrinaturus, neque iumen-*

In c. 28. Gen. Homi. 54.

tis egebat, neque miniſtris, neque viaticis ſed [illegible] morem imitatus iter facit : & cum occumberet ſol, ibi dormiuit, vbi eum nox comprehendit.

Deinde conſiderans, quam in tenero, & molli ſtrato ſe reclinauerit, *accepit, inquit, lapides, & poſuit ſuper caput ſuum; vide pueri robur, lapidibus pro pulumari vſus eſt , & ſuper pauimentum dormiuit. Igitur quoniam bene moratum animum habebat , & maſculum ſpiritum, & ab omni vanitate liberum , admirabilem illam viſionem meruit.* Sic egregie proponit imitandam hoc tam inſigne paupertatis exemplum, dum pro cubili, terram, pro lecto cælum is habuit, cui tot & tam amplæ fuerint promiſſæ benedictiones , de rore cæli & de pinguedine terræ. Niſi dicere velimus, hoc pacto in complexu terræ ac cœli, cum quieſcere conſultò voluiſſe , vt earundem benedictionum quodammodo neceſſariam poſſeſſionem ſic adiret. *ibidem*

Sed quod in fine Sanctus Ioannes Chryſoſtomus inferebat , nempe glorioſum paupertatis eius contemptum ipſi meruiſſe , vt ſomnium illud celeberrimum ibi ſpectaret , notatur etiam ab auctore alio , qui *vides hic,* inquit, *quod ſomnia ſancta, eorum ſunt, qui corpora ſua negligunt , parco victu nutriunt , ad delicias non aſſueſaciunt , molliora ſtrata non ſubijciunt, profundo ſomno non obruuntur.* S. Rupertus Abbas reputans , quàm diues eſſet Iſaac eius parens, vt Rex Geraræ Abimelech, dixerat, *recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* & quam locuples etiam fuiſſet Auus eius Abraham Regum victor, dum nihilominus Iacob hæres vtriuſque peregrinatur tam pauper, *Quid igitur, inquit , niſi magna , & imitatione digna paupertas ſpiritus , in hoc patre noſtro Iacob ſpectanda nobis proponitur , in tali exitu , ad accipiendam vxorem proficiſcitur , fide paterna expectans , quod de ſemine ſuo, ſalus mundi & omnium gentium benedictio Chriſtus Dominus naſceretur?* hic ipſe. Sanctum conſilium, & admirabile vaticinium , hoc fuit ſummæ paupertatis illius, in qua extra vrbem , extra larem , ſupra fœnum naſci voluit Chriſtus Dominus , ex ſemine Iacob : vt propterea idem Iacob voluerit hac notabili paupertate ſua , myſterio præludere, & ad proſeminandam beati ſeminis expectationem, non cum pompa, & magno comitatu, ſed cum paupere atq; humili cultu appropinquare. *Lipmannus in textum.* *Geneſ.c.26. verſ.16.* *l.7. Comm. in Gen.c.21*

Sopor hic denique ſomnum obtulit Iacob , & in eo ſcalam , cuius ſummæ parti Deus, imæ Iacob ipſe iungebatur , & hac imagine fuit expreſſa Dei , hominiſque in Incarnationis coniunctio. Scalæ vero internexi radij, ſeu gradus , generationes plures indicarunt Nepotum ipſius Iacob , & Auorum Chriſti Domini , ex quibus hic erat orturus. Aſcendebant Angeli , deferentes vota hominum ad Deum , deſcendebant

debant referentes beneficia, quæ omnia per Chriſtum Dominum, & fidem in aduentum eius petenda erant, nec aliter impetranda. S. Bernardus, in hac eadem ſcala Iacob contemplatur typum humilitatis. *Illud quoque*, inquit, *quod in ſcala illa, quæ in typo humilitatis, Iacob monſtrata eſt, Dominus deſuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, niſi quod in culmine humilitatis, conſiſtit [illegible] cognitio veritatis? Dominus quippe de ſummitate ſcalæ proſpiciebat ſuper filios hominum, tanquam veritas [illegible], ſicut fallere nolunt, ita falli non norunt, vt videret ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Alibi idem S. Bernardus, ex eo, quod Angeli [illegible] viderent, [illegible] deſcenderent, nuſquam vero ſubſiſterent, colligit, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ, nihil medium inueniri: ſed neceſſe eſſe ſpiritu, aut proficere ſemper, aut deficere.

Tr. de grad. humil.

Epi. 253 ad Abbatem Garinum Alpenſem.

Experrectus Iacob ſenſit perfuſum ſe miro animi gaudio, & tanta cepit eum [illegible] veneratio, vt admirabundus dixerit, *non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Vbique Deus eſt, & implet omnia, diffuſus immenſitate ſua, nihilominus dicitur ex quadam prærogatiua, in cælo eſſe tanquam in domo: quia *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*: nec ob aliam cauſam, niſi quod in cœlo magis manifeſta ſunt mirabilia opera eius. Sic & Iacob domum Dei vocauit locum, in quo ipſi pariter Dei bonitas magis manifeſta fuit; & in quo, tanquam in domo, viſus fuerat Deus agere familiariter, oſtendere vultum, colloqui, poſteriſque Iacob regionem felicem polliceri. Certè ſimilitudo quædam domus [illegible] ſcalam videre, & ſuperne Deum ex illa, quaſi herum ex conclaui prodeuntem, cernere: ſpectare Angelos, vltro citroque inſtar familiæ, in obſequia commeantes, audire cœleſtem vocem, diuinaſque promiſſiones. Porta cœli denique dicitur, quia ſola Incarnatio illa eſt, per quã humano generi panditur Cœlum, & quia per ſcalam eandem Angeli, aſcendentes, ac deſcendentes, intus ad cœli adyta, veluti per portam ire, & redire, videbantur.

S. Auguſtinus, Lyranus, Caietanus, & alij locum huius viſionis putant fuiſſe montem Moria: & verba illa Iacob, *non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli*, vaticinium fuiſſe templi Ieroſolymitani, quod in monte Moria dedicatum eſt. *Hic eſt porta cœli.* [illegible] *per-tinent, quia ibi futurum erat Tabernaculum, [illegible] in primo populo ſuo. Portam autem cœli ſic intelligere [illegible]: tanquam inde fiat aditus credentibus, ad capeſſendum Regnum cœlorum.*

Quæſt. ſuper Geneſ. q. 81

Sed Bethel hic locus [illegible] Iacob [illegible], & eſt locus ille idem; in quo Deus [illegible] Abraham, [illegible] Bethel autem [illegible] millearibus diſtabat ab oppido Sichem, [illegible] Moria, [illegible] Alioqui [illegible] uenirent, hæc domus Dei, & porta cœli, cum templo, quod vocatum eſt [illegible]

iam

iam domus Dei, ac domus orationis, quia gratias ſuas Deus in templis diſpenſat vberius,& ideo magis eſt in eis manifeſtus. Conuenirent etiam ſomnus Iacob, & Chriſti mors:ſcala & Angeli aſcendentes, ac deſcendentes, Crux,& Angeli pacis flentes:corpus Iacob reclinatum ſupra lapides, Chriſti pariter corpus reclinatum in monumento, Iacob peregrinatio, vt iungeret ſibi vxorem,de cognatione ſu. .Chriſti etiam in terris peregrinatio vt iungeret ſibi ſponſam Eccleſiam,cum qua naturæ humanæ inierat cognationem. Sed ſatis nimirum ad hæc pie meditanda videri poteſt (etiam ſi locus non congruat ſi regio eadem fuerit,ita vt in terra promiſſionis olim hæc figuris & ſymbolis cœleſtibus,dein veris myſterijs geſta ſint pro ſalute generis humani,vt vbi porta cæli viſa Iacob fuerat, ibi portam cœli nobis Chriſti Domini paſſio aperuerit.

Hebræi ſcriptores,vt hos duos textus concilient,*tulit de lapidibus, qui iacebant,& ſupponens capiti ſuo,dormiuit in eodem loco*,& infra,*tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo,& erexit in titulum,fundens oleum deſuper*: quia diſcrepare eos putant,aiunt ternos lapides in vſum ſtrati,ab ipſo Iacob acceptos fuiſſe,ſed mane eoſdem diuina virtute coaluiſſe in vnum lapidem,vt eo miraculo ſignificaretur,iungi Deum perinde ipſimet Iacob,quo ita dirigeret viam eius. Nodus hic tamen explicari facilius poteſt,in eo ſenſu,vt de lapidibus, qui iacebant vnum duntaxat acceperit Iacob, & vnum illum eundem etiam conſecrauerit. Verſ.11. verſ.18.

Si tres ſuppoſuerit tamen, merito vnum tantummodo inunxit, quia in ſomnio eo admirabili agnouerat ex tribus diuinis perſonis,vnam fore, cui ab vnctione ſacra Chriſti nomen imponeretur. *Hic eſt lapis*,inquit S. Cyprianus, *quem ponit Iacob ad caput ſuum:quia caput viri Chriſtus*.& paulò poſt *quem lapidem conſecrauit & vnxit,ſacramento vnctionis,Chriſtum ſignificans* S. Auguſtinus etiam *ſignum fuerat*,inquit,*in prophetia euidentiſſima conſtitutum; quæ pertinet ad vnctionē, vnde Chriſti nomen à Chriſmate eſt*. Si denique terni lapides in lapidem vnum coierint,tres etiam perſonæ conueniunt in Dei naturam vnam. Quemadmodum & in Chriſto Domino,Diuinitas,anima & corpus,tria hæc in hypoſtatis vnius annexum aggregantur. Ad hæc myſteria Iudæi ſæpius labia, oculos rarò aperiunt,& tamen nullus ſaluus erit,niſi ſomnum ſuum capiat,hoc eſt,mortem obeat ſupra fidem eorundem myſteriorum Nemini offeret ſe domus Dei,& porta cæli,niſi dormierit ſupra lapidem,qui Chriſtus eſt,& cuius figura lapis fuit, quem Iacob oleo perfudit,& in titulum conſecrauit. Li.1. Teſti. aduerſ. Iudæos. Quæ. ſuper. Gene. q.84.

METAPHORA LV.

Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui. Geneſ. c. 30. verſ. 2.

REbecca biennio, quam dimiſerat in Meſopotamiam Iacob, gaudium, & delitias cordis ſui, anno ætatis CXIV. diem vitæ poſtremum obierat. Ex ijs vero annis cum Iſaac vixerat annos. C. exegeratque ſterilis annos, XX. reliquos LXXX. mater duarum gentium ac duorum populorum. Iacob interea populi iuſti parens & conditor, apud Laban Auunculum ſeruierat, annis ſeptem: vt Rachelem natu minorem, ſed forma pulcherrimam ſponſam haberet.

Promittitur hæc, & fit epulum nuptiale: ſed in thalamum Lia, natu maior lippiſque oculis, clam inducitur, dolo Auunculi, & ſoceri Laban: qui filiam inceſtui & adulterio expoſuit, Iacob inſcio, & innocente. Ad æquas deinde huius querimonias, ob rem compertam die illuceſcente, Laban ſocer Iacob genero ſecundas nuptias Rachelis, pro famulatu in annos alios ſeptenos, pollicetur: quas nuptias iniuit S. Patriarcha citra noxam omnem: quia dubium non eſt, quin à diluuio vt hominum ſtirps augeretur, Deus diſpenſauerit in lege illa, *erunt duo in carne vna.* Pulchritudo Rachelem, fœcunditas Liam viro cómendabant: nam hæc quater enixa eſt ordine, quatuor Patriarchas, Ruben, Simeon, Leui, & Iuda; quo in lucem edito deſijt parere: velut naturæ tacitum id obſequium fuerit, geſtientis quodammodo feriari, poſtquam illum pepererat, ex quo inclyti Reges plurimi, & imprimis Chriſtus Dominus, mundi Seruator, aliquando erat naſciturus.

Tum Rachel inuidens Liæ ſorori, atq; æmulæ ſuæ, atque aſpiciens chorum filiorum eius, neq; ferens dolorem ſterilitatis, dixit Iacob viro ſuo, *Da mihi liberos, alioquin moriar. Inconſiderata, & muliebris eſt hoc petitio,* inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *animaque ab æmulatione impugnata: Da mihi, inquit, filios, non audiſti, quod non viri concubitus illi hos præbuit, ſed Dominus Deus, qui vt vidit, quod Lia fuit odio habita, aperuit vuluam eius.* Iratus Iacob, ac videns non implorari Deum potius, qui ſolus naturæ officinam aperit & tribuit fœcunditatem, *num pro Deo ego ſum,* inquit, *qui priuauit te fructu ventris tui?* fructus ventris metaphora eſt, quæ alteri metaphoræ congruit, qua homo arbor inuerſa dicitur. Ea vero translatio aptari ſexui fœmineæ maxime poteſt, & vir arboris eius ſator &

In c. 30 Ge. Ho. Hom. 56.

colonis potius videbitur: ſi conſideres in fœmina ætatis, & formæ florem, quando nubilis primum eſt, dices ab eâ ver agi, ſubſequi veluti æſtatem, amorem, ſuccedere inſtar autumni fœcunditatem, & fructum ventris in ea percipi, donec extrema ingruat, & ſimillima hyemi ſenectus, ſed quia plures reperias puellas, quibus natura eris ſuauitatem, negauit, ideo generatim vniuerſeque pulchritudinem, eſſe fœminæ florem non dixerim, ne videlicet inter eas etiam ſint arbores aliquæ triſtes, quæ non ſentiant gaudium anni, nec flore vllo exhilarentur, careantque nuncio venturæ ſuæ fœcunditatis.

Vt ante fructum itaque floreant omnes, & afflent omnes odorem ſuum (quia nullis ineſt odor in formæ flore) flos & gaudium fœminæ virginitas erit; nempe caſta pulchritudo, quæ nulli negatur, & quæ quamdiu illibata fuerit, flos eſt nitidus, flos ingenuus, & verecundus: & ideo

Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.

Poſtquam verò cum virginem florem in matrimonio amor decuſſit, pomum oritur, & fructus ventris: atque ita virgo, fit arbor fœcunda; fit puella mater. Olim quaſi odio fœminis erat virginitas, nec aliter ferè, quàm ſterilitas, & ſi quæ puellæ è viuis decederent innuptæ, eæ cum filia Iephte, plangebant morituræ virginitatem ſuam. Quaſi viderentur etiam ipſæ infelices, damnatæque religione arbores, quæ neque ſerũtur vnquam, neq; fructum ferunt. Excuſari poſſunt, quia hoc deſiderium thalami, & ſobolis eo ſpectabat maximè, vt populus Dei electus per ipſas amplificaretur. Plin. lib. 16. c. 26.

Interim præſtare fructui ventris virginitatis florem, non intellexerunt, & vexillum harum felicium, nempe virginum, explicauit prima, in templo Dei, Maria: quæ vtique prima, non expectatis primitijs, & fructu primogeniti, ipſum florem virginitatis Numini dicauit. Idcirco etiam oſtendit ſingulariter in eâ Deus, ſcire ſe, & poſſe ſupplere aliter fœcunditatem, fructum ſimul cũ flore illi dedit: & omnia ſæcula id celebrant Elogijs ſuis, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Gaudia matris habes, cum virginitatis honore.* ſic in comperto cæpit eſſe, quid virginitas ſit, quid ſterilitas. Hæc nuptarum eſt maledictio, quæ quando ſunt ſteriles, florem amiſerunt, & fructum non dederunt. At virgines florem, præ fructu malunt, & eligunt ſemper placere, quam interdum parere. Itaque virginem eſſe, ſemper florere eſt, eſt poſſe, ſed nolle parere: non eſt ſterilem, ſed floridam eſſe.

METAPHORA LVI.

Ad me intrabis; quia mercede conduxi te, pro mandragoris filij mei.
Geneſ.c.30.verſ.16.

Mandragora ſtirpis genus eſt, cui ſolia lactucæ ſimilia, poma lutei coloris, inſtar nucis auellanæ, ſcriptores tribuunt. Semen intus veluti pyrorum eſt; radix verò diuiſa, in partes binas, non aliter quam crura humana, diuaricatur. Et fortaſſe ideo Mandragoram Columella ſemihominem, & Pythagoras Anthropomorphon, id eſt, humana effigie præditam vocauit. Circumforanei implexas, & coniunctas caulis eius partes, quaſi marem & fœmellam non eruunt, ſed formant ipſi, & ſculpunt, vt quæſtum apud vulgus faciant.

Can. c. 7. v. 13. Baccas eius grati odoris eſſe, indicat illud, *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Stirps habet vim refrigerandi, & ſomnum conciliat ſicut papauer. Dantur ijs, qui ſecandi à medicis, vel vrendi ſunt, vt ſopiti dolorem non ſentiant.

Dem. Philip. 1. Phil. lib. de vita contempla. Hinc dicebantur prouerbio ij mandragoram bibere, qui ſemper ceſſantes ſunt, & quodammodo indormiunt operi ſuo. Medici præterea, inter quos eſt Auicenna, mulieris vuluam, aiunt ad conceptum præparari mandragora. Elephas

Epiphan. in Phyſiol. fœmina certè mandragoram quærere, dicitur, quam vbi guſtauit, coeundi cupiditate accenſa ad marem properat, & mas vbi eam comedit, ardet libidine, ac fœminæ miſcetur. Huius itidem radice alij tradunt philtrum parari, ſeu poculum amatorium. Itaque videntur Rachel in Geneſi, & ſponſa in Canticis mandragoram appetere, vel de ea meminiſſe ex deſiderio fœcunditatis, ſed an conferat vere ad eam, in nulla fœmina ſe ſcire experimentum, ait S. Auguſtinus, creditque proinde, tantopere Rachel eam concupiuiſſe, propter pomi raritatem, vel propter ſuauitatem odoris eius.

Rubens primogenitus ergo, egreſſus in agrum luſitans, mandragoras tulerat, & eas dederat Liæ matri ſuæ. Rachel earum deſiderio capitur, & cum gratis habere eas nequiret, cedit Liæ viri conſortium, quod nocte illa nouerat ſibi deberi. Tum Lia fit obuia Iacob reuertenti, *ad me*, inquiens, *intrabis quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* Videtur Iacob ab vxoribus, tan-

1. ad Co. c. 7. quam operarius, conduci: quia & *vir non habet poteſtatem ſui corporis: ſed mulier.* Hanc verò ſui poteſtatem Iacob vir iuſtus vxoribus fecerat ex æquo: ne inter.

ter ipſas querimoniæ, liteſque orirentur. Miratur hanc temperantiam in eo Sanctus Auguſtinus, *Hic ille*, inquit *quem Fauſtus clauſis, vel potius extinctis oculis criminatur: ſi concupiſcentiæ non iuſtitiæ ſeruus eſſet: nonne per totum diem in voluptatem illius noctis æſtuaret, qua erat cum pulchriore cubiturus; quam certè amplius diligebat, pro qua bis ſeptennium laborem gratuitum penderat?* Et paulo poſt ſubdit *nonne placito contempto mulierum, intraret potius ad ſpecioſam ſuam: quæ illi noctem ipſam, non ſolum coniugij more, verum etiam ordinis iure debebat, vtereturque ipſe potius poteſtate maritali: quia & vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir. Itaque magis quid deberet, quam quid ei deberetur attendit Iacob: nec ira excanduit, quod ad minus decoram vocaretur, vel eneruiter blandus ratam ſibi noctem reddi poſtulauit.* Diſcant mariti continentiam, & ſciant, ſe tempore ab vxore ſua conductos, diuertere ad alterius thorum non debere. En Iacob ſecubare à Lia poterat, vxore minus pulchra, & fortaſſe etiam turpi, vt cum alia pulchra degeret ſuauius: feciſſetque id honeſtè, feciſſet licitè, quia & Rachel eius erat vxor, nec Iacob pro eâ nocte obligauerat ſe Liæ. Manſit cum eâ tamen, exemplo vtique futurus, vt multo minus viri, qui vxoris vnius & vnius thori vrgentur lege, ſiue illecti pulchritudine aliena, ſiue adacti libidine propria, audeant migrare ad delitias non cóceſſas, & fidem coniugi datam fœminæ alteri proſtituere. Conſiderent vero ij, ſe à Lia, non ad Rachelem, hoc eſt ad iuſti thori vxorem, ſed ad cubile iniquitatis, atque adulterij lectum inuitari.

METAPHORA LVII.

Dotauit me Deus dote bona; eo quod ſex genuerim filios. Gen. c. 30. verſ. 20.

Lia ſexto puerperio læta, Deo acceptam refert fecunditatem ſuam, eamque optimæ inſtar dotis recenſet. Erat, vt dixi, ea ſola, & ſumma fœlicitas mulierum Hebræarum, vt nuptui datæ, domum viri exhilararent numero paruulorum, redderentque eâ ratione populum Dei numeroſiorem. Ideoque iuſtius expetebant Lia & Rachel, quoniam illi viro ſoboles dabant de cuius propagine tot inaudiuerant oracula diuina, diuinaſque promiſſiones. Lia igitur iam ſextum pariens, Deum auctorem agnoſcit dotis cuiuſdam eximiæ, quam tribuere parentum æraria nequeunt, & quam vir ipſe nullatenus poteſt niſi Deus ſit propitius, repræſentare. Quando ineuntur connubia, dos longe alia petitur, & modo fuerit diues puella, quæ du-

citur,

citur, cætera non adeò magnopere curantur. Et tamen nullæ, viris opes magis pernicioſæ ſunt, quàm vxorum amplæ dotes. Etenim ſuperbiæ in vxoribus duo ſunt ſtimuli, dos & forma.

Quod ad primum attinet, Lycurgus apud Lacedæmones, Solon apud Athenienſes prudenter dotes omnes legibus ſuis in matrimonio abrogarunt. Sapienter etiam ſanxit Carthaginienſium legislator; vt dotem conferrent diuites, & vt eam acciperent pauperes, ſic enim inter ciues poſſe induci ſenſim, æqua patrimonia, exiſtimauit. Certè non virorum amori, ſed auaritiæ ſponſas nubere, interdum videmus, & quæri phaleratas vxores, quæ vtinam magis caſtæ, quam diuites ad ſecretum thalami venirẽt. Sica olim Africæ vrbs, delubrum Veneris habuit, in quo matronæ & puellæ, ſi erant dote caſſæ, ſolebant prius, vt poſſent nubere, corpora ſua proſtituere. Itaque dos earum, erat pretium turpitudinis, & in caſtris Veneris merebant, priuſquam honeſtè collocarentur, atque adeo ſtipendia dedecoris faciebant, vt ſponſum auarum emerẽt. Faceſſant hi Barbari mores, & indecora ea neceſſitas eliminetur, dos magna vxoris eſt, modeſta indoles, intacta puritas, & prolis viro ſimillimæ fœcunditas. Cæterum hæc proles, dotis nomine à Lia merito circumſcribitur: quia dotis huius potiſſimum inuitamento ineuntur connubia: ſiquidem finis nuptiarum eſt, pignorum deſiderium, liberorumque ſuſceptio.

METAPHORA LVIII.

Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea. Geneſ. c. 30. verſ. 33.

Circumegerat ſe alterum ſeptennium, quo Iacob ſeruierat ſocero ſuo Laban, & eius finem coronauerat Deus, Dinæ partu ex Lia, & partu Ioſeph ex Rachel diu ſterili, hoc eſt illius, qui deliciæ vtriuſque parentis, flos pudoris & honeſtatis, ac miraculum prouidentiæ Dei habitus eſt. Dimiſſionem etiam rogauerat Iacob: ſed Laban inuitatus ex rerum ſuarum proſperrimo ſucceſſu, propter Iacob, cui ſemper fauerat Deus; rogauit vt ſeruiret adhuc ſeptem alios annos. Annuit Iacob: ſed mercedis loco petijt greges varios, & maculoſos, qui deinceps tertio illo ſeptennio orirentur. Poſtquam verò dixerat *gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere: & quodcunq; furuum, & maculoſum variumq; fuerit, tam in ouibus, quam in capris, erit merces mea*, ſubdidit ſtatim, *Reſpondebitq; mihi cras iuſtitia*

ſtitia mea. In Hebræo textu legitur, *& teſtificabitur cras iuſtitia mea.* Apud 70. autē Interp. *& exaudiet me Iuſtitia mea in die craſtina*, hoc eſt, vti explicat S. Auguſt. *audiri me faciet Iuſtitia mea*, ſeu res erit eo ſucceſſu, vt tot maculoſi agni hædiq; naſcantur, quot exſoluere & æquare poſſint mercedem diuturni famulatus mei. Bernar. *nota*, inquit *quā cōuenienter loquitur: cras mihi reſpondebit iuſtitia mea: hodie enim Iuſtitia colitur, cras reſpondebit, hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin, quod non ſeminauerit homo, nec metet.* Videtur autem his verbis explicare metaphoram, quaſi ab agro ſumatur, qui reſpondeat cultori, eâ meſſis copiâ, pro qua ille ſeminauerit. Sic Lyricus poeta mendacij redarguit fundum qui Agricolæ deſideria non expleuerit, aliaſq;, & diuerſas ſterilitatis cauſas velut ad patrocinium ſui, in medium attulerit;

Non verberatæ grandine vineæ
Fundusq; mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sydera, nunc hyemes iniquas.

Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea in ſcriptura ſacra non ſemper cras idē ſonat ac poſtridie: ſed vt notat S. Hieronymus, interdū etiam, pro quouis interuallo futuri tēporis vſurpatur: quemadmodum in præſenti textu excurrit ad omne tempus, quo expectauit Iacob, vt oues Laban ſoceri ſui fœtus ederent maculoſos, nimirum vſque ad decē vices, in quibus Laban ſemper mutauit pacta, modo pictos, modo vnius coloris agnos pro ſe petens, vti eos naſci feliciter, pro Generi voto, animaduertebat. *Ne cui autem, in ſex annis, decem pariēdi vices*, inquit S. Hieronymus *incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur, bis grauidæ pecudes: natura autē Italicarum ouium, & Meſopotamiæ, vna eſſe traditur.* Septuaginta Interpretes pro decem vicibus vertunt *decem agnis* hoc eſt decem temporibus, quibus ouiculæ pariunt agnos *Nec mirum eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quod hæc decem tempora, nomine agnorum, appellauit, qui eiſdem temporibus naſcebantur, veluti ſi quiſquam diceret, per tot vindemias, aut per tot meſſes, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde ait quidam, poſt aliquot ariſtas, per ariſtas videlicet meſſes, & per meſſes annos ſignificans.* Deinde addit id, quod ex S. Hieronymo paulo ante referebamus. *Pecudum autem illius regionis fœcunditas, ſicut Italicarum, tanta fertur, vt bis in anno pariant.* Hæ verò potuerunt ſpatio ſexennij ſemel primo, ſemel poſtremo anno, quatuor vero medijs annis octies vterum geſtare. Nec dolo, aut noxiæ fraudi adſcribi poteſt, quo ad Iacob conſilium virgarum verſicolorum, ex quibus in aqua merſis picti vellere agni, atq; hœdi concipiebātur: quia hoc didicerit fortaſſe ex Angeli magiſterio vt iuſtæ mercedis compenſationem ijs artibus conſequeretur. Quod ſi vltra eam mercedem locuples factus eſt, non minus iam Deus cum ipſo, quàm in Aegypto deinde cum poſteris ipſius diſpenſauerit.

Quæſt. Hebraicu in Geneſ.

Quæ. ſuper Ge. l. 1. q. 95

METAPHORA LIX.

Non dimiſit eum Deus, vt noceret mihi.
Geneſ. c. 31. v. 7.

FAuerat colori Iacob ſemper Deus, tametſi Laban, non optima fide, mutaret notas mercedis ipſius. *Nam quando dixit varia erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oues varios fœtus: Quando vero è contrario, ait, alba quæq; accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt.* Hinc inuidiæ magnæ factus eſt locus cum opes Generi creſcerent; & Soceri, ac filiorum eius anguſtæ admodum redderentur; vt autem

Ouid. l. 1. de *Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,*
Vicinumque pecus grandius vber habet.

verſ. 2. Iacob breui aduertit *faciem Laban, quod non eſſet erga ſe, ſicut heri, & nudiuſtertius.*
neue à parentis vitio filij ceſſarent, audiuit verba filiorum Laban dicentium:
Verſ. 1. *tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris noſtri; & de illius facultate ditatus eſt inclytus.* Vt
conſilia iniret igitur, aduerſus eandem inuidiam, quam in ſe armari impotenter, ſatis intelligebat, & vt de fuga ſtatueret, Rachel & Liam in agrum, vbi paſcebat greges deuocauit, & de Laban apud eas iuſtis querimonijs Iacob indoluit, qui nimirum quotidie à ſe fieret alienior, & circumuenire ipſum, mutandoque vices parientium ouicularum, fraudare mercede ſæpius promiſſa, niteretur. In qua re *non dimiſit eum Deus*, inquit, *vt noceret mihi.*

Ea locutio videtur nobis proponere ob oculos Deum, qui cum homine inuido agat, quaſi Rector alicuius moloſſi, quem rabies proritet in cicurem aliquam belluam, ſymbolum inuidiæ canis ſemper fuit, & ab eo allatrandi famam alterius, mordendi, lacerandique excellentium hominum virtutes, vocabula ſunt accepta, atque ad inuidos translata. Ideo fortaſſe non omnino incongrua metaphoræ huius videbitur expoſitio. Enimuero perturbationes, atque ægritudines animi omnes, veluti moloſſi, aut feræ ſunt, quæ nos in aliorum perniciem ſimul, & in propria nocumenta ſæpè agunt præcipites. Tunc verò nocemus, vel ſecus, cum aut lorum ſoluit Gubernator omnium Deus; aut lorum retinet, eoque nos cohibet, & non dimittit nos, vt noceamus. Illud autem diuina permiſſio patitur, & hoc miſericordia Dei operatur in nobis. Vt ſane diuus Auguſtinus, merito agnouerit; nos peræquè obligari Deo, propter mala, quæ ita dementer ab ipſo cohibiti, non agimus,

atque

atque obligamur ei propter bona, quæ agimus ex ipſius ope, atque adiumento.

Haud ſciam, inquit Cicero, *an acerrimus longè ſit omnium motus inuidia.* Alibi ait, eiuſmodi verbum dictum eſſe, à nimis intuendo fortunam alterius: & idcirco Iacob ſapienter de abitu ſuo, & de reuerſione in terram Chanaam deliberat, vt oculis inuidi Laban ſubtrahat greges ſuos, quos intuitu æquiore aſpicere amplius iam ille non poterat. Porrò inuidiam in oculis potiſſimum verſari, aut in eis naſci, notatio ipſa nominis declarat, & lepidè in rem noſtram Poëta quidam ingenioſus Neapoli (cum adeſſet Regi medicos conſulenti, vt viſum hebetem, ac ſentim deficientem in ſe, remedio aliquo acuerent, augerentque) ſententiam dixit, ac remedij loco inuidiam propoſuit, quæ vtique viſum augeat, & grandiora ſemper oculis noſtris, quæcumque alij poſſident, ſubſtituat. 2. *De orat.* *Sannazarrius.*

Ioco eam Regi tamen ſuaſit, quia inuidere viles animæ dumtaxat, Reges potius atque Heroes inuidiam pati ſolent. Hinc apud veteres Hydram, aiunt fuiſſe inuidiæ typum, monſtrum videlicet natum in humili, ſordido, & paluſtri loco, ſicut Ouidius etiam in vallibus imis inuidiam ideo morari ſcripſit. Hercules verò in monſtri nulliusrabie domanda, quam Hydræ, ſeu inuidiæ magis laborauit, vt fabulæ perhibent, & tum eâ extinctâ, velut inuidiâ maior euehi meruit ad Deos. Sorores demum Copia & Inuidia dictæ fuerunt, quia ſemper ſimul naſcuntur: & Iniuſtitia ijs quaſi nutricibus tradita fuiſſe perhibetur: quando ex Nocte atque Erebo ſata primum eſt: quia conſtat ex copia vnius, & ex inuidia alterius inter homines ſemper iniurias, rapinas, lites, iurgia & odia ſuſcitari.

METAPHORA LX.

Iurauit Iacob, per timorem Patris ſui Iſaac. Geneſ. cap. 31. verſ. 53.

ABiuerat Iacob è ſoceri domo, cum vxoribus, filijs, & gregibus ſuis. Socer inſequutus abeuntem fuerat, ſed incuſtoditum generum in via non reperit. Deus enim, famulo ſuo, proficiſcenti in Meſopotamiam, promiſerat tutum reditum, ad terram Chanaan, cum dixit, *Ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc*: iam vt oſtenderet, latus eius à ſe tegi, & haud negligi cuſtodiæ pro- *Geneſ. c. 28. verſ. 15.*

 miſſæ

verſ. 24. miſſæ vices, noctu apparuit Laban, & *caue*, inquit, *ne quidquam aſpere loquaris, contra Iacob*. Itaque ad colloquium potius cum eo venit, fœdus atque amicitiam iniuit, & tunc ad huius fœderis confirmationem, *iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac*. Noua eſt hæc iurandi formula: neque antehac ab Iſaac, Abraham, aut Patriarchis viſitata.

Ex Rabbinis aliqui exiſtimant, iuraſſe Iacob per timorem illum, quem expertus eſt Iſaac parens eius, quando ſub Abrahæ gladio, immolandus ſtetit. Abulenſis verò reijcit hanc eorum interpretationem, nam eum timorem fuiſſe naturalem, ait, atq; adeo adſcribi merito, ſeu laudi non debere. Quanquam ſi timor ſanctus intelligatur, & reuerentia Iſaac, vel erga Parentem ſuum Abraham, erga quem factus fuerat obediens etiam ipſe vſque ad mortem, vel erga Deum, cuius tam difficili præcepto obſequi ſtatuerat: enimuerò dignus timor ille poterit videri, per quem iurauerit Iacob: fuit enim inſignis quædam obedientia, longè Deo gratior victimis, quas vnquam, aut Abraham, aut Iſaac immolauerunt.

Arbitrantur alij, Iacob per timorem iuraſſe, quo ipſe Patrem ſuum Iſaac reuerebatur. Symbolum enim quoddam eſt religionis, filiorum pietas atque honor erga Parentes: & ideo per eiuſmodi timorem iuramenta ritè videntur interponi. Quocirca eſt ſatis idonea hæc explicatio, & illuſtre admodum exemplum præbet obſequij erga Patrem in filio: quia & ipſe iam Pater familias erat, turmamque liberorum circa ſe aſpiciebat, ætate autem prope centenarius tum fuit, nam erat annorum LXXVIII. cum in Meſopotamiam conceſſit, vbi annos XX. moratus, iam biennium ſolum, ad annorum centuriam deſiderauit. Si Iacob igitur, in vnius ferme ſeculi ætate, Patrem ſuum Iſaac tam ſanctè coluit, vt non alijs conceptis verbis, quàm per timorem eius, iuramentum, in hoc Soceri fœdere nuncuparit: quàm præclarè nos noſtri fatendum eſt; vt proprios parentes perinde, non paruuli modò, ſed etiam adulti, & in omni vita, colamus?

Notabile item in hac materia, obiter videtur, ſimile Rachelis obſequium erga Laban, quem etſi auarum, difficilem, imo nec iuſtum, nec pium, vtpote Idolorum cultorem, Patrem tamen, coluit ipſa tantoperè, & ſcrutanti omne tentorium, inueniendæ cauſa Idola, quæ ſubter cameli ſtramenta occultauerat, dixerit,

verſ. 35. *ne iraſcatur Dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo, quia iuxta conſuetudinem fœminarum, nunc accidit mihi*. En filia, Domini appellatione honorifica, Patrem compellat, atque adeo excuſat, quòd intranti non aſſurgat, ſolita nimirum, eo ſemper cultu, patrem reuereri. Vſque adeo Iacob coniuges ſuas condocefecerat, & ad morem ſuum, in hac parte quoque, illas inſtituerat.

Iurauit Iacob per timorem Patris ſui Iſaac. Tertia, & maximè omnium conſentanea,

ſentanea, huius iuramenti explicatio ſupereſt: qua creditur Iacob iuraſſe, per timorem Iſaac, hoc eſt, per illum ipſum Deum, in cuius timore caſto, ſanctoque Pater ipſius Iſaac viuebat. *Quid eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quod Iacob iurauit, per timorem Patris ſui Iſaac: per Deum vtique, quem timebat Iſaac Pater eius. Quem timorem etiam ſuperius commendauit, cum diceret, Deus Patris mei Abraham, & timor Patris mei Iſaac.* Hoc idem ſentiunt Rupertus Abbas, Abulenſis, Caietanus, & Oleaſter: qui notat, ab Hebræis Deum vocari aliquando pauorem, propterea quod maximè ſit metuendus. Conijcit etiam idem Auctor, id haurire à Chaldæis Hebræos potuiſſe: qui frequentiſſimè Deum ita nominabant. *Quæſt ſuper Geneſ. q. 100.*

S. Iſidorus, *Deus*, inquit, *Græcè θεὸς dicitur, quaſi δέος, id eſt timor: vnde tractum eſt nomen Dei, quod eum colentibus ſit timor.* Alibi verò idem S. Iſidorus tradit, in appellatione Dei, Patrem, in appellatione Domini, filium ab aliquibus intelligi. Sed ait in ſacra Scriptura vtrumque, & Deum, & Dominum affirmari. Docet nihilominus hæc vocabula diſcerni, & primum eſſe nomen naturæ, ac pertinere ad amorem, ſecundum eſſe nomen poteſtatis, & ſpectare potius ad timorem. Denique *ex Dei vocabulo*, inquit, *ediſce quid diligas, ex Domini appellatione cognoſce, quid metuas.* Sic ipſe. *Init lib. 7. Orig. Lib. 1. differ. diff. 1.*

Nec verò putes, Diuũ Iſidorum ſibimet aduerſari, dum nomen Dei in vno libro ad timorem refert, & in altero refert ad amorem. Quia non timor ſerui, ſed timor filij exigitur à nobis erga Deum: timor autem filij amor eſt, etenim eò metuimus, ne Deus, qui pluſquam Pater à nobis diligitur, offendatur: itaque hoc eſt amare potius, quàm metuere. Domino viciſſim reſpondet ſerui timor, qui eſt metus timor, & pœnam offenſionis, non autem offenſionem ipſam Domini metuit. Itaque S. Iſidorus, id quod propriè eſt vterq; timor, exponit, dum *ex Dei vocabulo*, inquit, *ediſce quid diligas: ex Domini appellatione, cognoſce quid metuas.*

Suboritur tamen hic ea dubitatio, cur Iacob non etiam Deum vocauerit, timorem Abrahæ: ſicuti eum vocauit bis timorem Iſaac? præſertim quia ſimul de Patre, atque Auo meminit, in verbis illis, *Niſi Deus Patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet mihi: forſitan modo nudum me dimiſiſſes.* Reſponſio in promptu eſt: Abraham enim cum ſuperſtes non fuit, ſicuti ſuperſtes Iſaac erat, qui quamdiu viator foret, peccare poterat: vt neceſſe habuerit proinde traducere vitam in timore Dei: & eo timore, veluti fræno, curſum regere peregrinationis ſuæ. Deum omnes igitur qui viuunt, metuant amando, amentque metuendo. Deus etenim non timor ſolum eſt, ſed timor ſimul atque amor eſt. *verſ. 42.*

METAPHORA LXI.

Caſtra Dei ſunt hæc. Geneſ. cap. 32. verſ. 2.

DEVS periculis exercet ſemper, ſed tamen in ijs tuetur electos ſuos: vix Iacob euaſerat Laban ſocerum perſequentem, cum neceſſe habuit incurrere in Eſau fratris ſui agmen, qui Eſau ad ipſum veniebat, cum viris quadringentis. *Poſtquam ceſſauit*, inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *& finem habuit timor Laban, illeq; reuerſus in domum ſuam, & Iacob viam ſuam perrexit, excepit eum timor fratris. Propter hoc miſericors Dominus, animare iuſtum volens, & omnem eius metum diſcutere, fecit vt Angelorum videret caſtra, fueruntq; ei obuiam Angeli Dei.*

In c. 32. Geneſ. Hom. 58.

S. Hieronymus etiam, *pulchrè*, inquit, *ad fratrem iturus inimicum, Angelorum ſe comitantium, excipitur choris.* Abundat ſemper Dei conſolatio, ſupra iuſti tribulationem: vnus quippe Angelus erat ſatis, vt Iacob ab Eſau & copijs eius, imo ab exercitu quouis maximo defenderetur. Sed mittitur integra Angelorum expeditio, & eorum copioſa multitudo, vt non tueretur modo, ſed exhilaret, & honoret conſpectu ſuo famulum Dei. Hoc Rupertus Abbas notat, pro magnificentia viri factum eſſe: & aduertit, non dici iam apparuiſſe Angelos Iacob, quemadmodum alijs ſæpè accidit, ſed *fuerunt ei obuiam Angeli Dei: quod*, inquit ipſe, *inſigne ſonat victoris & emeriti, cui pro gloria triumphi, pompa cæleſtis obuiam procedens, feſtiua exceptione, lætum obſequium præbuerit.*

In quæſt. Hebr. ſuper Geneſ.

l. 7. Comm. in Geneſ. c. 2.

Tradunt Hebræi Angelos, Meſopotamiæ Præſides, iuſſu Dei fuiſſe comites Iacob, & in limitibus regionis occurriſſe Angelorum turmam aliam, eorum nempe, qui erant præſides terræ Chanaan: ab vtriſque vero ijs cælitum legionibus, quaſi ab exercitu Dei, ſtipatum fuiſſe Iacob, ſuccedentibus in vices oræ finitimę præſidiarijs, vt ſoſpitem eum reducerent. Hic porro comitatus militaris, congrua ab ipſo Iacob, caſtra Dei appellatur: qui Deus cùm ſit exercituum Deus, ſua (quod inde fit) habet caſtra, & ſuos habet in quauis mundi regione, præſidiarios.

Caſtra propriè loca ſunt, in quibus, circumducto aggerum & valli, exercitus munit ſe, & ſtatiua ſub tentorijs habet. Perinde iam Angeli præſides regionũ dicuntur caſtra Dei: quia, veluti ſtationarij milites diuerſas cuſtodiunt mundi prouincias: nec eis vigilantia, fides, fortitudo deeſt, quia ſunt nimirum

acies Dei. *Meritò Angelorum caſtra videbantur in terra*, inquit S. Ioannes Chryſoſt. *Nam ſicut imperatoris optima prouiſione vrbes omnes, vniuerſæ ciuitates, caſtella ſingula, manu militari, aduerſus hoſtilem muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incurſione deleantur. Ita & Deus, quoniam barbara, & agreſti mente, rabientes dæmones, ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum: vt eorum præſentia, dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia miniſtretur.* Serm. de Aſcenſione Domini.

Iacob itaque hæc Dei caſtra, in ſui præſidium miſſa, viderat, nec erat immemor promiſſionis diuinæ, fore videlicet, vt reduceret incolumem eum ex Meſopotamia. Nihilominus metuere adhuc viſus eſt, & ante miſſis legatis, muneribusque id conari, ſi quomodo placare, & conciliare ſibi poſſet Eſau fratrem ſuum. Præterea vxores, liberosque, cum gregibus, diuiſit in plures turmas, vt ſi vna periret, infortunium aliæ vitarent. Abulenſis ait, animum eius in fide haud quidem nutaſſe, ſed corporis infirmi ſenſus, metu perculſos in eo fuiſſe, & veluti periculo præſenti, pauefactos: ideoque ipſum iſthæc omnia humanitùs diſpoſuiſſe. S. Auguſtinus, Lyranus, & alij præclarum hinc potiùs virtutis, & Chriſtianæ ſolertiæ eruunt documentum, atque aſſerunt, eiuſmodi exemplo admoneri nos, vt quamuis credamus Deo, faciamus tamen, quæ facienda ſunt, pro ſalutis noſtræ ſecuritate, atque præſidio.

Deniq; has præparationes omnes, atq; hunc metũ, quo timuiſſe Iacob valde, & ſupplicaſſe Deo iterum, pro ſui liberatione perhibetur, ait idem S. Auguſtinus, ſtare poſſe cum eius fide conſtanti, erga diuinas promiſſiones. Quia euenire poterat, vt euerteret prius Eſau omnes turmas Iacob: & nihilominus, poſt afflictionem, Deus quidquid ei promiſerat, præſtaret. Quocirca hoc malum precibus declinari, & metui, veluti ſi eſſet futurum, potuit citra vllam fidei defectionem. *Quæri poteſt, quomodo habuerit fidem promiſſionis Dei*, inquit S. Auguſtinus, *quando quidem dixit, ſi venerit ad caſtra prima frater meus, & exciderit ea, erunt ſecunda in ſalutem. Sed etiam hoc fieri potuit, vt euerteret caſtra eius Eſau, & tamen Deus poſt illam afflictionem adeſſet, & liberaret eum, & quæ promiſit, impleret.* Poſtea ſubdit, *admonendi ſumus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen, quæ facienda ſunt ab hominibus, in præſidium ſalutis: ac prætermittentes ea Deum tentare videamur.* Quæſt. ſuper Gen. lib. 1. q 10.

Quæſtionem hanc eandem paulò altius tractauerat idem S. Auguſtinus, vtrum nimirum perturbationes huius generis cadere poſſint, in animum Sapientis: occaſione illius textus Scripturæ Sacræ, *circa ſolis autem occaſum, pauor irruit ſuper Abraham: & ecce timor magnus incidit ei:* Sic enim ipſe habet, quod in noſtra editione aliquantulum variatur. Ibi verò refert, ex Aulo Gellio, Philoſophum quendam, Adoleſcenti, luxurioſo, exprobranti in eadem naui, quod perturbatus fuiſſet ex metu tempeſtatis, ex qua ipſe nihil metuerat, reſpon- q 30. ibid. Gen. c. 15. verſ. 12. lib. 19. c. 1.

METAPHORA LVI.

Ad me intrabis; quia mercede conduxi te, pro mandragoris filij mei. Geneſ.c.30.verſ.16.

Mandragora ſtirpis genus eſt, cui ſolia lactucæ ſimilia, poma lutei coloris, inſtar nucis auellanæ, ſcriptores tribuunt. Semen intus veluti pyrorum eſt; radix vero diuiſa, in partes binas, non aliter quam crura humana, diuaricatur. Et fortaſſe ideo Mandragoram Columella ſemihominem, & Pythagoras Anthropomorphon, id eſt, humana effigie præditam vocauit. Circumforanei implexas, & coniunctas caulis eius partes, quaſi marem & fœmellam non eruunt, ſed formant ipſi, & ſculpunt, vt quæſtum apud vulgus faciant.

Cant.c.7.v.13. Baccas eius grati odoris eſſe, indicat illud, *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Stirps habet vim refrigerandi, & ſomnum conciliat ſicut papauer. Datur ijs, qui ſecandi à medicis, vel vrendi ſunt, vt ſopiti dolorem non ſentiant.

Dem. Philip. 1. Phil. lib. de vita contempla. Hinc dicebantur prouerbio ij mandragoram bibere, qui ſemper ceſſantes ſunt, & quodammodo indormiunt operi ſuo. Medici præterea, inter quos eſt Auicenna, mulieris vuluam, aiunt ad conceptum præparari mandragora. Elephas fœmina certè mandragoram quærere, dicitur quam vbi guſtauit, coeundi cupiditate accenſa ad marem properat, & mas vbi eam comedit, ardet libidine, ac fœminæ miſcetur.

Epiphan. in Phyſiol. Huius itidem radice alij tradunt philtrum parari, ſeu poculum amatorium. Itaque videntur Rachel in Geneſi, & ſponſa in Canticis mandragoram appetere, vel de ea meminiſſe ex deſiderio fœcunditatis, ſed an conferat vere ad eam, in nulla fœmina ſe ſcire experimentum, ait S. Auguſtinus, creditque proinde, tantopere Rachel eam concupiuiſſe, propter pomi raritatem, vel propter ſuauitatem odoris eius.

Rubens primogenitus ergo, egreſſus in agrum luſitans, mandragoras tulerat, & eas dederat Liæ matri ſuæ. Rachel earum deſiderio capitur, & cum gratis habere eas nequiret, cedit Liæ viri conſortium, quod nocte illa nouerat ſibi deberi. Tum Lia fit obuia Iacob reuertenti, *ad me*, inquiens, *intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* Videtur Iacob ab vxoribus, tanquam operarius, conduci: quia & *vir non habet poteſtatem ſui corporis: ſed mulier.* Hanc verò ſui poteſtatem Iacob vir iuſtus vxoribus fecerat ex æquo: ne in-

1. ad Co. c. 7

ter.

ter ipſas querimoniæ, liteſque orirentur. Miratur hanc temperantiam in eo Sanctus Auguſtinus, *Hic ille, inquit quem Fauſtus clauſis, vel potius extinctis oculis criminatur: ſi concupiſcentiæ non iuſtitiæ ſeruus eſſet: nonne per totum diem in voluptatem illius noctis æſtuaret; qua erat cum pulchriore cubiturus; quam certè amplius diligebat, pro qua bis ſeptennium laborem gratuitum penderat?* Et paulo poſt ſubdit *nonne placito contempto mulierum, intraret potius ad ſpecioſam ſuam: quæ illi noctem ipſam, non ſolum coniugis more, verum etiam ordinis iure debebat, vteretúrque ipſe potius poteſtate maritali: quia & vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.* *Itaque magis quid deberet, quam quid ei deberetur attendit Iacob: nec ira excanduit, quod ad minus decoram vocaretur, vel eneruiter blandus ratam ſibi noctem reddi poſtulauit.* Diſcant mariti continentiam, & ſciant; ſe vtpote ab vxore ſua conductos, diuertere ad alterius thorum non debere. En Iacob ſecubare à Lia poterat, vxore minus pulchra, & fortaſſe etiam turpi, vt cum alia pulchra degeret ſuauius: feciſſetque id honeſtè, feciſſet licitè, quia & Rachel eius erat vxor, nec Iacob pro eâ nocte obligauerat ſe Liæ. Manſit cum eâ tamen, exemplo vtique futurus, vt multo minus viri, qui vxoris vnius & vnius thori vrgentur lege, ſiue illecti pulchritudine aliena, ſiue adacti libidine propria, audeant migrare ad delitias non cōceſſas, & fidem coniugi datam fœminæ alteri proſtituere. Conſiderent vero ij, ſe à Lia, non ad Rachelem, hoc eſt ad iuſti thori vxorem, ſed ad cubile iniquitatis, atque adulterij lectum inuitari.

METAPHORA LVII.

Dotauit me Deus dote bona; eo quod ſex genuerim filios. Gen.c.30.verſ.20.

Lia ſexto puerperio læta, Deo acceptam refert fecunditatem ſuam, eamque optimæ inſtar dotis recenſet. Erat, vt dixi, ea ſola, & ſumma fœlicitas mulierum Hebræarum, vt nuptui datæ, domum viri exhilararent numero paruulorum, redderentque eâ ratione populum Dei numeroſiorem. Ideoque iuſtius expetebant Lia & Rachel, quoniam illi viro ſoboles dabant de cuius propagine tot inaudiuerant oracula diuina, diuinaſque promiſſiones. Lia igitur iam ſextum pariens, Deum auctorem agnoſcit dotis cuiuſdam eximiæ, quam tribuere parentum æraria nequeunt, & quam vir ipſe nullatenus poteſt niſi Deus ſit propitius, repræſentare: Quando ineuntur connubia, dos longe alia petitur, & modo fuerit diues puella, quæ ducitur,

citur, cætera non adeò magnopere curantur. Et tamen nullæ, viris opes magis pernicioſæ ſunt, quàm vxorum amplæ dotes. Etenim ſuperbiæ in vxoribus duo ſunt ſtimuli, dos & forma.

Quod ad primum attinet, Lycurgus apud Lacedæmones, Solon apud Athenienſes prudenter dotes omnes legibus ſuis in matrimonio abrogarunt. Sapienter etiam ſanxit Carthaginienſium legiſlator; vt dotem conferrent diuites, & vt eam acciperent pauperes, ſic enim inter ciues poſſe induci ſenſim, æqua patrimonia, exiſtimauit. Certè non virorum amori, ſed auaritiæ ſponſas nubere, interdum videmus, & quæri phaleratas vxores, quæ vtinam magis caſtæ, quam diuites ad ſecretum thalami venirẽt. Sica olim Africæ vrbs delubrum Veneris habuit, in quo matronæ & puellæ, ſi erant dote caſſæ, ſolebant prius, vt poſſent nubere, corpora ſua proſtituere. Itaque dos earum, erat pretium turpitudinis, & in caſtris Veneris merebant, priuſquam honeſtè collocarentur, atque adeo ſtipendia dedecoris faciebant, vt ſponſum auarum emerẽt. Faceſſant hi Barbari mores, & indecora ea neceſſitas eliminetur, dos magna vxoris eſt, modeſta indoles, intacta puritas, & prolis viro ſimillimæ fœcunditas. Cæterum hæc proles, dotis nomine à Lia merito circumſcribitur: quia dotis huius potiſſimum inuitamento ineuntur connubia: ſiquidem finis nuptiarum eſt, pignorum deſiderium, liberorumque ſuſceptio.

METAPHORA LVIII.

Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea. Geneſ. c. 30. verſ. 33.

Circumegerat ſe alterum ſeptennium, quo Iacob ſeruierat ſocero ſuo Laban, & eius finem coronauerat Deus, Dinæ partu ex Lia, & partu Ioſeph ex Rachel diu ſterili, hoc eſt illius, qui deliciæ vtriuſque parentis, flos pudoris & honeſtatis, ac miraculum prouidentiæ Dei habitus eſt. Dimiſſionem etiam rogauerat Iacob: ſed Laban inuitatus ex rerum ſuarum proſperrimo ſucceſſu, propter Iacob, cui ſemper fauerat Deus; rogauit vt ſeruiret adhuc ſeptem alios annos. Annuit Iacob: ſed mercedis loco petijt greges varios, & maculoſos, qui deinceps tertio illo ſeptennio orirentur. Poſtquam verò dixerat *gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere: & quodcunq; furuum, & maculoſum variumq; fuerit, tam in ouibus, quam in capris, erit merces mea,* ſubdidit ſtatim, *Reſpondebitq; mihi cras iuſtitia*

ſtitia mea. In Hebręo textu legitur, *& teſtificabitur cras iuſtitia mea.* Apud LXX. autē Interp. *& exaudiet me Iuſtitia mea in die craſtina*, hoc eſt, vt explicat S. Auguſt. *audiri me faciet Iuſtitia mea*, ſeu res erit eo ſucceſſu, vt tot maculoſi agni hædiq; naſcantur, quot exſoluere & æquare poſſint mercedem diuturni famulatus mei. Bernar. *nota*, inquit, *quā cōuenienter loquitur: cras mihi reſpondebit iuſtitia mea: hodie enim Iuſtitia colitur, cras reſpondebit, hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin, quod non ſeminauerit homo, nec metet.* Videtur autem his verbis explicare metaphoram, quaſi ab agro ſumatur, qui reſpondeat cultori, eà meſſis copiâ, pro qua ille ſeminauerat. Sic Lyricus poeta mendacij redarguit fundum qui Agricolæ deſideria non expleuerit, aliatq;, & diuerſas ſterilitatis cauſas velut ad patrocinium ſui, in medium attulerit;

Non verberatæ grandine vineæ
Fundusq; mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sydera, nunc hyemes iniquas.

Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea in ſcriptura ſacra non ſemper cras idē ſonat ac poſtridie: ſed vt notat S. Hieronymus, interdū etiam, pro quouis interuallo futuri tēporis vſurpatur: quemadmodum in præſenti textu excurrit ad omne tempus, quo expectauit Iacob, vt oues Laban ſoceri ſui fœtus ederent maculoſos, nimirum vſque ad decē vices, in quibus Laban ſemper mutauit pacta, modo pictos, modo vnius coloris agnos pro ſe petens, vti eos naſci feliciter, pro Generi voto, animaduertebat. *Ne cui autem, in ſex annis, decem pariēdi vices,* inquit S. Hieronymus *incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur, bis grauidæ pecudes: natura autē Italicarum ouium, & Meſopotamiæ, vna eſſe traditur.* Septuaginta Interpretes pro decem vicibus vertunt *decem agnis* hoc eſt decem temporibus, quibus ouiculæ pariunt agnos. *Nec mirum eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quod hæc decem tempora, nomine agnorum, appellauit, qui eiſdem temporibus naſcebantur, veluti ſi quiſquam diceret per tot vindemias, aut per tot meſſes, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde ait quidam, poſt aliquot ariſtas, per ariſtas videlicet meſſes, & per meſſes annos ſignificans.* Deinde ad illud, quod ex S. Hieronymo paulo ante referebamus. *Pecudum autem illius regionis fœcunditas, ſicut Italicarum, tanta fertur, vt bis in anno pariant.* Hæ verò potuerunt ſpatio ſexennij ſemel primo, ſemel poſtremo anno, quatuor vero medijs annis octies vterum geſtare. Nec dolo, aut noxiæ fraudi adſcribi poteſt, quod ad Iacob, conſilium virgarum verſicolorum, ex quibus in aqua merſis picti vellere agni, atq; hœdi concipiebātur: quia hoc didicerit fortaſſe ex Angeli magiſterio vt iuſtæ mercedis compenſationem ijs artibus conſequeretur. Quod ſi vltra eam mercedem locuples factus eſt, non minus iam Deus cum ipſo, quàm in Aegypto deinde cum poſteris ipſius diſpenſauerit.

Quæſt. Hebraicæ in Geneſ.

Quæ. ſuper Ge. l. 1. q. 95

METAPHORA LIX.

Non dimiſit eum Deus, vt noceret mihi.
Geneſ. c. 31. v. 7.

FAuerat colori Iacob ſemper Deus, tametſi Laban, non optima fide, mutaret notas mercedis ipſius. *Nam quando dixit variæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oues varios fœtus: Quando vero è contrario, ait, alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt* Hinc inuidiæ magnæ factus eſt locus cum opes Generi creſcerent; & Soceri, ac filiorum eius anguſtæ admodum redderentur; vt autem

Ouid. l. 1. de *Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,*
Vicinumque pecus grandius vber habet.

verſ. 2. Iacob breui aduertit *faciem Laban, quod non eſſet erga ſe, ſicut heri, & nudiuſtertius.* neue à parentis vitio filij ceſſarent, audiuit verba filiorum Laban dicentium:
Verſ. 1. *tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus eſt inclytus.* Vt conſilia iniret igitur, aduerſus eandem inuidiam, quam in ſe armari impotenter, ſatis intelligebat, & vt de fuga ſtatueret, Rachel & Liam in agrum, vbi paſcebat greges deuocauit, & de Laban apud eas iuſtis querimonijs Iacob indoluit, qui nimirum quotidie à ſe fieret alienior, & circumuenire ipſum, mutandoque vices parientium ouicularum, fraudare mercede ſæpius promiſſa, niteretur. In qua re *non dimiſit eum Deus*, inquit, *vt noceret mihi.*

Ea locutio videtur nobis proponere ob oculos Deum, qui cum homine inuido agat, quaſi Rector alicuius moloſſi, quem rabies proritet in cicurem aliquam belluam, ſymbolum inuidiæ canis ſemper fuit, & ab eo allatrandi famam alterius, mordendi, lacerandique excellentium hominum virtutes, vocabula ſunt accepta, atque ad inuidos translata. Ideo forìaſſe non omnino incongrua metaphoræ huius videbitur expoſitio. Enimuero perturbationes, atque ægritudines animi omnes, veluti moloſſi, aut feræ ſunt, quæ nos in aliorum perniciem ſimul, & in propria nocumenta ſæpè agunt præcipites. Tunc verò nocemus, vel ſecus, cum aut lorum ſoluit Gubernator omnium Deus; aut lorum retinet, eoque nos cohibet, & non dimittit nos, vt noceamus. Illud autem diuina permiſſio patitur, & hoc miſericordia Dei operatur in nobis. Vt ſane diuus Auguſtinus, merito agnouerit; nos peræquè obligari Deo, propter mala, quæ ita dementer ab ipſo cohibiti, non agimus, atque

atque obligamur ei propter bona, quæ agimus ex ipſius ope, atque adiumento.

Haud ſciam, inquit Cicero, *an acerrimus longè ſit omnium motus inuidia.* Alibi 2. *De orat.* ait, eiuſmodi verbum ductum eſſe, à nimis intuendo fortunam alterius: & idcirco Iacob ſapienter de abitu ſuo, & de reuerſione in terram Chanaam deliberat, vt oculis inuidi Laban ſubtrahat greges ſuos, quos intuitu æquiore aſpicere amplius iam ille non poterat. Porrò inuidiam in oculis potiſſimum verſari, aut in eis naſci, notatio ipſa nominis declarat, & lepidè in rem noſtram Poëta quidam ingenioſus Neapoli (cum adeſſet Regi medicos conſulenti, vt viſum hebetem, ac ſenſum deficientem in ſe, remedio aliquo acuerent, augerentque) ſententiam dixit, ac remedij loco inuidiam propoſuit, quæ vtique viſum augeat, & grandiora ſemper oculis noſtris, quæcumque alij poſſident, ſubſtituat. *Sannazarius.*

Ioco eam Regi tamen ſuaſit; quia inuidere viles animæ dumtaxat, Reges potius atque Heroes inuidiam pati ſolent. Hinc apud veteres Hydram, aiunt fuiſſe inuidiæ typum, monſtrum videlicet natum in humili, ſordido, & paluſtri loco, ſicut Ouidius etiam in vallibus imis inuidiam ideo morari ſcripſit. Hercules verò in monſtri nullius rabie domanda, quam Hydræ, ſeu inuidiæ magis laborauit, vt fabulæ perhibent, & tum eâ extinctâ, velut inuidiâ maior euehi meruit ad Deos. Sorores demum Copia & Inuidia dictæ fuerunt, quia ſemper ſimul naſcuntur: & Iniuſtitia ijs quaſi nutricibus tradita fuiſſe perhibetur: quando ex Nocte atque Erebo ſata primum eſt: quia conſtat ex copia vnius, & ex inuidia alterius inter homines ſemper iniurias, rapinas, lites, iurgia & odia ſuſcitari.

METAPHORA LX.

Iurauit Iacob, per timorem Patris ſui Iſaac. Geneſ. cap. 31. verſ. 53.

ABiuerat Iacob è ſoceri domo, cum vxoribus, filijs, & gregibus ſuis. Socer inſequutus abeuntem fuerat, ſed incuſtoditum generum in via non reperit. Deus enim, famulo ſuo, proficiſcenti in Meſopotamiam, promiſerat tutum reditum, ad terram Chanaan, cum dixit, *Ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc*: iam vt oſtenderet, latus eius à ſe tegi, & haud negligi cuſtodiæ pro- *Geneſ. c. 28. verſ. 15.*

vers. 24. milleſ vices, noctu apparuit Laban, & *caue*, inquit, *ne quidquam aſpere loquaris, contra Iacob*. Itaque ad colloquium potius cum eo venit, fœdus atque amicitiam iniuit, & tunc ad huius fœderis confirmationem, *iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac*. Noua eſt hæc iurandi formula: neque antehac ab Iſaac, Abraham, aut Patriarchis viſitata.

Ex Rabbinis aliqui exiſtimant, iuraſſe Iacob per timorem illum, quem expertus eſt Iſaac parens eius, quando ſub Abrahæ gladio, immolandus ſtetit. Abulenſis verò reijcit hanc eorum interpretationem, nam eum timorem fuiſſe naturalem, ait, atq; adeo adſcribi merito, ſeu laudi non debere. Quanquam ſi timor ſanctus intelligatur, & reuerentia Iſaac, vel erga Parentem ſuum Abraham, erga quem factus fuerat obediens etiam ipſe vſque ad mortem, vel erga Deum, cuius tam difficili præcepto obſequi ſtatuerat: enimuerò dignus timor ille poterit videri, per quem iurauerit Iacob: fuit enim inſignis quædam obedientia, longè Deo gratior victimis, quas vnquam, aut Abraham, aut Iſaac inmolauerunt.

Arbitrantur alij, Iacob per timorem iuraſſe, quo ipſe Patrem ſuum Iſaac reuerebatur. Symbolum enim quoddam eſt religionis, filiorum pietas atque honor erga Parentes: & ideo per eiuſmodi timorem iuramenta ritè videntur interponi. Quocirca eſt ſatis idonea hæc explicatio, & illuſtre admodum exemplum præbet obſequij erga Patrem in filio: quia & ipſe iam Paterfamilias erat, turmamque liberorum circa ſe aſpiciebat, ætate autem prope centenarius tum fuit, nam erat annorum LXXVIII. cum in Meſopotamiam conceſſit, vbi annos XX. moratus, iam biennium ſolum, ad annorum centuriam deſiderauit. Si Iacob igitur, in vnius ferme ſeculi ætate, Patrem ſuum Iſaac tam ſanctè coluit, vt non alijs conceptis verbis, quàm per timorem eius, iuramentum, in hoc Soceri fœdere nuncuparit: quàm præclarè nos inſtruit fatendum eſt, vt proprios parentes perinde, non paruuli modò, ſed etiam adulti, & in omni vita, colamus!

Notabile item in hac materia, obiter videtur, ſimile Rachelis obſequium erga Laban, quem etſi auarum, difficilem, imo nec iuſtum, nec pium, vtpote Idolorum cultorem, Patrem tamen, coluit ipſa tantoperè, & ſcrutanti omne tentorium, inueniendi cauſa Idola, quæ ſubter cameli ſtramenta occultauerat, dixerit, *ne iraſcatur Dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo, quia iuxta*
vers. 35. *conſuetudinem fœminarum, nunc accidit mihi*. En filia, Domini appellatione honorifica, Patrem compellat, atque adeo excuſat, quòd intranti non aſſurgat, ſolita nimirum, eo ſemper cultu, patrem revereri. Vſque adeo Iacob coniuges ſuas condoceſecerat, & ad morem ſuum, in hac parte quoque, illas inſtituerat.

Iurauit Iacob per timorem Patris ſui Iſaac. Tertia, & maximè omnium conſentanea,

ſentanea, huius iuramenti explicatio ſupereſt: qua creditur Iacob iuraſſe, per timorem Iſaac, hoc eſt, per illum ipſum Deum, in cuius timore caſto, ſanctoque Pater ipſius Iſaac viuebat. *Quid eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quod Iacob iurauit, per timorem Patris ſui Iſaac? per Deum vtique, quem timebat Iſaac Pater eius. Quem timorem etiam ſuperius commendauit, cum diceret, Deus Patris mei Abraham, & timor Patris mei Iſaac.* Hoc idem ſentiunt Rupertus Abbas, Abulenſis, Caietanus, & Oleaſter: qui notat, ab Hebræis Deum vocari aliquando pauorem, propterea quod maximè ſit metuendus. Conijcit etiam idem Auctor, id haurire à Chaldæis Hebræos potuiſſe: qui frequentiſſimè Deum ita nominabant. *Quæſt. ſuper Geneſ. q. 100.*

S. Iſidorus, *Deus*, inquit, *Græcè θεὸς dicitur, quaſi δέος id eſt timor: vnde tractum eſt nomen Dei, quod eum colentibus ſit timor.* Alibi verò idem S. Iſidorus tradit, in appellatione Dei, Patrem, in appellatione Domini, filium ab aliquibus intelligi. Sed ait in ſacra Scriptura vtrumque, & Deum, & Dominum affirmari. Docet tamen Dominus hæc vocabula diſcerni, & primum eſſe nomen naturæ, ac pertinere ad amorem, ſecundum eſſe nomen poteſtatis, & ſpectare potius ad timorem. Denique *ex Dei vocabulo*, inquit, *ediſce quid diligas, ex Domini appellatione cognoſce, quid metuas.* Sic ipſe. *Init lib. 7. Orig. Lib. 1. differ. diff. 1.*

Nec verò putes, Diuũ Iſidorum ſibimet aduerſari, dum nomen Dei in vno libro ad timorem refert, & in altero refert ad amorem. Quia non timor ſerui, ſed timor filij exigitur à nobis erga Deum: timor autem filij amor eſt, etenim eò metuimus, ne Deus, qui pluſquam Pater à nobis diligitur, offendatur: itaque hoc eſt amare potius, quàm metuere. Domino viciſſim reſpondet ſerui timor, qui eſt merus timor, & pœnam offenſionis, non autem offenſionem ipſam Domini metuit. Itaque S. Iſidorus, id quod propriè eſt vterq; timor, exponit, dum *ex Dei vocabulo*, inquit, *ediſce quid diligas: ex Domini appellatione, cognoſce quid metuas.*

Suboritur tamen hic ea dubitatio, cur Iacob non etiam Deum vocauerit, timorem Abrahæ: ſicuti eum vocauit bis timorem Iſaac? præſertim quia ſimul de Patre, atque Auo meminit, in verbis illis, *Niſi Deus Patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet mihi: forſitan modo nudum me dimiſiſſes.* Reſponſio in promptu eſt: Abraham enim tum ſuperſtes non fuit, ſicuti ſuperſtes Iſaac erat, qui quamdiu viator foret, peccare poterat: vt neceſſe habuerit proinde traducere vitam in timore Dei: & eo timore, veluti fræno, curſum regere peregrinationis ſuæ. Deum omnes igitur qui viuunt, metuant amando, amentque metuendo. Deus etenim non timor ſolum eſt, ſed timor ſimul atque amor eſt. *Verſ. 42.*

acies Dei. *Meritò Angelorum caſtra videbantur in terra*, inquit S. Ioannes Chryſoſt. *Nam ſicut imperatoris optimi prouiſione vrbes omnes, vniuerſæ ciuitates, caſtella ſingula, manu militari, aduerſus hoſtilem muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incurſione deleantur. Ita & Deus, quoniam barbara, & agreſti mente, rabientes dæmones, ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum: vt eorum præſentia, dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia miniſtretur.* *Serm. de Aſcenſione Domini.*

Iacob itaque hæc Dei caſtra, in ſui præſidium miſſa, viderat, nec erat immemor promiſſionis diuinæ, fore videlicet, vt reduceret incolumem cum ex Meſopotamia. Nihilominus metuere adhuc viſus eſt, & ante miſſis legatis, muneribusque id conari, ſi quomodo placare, & conciliare ſibi poſſet Eſau fratrem ſuum. Præterea vxores, liberosque, cum gregibus, diuiſit in plures turmas, vt ſi vna periret, infortunium alię vitarent. Abulenſis ait, animum eius in fide haud quidem nutaſſe, ſed corporis infirmi ſenſus, metu perculſos in eo fuiſſe, & veluti periculo præſenti, pauefactos: ideoque ipſum iſthæc omnia humanitùs diſpoſuiſſe. S. Auguſtinus, Lyranus, & alij præclarum hinc potiùs virtutis, & Chriſtianæ ſolertiæ eruunt documentum, atque aſſerunt, eiuſmodi exemplo admoneri nos, vt quamuis credamus Deo, faciamus tamen, quæ facienda ſunt, pro ſalutis noſtræ ſecuritate, atque præſidio.

Deniq; has præparationes omnes, atq; hunc metũ, quo timuiſſe Iacob valde, & ſupplicaſſe Deo iterum, pro ſui liberatione perhibetur, ait idem S. Auguſtinus, ſtare poſſe cum eius fide conſtanti, erga diuinas promiſſiones. Quia euenire poterat, vt euerteret prius Eſau omnes turmas Iacob: & nihilominus, poſt afflictionem, Deus quidquid ei promiſerat, præſtaret. Quocirca hoc malum precibus declinari, & metui, veluti ſi eſſet futurum, potuit citra vllam fidei defectionem. *Quæri poteſt, quomodo habuerit fidem promiſſionis Dei*, inquit S. Auguſtinus, *quandoquidem dixit. ſi venerit ad caſtra prima frater meus, & exciderit ea, erunt ſecunda in ſalutem. Sed etiam hoc fieri potuit; vt euerteret caſtra eius Eſau, & tamen Deus poſt illam afflictionem adeſſet, & liberaret eum, & quæ promiſit, impleret.* Poſtea ſubdit, *admonendi ſumus hoc exemplo. vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen, quæ facienda ſunt ab hominibus, in præſidium ſalutis: ne prætermittentes ea Deum tentare videamur.* *Quæſt. ſuper Gen. lib 1. q 100.*

Quæſtionem hanc eandem paulò altius tractauerat idem S. Auguſtinus, *q 30. ibid.* vtrum nimirum perturbationes huius generis cadere poſſint, in animum Sapientis: occaſione illius textus Scripturæ Sacræ, *circa ſolis autem occaſum, pauor irruit ſuper Abraham: & ecce timor magnus incidit ei*: Sic enim ipſe habet, quod in *Gen. c. 15. verſ. 12.* noſtra editione aliquantulum variatur. Ibi verò refert, ex Aulo Gellio, Philoſophum quendam, Adoleſcenti, luxurioſo, exprobranti in eadem naui, *lib. 19. c. 1.* quod perturbatus fuiſſet ex metu tempeſtatis, ex qua ipſe nihil metuerat, re-

reſpondiſſe: ideò minimè perturbatum eum fuiſſe, quia nequiſſimæ animæ ſuæ, nihil timere deberet. quod nec digna eſſet, pro qua aliquid timeretur. Ceteris autem expoſuit, ſolum eas perturbationes faceſſere debere ex animo ſapientis, quibus Ratio nimirum cederet, non eas, in quibus Ratio eadem triumpharet.

METAPHORA LXII.

Ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. Gen.cap.32.verſ.24.

Traiecerat noctu Iacob, cum vxoribus & liberis vadum Iaboc, dum verò manet ibi velut in excubijs, ſolus, momentò arripit eum ignotus quidam Athleta, inſertisq; lacertis, ſtringere, premere, atque ad terram eum dare connititur. Non fuit lucta celebrior in terris, & cuius maior apud poſteros manſerit fama, vel admiratio. Hebræi exiſtimarunt, Angelum cuſtodem Eſau, in hac lucta congredi voluiſſe cum Iacob: eo fine videlicet, ſi quomodo poſſet impedire, ne is adiret primogeniti Eſau benedictiones. Sic memorant ad dies viginti
Dan.c.10 & vnum, Angelum Principem Perſarum, reſtitiſſe Archangelo Gabrieli, Iudæorum tutelari, dum ij erant in captiuitate Babylonica. Sed hæc eorum opinio cum Hiſtoria Sacra nullatenus congruit: ſiquidem hæc lucta facta eſt potius, vt ipſe Iacob aduerſum Eſau redderetur impauidus. Quocirca ſi Angelus aliquis committi cum Iacob debuit, videatur fuiſſe potius cuſtos Angelus ipſiuſmet Iacob: quemadmodum rectius Auctores alij opinantur.

S. Ioannes Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, & S. Hilarius aſſerunt, Deum luctari cum iuſto voluiſſe: non eo ſolum conſilio, vt Iacob liberaretur à metu Eſau, ſed vt aliquid ſublimius multo, iam tum veluti in ſcenam daretur. Egre-
Lib.5. de Trinit. giè ſanctus Hilarius, *Adeſto nunc mecum,* inquit, *fidei tuæ ſpiritu, aduerſus venenata infidelitatis ſibila, Sancte, & Beate Patriarcha Iacob. & in lucta hominis inualeſcens, benedici te ab eo fortior deprecare. Quid iſtud eſt, quod imbecillum oras, quod ab infirmo exſpectas? Hunc cuius benedictionem rogas, complexu tuo validior eludis. A geſtis corporis tui, mentis tuæ opus diſsidet, aliud enim, quam agis, ſentis. Teneſ in geſtu luctæ tuæ hominem infirmum, ſed hic tibi homo Deus verus eſt, non ex nuncupatione, ſed ex natura. Nec homo efficit, quin qui homo eſt, Deus ſit: nec qui Deus eſt, non verus Deus eſt. Quia non poteſt non Deus verus eſſe, qui Deus eſt* Sic ipſe agnouit feliciſſimè, in hoc ſym-
bolo

bolo infirmi Dei, Myſterium Sacroſanctum Incarnationis, & in vno atque eodem ſimul Dei maieſtatem, quam adorauit Iacob, ſimul hominis infirmitatem, quam Iacob ſuperauit.

S. Auguſtinus in hoc, etiam ipſe Chriſti Domini typum ait, clarè apparuiſſe. Quod luctante, præualuerit Iacob, myſterium id paſſionis fuiſſe, in qua Iacob, hoc eſt Iudæi, poſteritas eius, cum Deo quaſi cum infirmo, ſeu cum eius carne, atque humanitate luctam inierunt, & inualeſcere viſi ſunt, cum clamarent, *Crucifige, Crucifige eum.* Benedictionem tamen ab eo quem ſuperauerant, impetrarunt: nempe Iſraelitæ illi, qui Ieſum Chriſtum crediderunt. Addit vero, in iis Iſraelitis perfidis Iacob manſiſſe claudum.

Præualuit Iacob Chriſto. inquit S. Auguſtinus, *vel potius præualere viſus eſt, per eos Iſraelitas, a quibus Crucifixus eſt Chriſtus: & ab eo tamen benedicitur in iis Iſraelitis, qui crediderunt in Chriſtum: in quibus erat, qui dicebat: nam & ego Iſraelita ſum, ex genere Abraham, de tribu Beniamin. Vnus ergo atque idem Iacob, & claudus, & benedictus claudus in latitudine femoris, tamquam in multitudine generis, de quibus dictum eſt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis: benedictus autem in eis, de quibus dictum eſt, reliquiæ, per electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt.* Quæſt. ſuper Gen. lib. 1. q. 104. Epiſt. ad Rom. c. 11. verſ. 1. Pſ. 17. v. 46. Epiſt. ad Rom. c. 11. verſ. 6.

Ceterum meminit ſanctus Auguſtinus de femoris latitudine, qua ſignificari generis multitudinem ait: quia apud Septuaginta Interpretes vir ille luctator dicitur tetigiſſe latitudinem femoris Iacob, ſeu cauum os, in quo femur voluitur, & quod ab aliquibus cauus neruus appellatur: eo autem contactu emarcuit, videlicet excuſſus eſt, & loco ceſſit. Exclamat Diuus Bernardus; *O quanto ſalubrius, & tactum Angeli, neruus femoris Iacob emarcuit, quam Angeli ſuperbientis intumuit, euanuit, ruit! Vtinam & meum neruum Angelus tangat, vt marceſcat: ſi forte ex hac infirmitate incipiam proficere: qui ex mea firmitate non poſſum, niſi deficere. Lego profecto, quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Pulchra ſanè, vtiliſque admonitio, & conſentanea cœleſti oraculo illi; *virtus in infirmitate perficitur.* Tract. de Grad. Humil. 1. Cor. c. 1. verſ. 25. 2. Cor. 12. verſ. 9.

Vt ad ſenſum hiſtoricum redeam, ſiue luctatus cum Iacob ipſe Deus fuerit, qui omnipotens eſt, ſiue, aliquis Angelus, qui debet cenſeri admodum potens, cum vna nocte, ſtrauerit, in caſtris Sennacherib Regis Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia: quomodo eorum alteruter tamen 4. lib. Reg. c. 19. v. 35. in hac lucta, Iacob, non Aduerſarium iuuenem, viribus pollentem, ſed hominem fermè centenarium ſuperare non potuit? Scire oportet, quoties circa res materiatas Angeli agant, ſua omni eos potentia non vti, nec agere, quantum innata vis eorum ferret, ſed pro conatu, & pro menſura virium, cum qua Deus permittit eis vt operentur. Itaq; hac vice Deus voluit ab Angelo, corpus abſumi, ſolum ea mole ac robore, cui poſſent vires corporis Iacob præualere.

Qua-

Quare inſtructus eiuſmodi corpore, & virtute quaſi temperata, Angelus, potuit vero experimento deprehendere, ipſum Iacob à ſe in luctâ non potuiſſe ſuperari. Perinde in aſſumpto corpore, dicendus erit Deus, cum Iacob voluiſſe luctari, nec tamen vincere, ſi præluſit in lucta ipſemet myſterio, quod ſuſcepto vero corpore aliquando, Deus, & homo, pro ſalute mundi erat repræſentaturus.

Interim vir dicitur luctari, qui tamen præter ſpeciem viri fictam ex aëre, nihil viri habebat, ſed maior erat naturâ, & omnimodâ conditione, ſiue is fuerit Angelus, ſiue Deus. In luctæ modo deinde ſe habuit, quemadmodum aliquis Athleta, qui aduerſarium niſu corporis nequeat proſternere, & ſuppleat aſtu id, quod viribus deeſt, atque innexu tibiæ illum euertat. Cùm enim nequiret aduerſarium ſuum Iacob deturbare, conatus eſt femoris luxatione, eum deijcere. Stetit Iacob interim, & victoriæ elogium illud audiuit; *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra hominem præualebis?* Adeptus eſt etiam nouum nomen, ac iuſſus eſt, non vocari amplius Iacob, ſed Iſrael. Exponunt aliqui Etymologiam huius nominis, vt ſit idem, ac vir videns Deum, ſeu mens videns Deum. Sed eſſe violentam hanc interpretationem ait S. Hieronymus. *Quamuis grandis auctoritatis ſint, & eloquentiæ*, inquit, *& ipſorum vmbra vox opprimat, qui Iſrael virum, ſiue mentem videntem Deum tranſtulerunt: nos magis Scripturæ, & Angeli, vel Dei, qui ipſum Iſrael vocauit, auctoritate ducimur, quam cuiuſlibet eloquentiæ ſecularis.* Nimirum hæc mutati nominis ratio & veluti ſignificatio in textu affertur: *ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Non vocabitur nomen tuum ſupplantator*, inquit idem S. Hieronymus; *hoc eſt Iacob, ſed vocabitur nomen tuum, Princeps cum Deo, hoc eſt Iſrael. Quomodo enim Princeps ego ſum, ſic & tu qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis.*

verſ. 28.

Quaſt. Hebraic. in Gē.

verſ. 28.

Ibidem.

Non ideo tamen ſuperbia elatus Iacob eſt, ſed accepit duntaxat omen ſecuritatis, contra minas aut inſidias fratris Eſau: dum præualuit in lucta cum Deo potentiori, quam ſit Eſau, vel quiſpiam vllus homo. Idcirco vt conſtaret, ipſum non ideò ſuperbire, in parte agri, quem emit centum agnis, iuxta oppidum Sichem, erexit altare, *& inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.* Qua nimirum tacita profeſſione Deum longè fortiorem eſſe, quam ipſe ſit, deprædicauit: etſi tum in certamine ludicro, aduerſus Dei vim temperatam, & ſponte modicam, præualuerat.

METAMORPHOSIS

METAPHORA LXIII.

Dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Gen.cap.34.verſ.2.

IAcob genitor, Lia genitrix, tres aliæ domi matres, & vndecim fratres, vnam Dinam, illi filiam, hi ſororem, natam & educatam in familiâ ſanctâ, non ſatis cuſtodire potuerunt, aut impedire, quo minus dedecus pateretur. Sed dum illa curioſior, quam par, & fas virgini fuerat, vagatur, prius corrupta, quam nupta, exemplum poſteris dedit: vt diſcant Adoleſcentulæ, quas domeſtici permittunt liberè vagari, a ſe pudicitiam quidem domo efferri, interdum tamen eandem ad domeſticos non referri. *O Dina,* inquit S. Bernardus, *quid neceſſe eſt, vt videas mulieres alienigenas, qua neceſſitate, qua vtilitate, an ſola curioſitate? Etſi tu otioſè vides, ſed non otioſe videris. Tu curioſè ſpectas, ſed curioſius ſpectaris. Quis crederet, tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem, fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuis, hoſpibuſq; tam perniciosam.* De Grad. Humilit.

Eant nunc parentes, & credant facilè, filias foris pudicas diu verſari poſſe, quando præſertim exeunt, non vt videant mulieres regionis, ſed vt viros inuitant, eoſque interdum amaſios, vt colloquantur, vt commeent, vt tripudient, & propemodum licentiæ tantundem vſurpent, quantum nuptas vix deceret? Audient ſæpè etiam ipſi, triſtes nuncios, ſuaſque (nec vi modò, ſed ſponte) opprimi virgines, ſerò nimis lamentabuntur: certè vti domus Iacob ſancta, domus ipſorum non eſt.

Dormiuit cum illa, vi opprimens virginem: inuſitata hæc eſt, at propria tamen Scripturæ Sacræ locutio. Nam compreſſas in ſtupro virgines in Liuio, & in alijs Latinis Auctoribus legi, ſed nunquam oppreſſas. Videlicet Diuinus Auctor grauem iacturam virginitatis, non credidit exprimi poſſe vocabulo magis idoneo, quàm ſi eam oppreſſioni compararet. Enimuerò anima, & honeſtas, & fama puellę opprimitur penitus, quando virginitas, eius flos pulcherrimus, carpitur extra occaſionem matrimonij, & quidquid gaudij habuit, excutitur id, ac perit, nec fructum adfert lætæ ſobolis, ſed pudendæ. Triſtis, & mœroris compos Dina experta id fuit, dum ſolatium quærens pudicitiæ iam verſ.3.
libatæ, ac decerptæ, neceſſe habuit, blanditijs neſcio quibus à Sichem, in ſtatu eo mœſtiſſimo, deliniri.

Similis mœſtitia fuit Thamar ſororis Abſalon: quam Amnon primogenitus Dauid pariter dicitur oppreſſiſſe. Quamquam Scriptura Sacra ibi vtitur etiam ordinario vocabulo violandi, quod virginem vitiari ſignificat ſatis cõgruè. Nam puella, quamdiu manet virgo, & quaſi viola verecunda, quæ caſtũ odore afflet, ita vt à violendi, vel per antiphraſim, quaſi minime violanda, etiam ipſa promereatur appellatione violæ. Sed enim ſi premat eam impudica vis, tunc videlicet, quaſi flos conteritur, nullusq; caſtitatis odor, nullus honeſtatis color, nullus honor amplius in ea ſupereſt. In noſtra editione legitur, *vt opprimens eam:* In Hebræo textu tamen, in Chaldaica paraphraſi, & apud Septuaginta Interpretes, loco eius dictionis, hæc habetur. *humiliauit eam.* Excelſa, & intima res naturæ cœleſtiũ, virginitas videtur; nã qui in cœlo viuũt, *neq; nubent, neq; nubentur.* Sed puella cum ei virginitas detrahitur, in ima & humilia deprimitur, & re ipſa opprimitur. Quippe omnes honeſti reſpuũt eam: ſolique incontinentes homines, non vt ſponſam quidem, ſed vt vile ſcorrum, eam deſiderant. Ideò Simeon & Leui, paulò poſt increpiti à parente, reſponderunt. *Nunquid, vt ſcorto, abuti debuêre ſorore noſtra?* *Verſ. 31.*

Videtur verò ignobilis deinceps manſiſſe Dina, cum de ea mentio nuſquã amplius fiat in Hiſtoria Sacra. Et quamuis Philo Iudæus ſcribat, eam S. Iob fuiſſe nuptui datam, Chronologiæ id parum congruit. Sicut etiam parum fuiſſet conſentaneum gloriæ viri tam inclyti, & qui dicitur fuiſſe magnus inter omnes Orientales, ac fortaſſe etiam Rex, connubio ſibi iungere mulierem ab alio compreſſam, & cui infamia publica dedecoris adhæſerat. *Iob c. 1. v. 3.*

Poſt hæc ſucceſsêre clades, & ſacrilegia, dum Simeon, & Leui, ſacro ritu circumciſionis abuſi ſunt, & ea ſpecie Religionis, incautos Sichimitas neci dederunt. Cauſa interim mali tanti, partim fuit iuuentus in Sichem Adoleſcente, qui vitijs, & licẽtia filium Principis agebat, vt merito dicat S. Ioannes Chryſoſt. *Vidiſtis quantum ſit iuuentus malum, quando recta rationis freno caret? vidit enim Sichem virginem, & totus propter aſpectum captiuus factus eſt, & concupiſcentiam opere cõpleuit:* partim fuit Dinæ curioſitas, quæ caſta diu nequit eſſe. quia *libido,* inquit S. Iſidorus, *tunc magis quæritur, dum videtur: nam ſicut quidam Sapiens ait: prima fornicationis oculoru n tela ſunt, ſecunda verborum.* *In c. 34. Gẽ. Homil. 59.* *Senten l. 2. cap 39.*

METAPHORA LXIV.

Et conglutinata eſt anima eius, cum ea.

Geneſ. cap. 34. verſ. 4.

POſtquam Dinã abuſus fuerat Sichem, adeo adhæſit amori eius, quaſi vtramque iam animam glutinum aliquod, nexu magno alligaret. Dædalũ iuue-

inueniſſe, aiunt, glutini vſum (vti faber erat) pro annexu rei materiatæ: ſed nectendis animis glutini vim aliam potentiorem inuenit Amor, Dædalo ingenioſior. Hoc autem vel tum in vſu fuit, quando primi thalami Pronubus & Antiſtes Deus, de noui mundi ſponſis Adam & Eua, dixit; *erunt duo in carne vna*; itaq; iam tum amor animos conglutinauit. Quod ad Sichem, & Dinam attinet, loco huius tropi, eſt in Hebræo codice vocabulum ותדבק *tidbach*: ſignificat verò idem, ac ſi diceretur, vehementer eam adamauit, ex qua nimirum amoris vehementia, factum eſt: vt quaſi glutino adhærens illi, nec diſſociari vnquam cupiens, ſponſam eam ducere deliberauerit, quò ita duo eſſent in carne vna.

Glutini hanc vim, retinendique ac nectendi poteſtatem in ſymbolis ſuis, Cupidini veteres minimè tribuerunt. Alę potiùs in eo, celeres motus, inſtabileſque mores figurarunt: niſi alatum ideò fuiſſe Cupidinem, interpretemur, vt argumento id eſſet, eum etiam ad alta niti, & ex æquo Regum turres frequentare, ac pauperum tabernas. Cœlum ipſum, aiunt, petere auſum ijs alis aliquando fuiſſe: ſed inde pulſum: quia rixas, & diſſenſiones inter Diuos ſerere ſtatim cœperat, ac relegatum ad homines multo Dijs imprudentiores, & inter quos poterat ſecurius diſcordias & bella ſuſcitare. Ne autem rurſus in cœlum è terris prouolaret, plumas demum ei reciſas fuiſſe: ſed amor hic vagus, vagam, & ſemper damnatam libidinem repræſentauit. Amor coniugum ille eſt, qui ſolus glutini vim habet, duoſque coniungit, quos homo non ſeparet. Idcirco in ſpem matrimonij anima Sichen agglutinata eſt animæ Dinæ, & pergens ad Hemor Patrem ſuum, *accipe*, inquit, *mihi puellam hanc coniugem.*

In libro Deuteronomij metaphorica eadem hæc locutio ipſi Deo, & eius erga populum Iſrael amicitiæ accommodatur. Verba Sacri Scriptoris hæc ſunt; *En Domini tui cœlum eſt, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea ſunt, & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitq; ſemen eorum, poſt eos, id eſt vos, de cunctis gentibus.* Magna enimuerò Dei erga homines dignatio eſt, & iam intelligitur, quid fuerit illud amoris priuilegium; *Nulla natio habet Deos ita appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Conglutinatus erat populo Iſrael, abeſſe non poterat, implexus, & innexus funiculis Adam, & vinculis charitatis. Cap. 10 verſ. 15.

Eam ob cauſam felicior multo fuerit populus Iſrael, quam populus Romanus: apud quem fortuna, nomine viſcatæ, celebratur: quaſi conſtans, atq; perpetua, viſcoque, & glutino ea Romano Imperio eſſet alligata. Sed hoc perfectius adhuc Deus nobiſcum egit, poſtquam aduenit plenitudo temporũ, & verbũ caro, Deus homo factus eſt. Nã quia ferè nõ cohęrent, niſi ſimilia natura: neq; enim lapidẽ quis arboremue glutino iungeret, Deus deſcendit à forma lucis in qua erat, & aſſũpſit ſimilitudinẽ carnis peccati, vt natura

ſimilis, arctius nobis, quam olim populo Iſrael, conglutinaretur. *Glutinum*, in-
Lib.17.c.43 quit Plinius, *abdicant quædam, in ſe, & cum alijs inſociabilia, ſicut robur.* Videlicet illi robur planè circa pectus erit, qui glutinum hoc amoris præcipui reſpuerit, quo Deus noſter nobis ſuis amantibus adeſt Homo.

1.Reg c.18. Poſtremo dicitur etiam anima Ionathæ conglutinata fuiſſe animæ Da-
6 de Leg. uid, & dilexiſſe Ionathas eum, quaſi animam ſuam. *Si quoddam in amicitijs deſiderium ineſt*, inquit Plato, *mores omnes, quaſi glutino quodam committit & vincit.* Pares nimirum, & ſimiles virtutes Regios iuuenes Ionatham, & Dauid, contraxit facilè, & conglutinauit caſtus, atque innocens amor. Contra Saul, vti erat diſſimillimis moribus, nunquam animo mutuo erga Dauid eſſe potuit Quippe ſimilia, vt dixi, glutinum nectit, & verus amor aut inuenit ſimiles, aut facit.

METAPHORA LXV.

Faciamus altare Deo, qui fuit ſocius itineris mei. Geneſ. cap. 35. verſ. 3.

verſ.1. DEus adfuerat Iacob, dixeratque ei: *Surge & aſcende Bethel, & habita ibi, facq; altare Deo.* In hoc textu ſanctus Auguſtinus, ſanctus Hilarius, & alij agnoſcunt Deum Patrem, & Deum Filium, ita vt in Patre, & in Filio retineat natura ſuum nomen, cùm vterque nihil ſint aliud, quam Deus, & appareat nihilominus perſonæ diſtinctio, dum exhiberi honorem Deo, Deus iubet, & Filius æternus, tanquam Verbum loquitur, ac præcipit, altare Patri ſuo æterno dedicari.

Cæterum Iacob ponit, ac dicat hanc aram Deo, quoniam *Socius*, inquit, *fuit itineris mei*: nempe ſoſpitem in terram Chanaan reduxit. Septuaginta Interpretes vertunt, *quoniam ſaluauit me in via, qua iui*: non enim vt perdat, vel adigat nos ad præcipitia, fit ſocius & comes hominum Deus: ſed vt itinere ſecundiſſimo atq; proſperrimo, in viam pacis & ſalutis conſtanter nos ducat.

Faciamus altare Deo, qui ſocius fuit itineris mei. De ipſo Deo vna cum iuſtis ambulante quaſi ſolet comes aliquis iucundus ac beneuolus, diximus in Metaphora XVI. Iam quod non comes viæ modò: ſed etiam ſocius dicatur, maiorem Dei erga nos exprimit benignitatem ac dignitatem, quaſi Deus voluerit quodammodo eſſe particeps, & conſors laborū peregrinationis Iacob: licet

licet expers natura ſit omnium moleſtiarum. Itaque ſocius fuerit, non eas moleſtias tolerando: ſed in eis Iacob amicum & Comitem ſubleuando: quaſi ſocius, qui partem oneris in via ferat.

Sed enim ſi Deus iam ſimulauit dumtaxat ſe iuſti ſocium eſſe; dum, quia natura præcellens eſt, laborem pati nullum poterat. Tempus aliquando ſucceſſit, quando à Regalibus ſedibus Omnipotens ſermo veniens, obuolutus eſt humanis ſenſibus, & cum habitu viatorio, eſt inuentus vt homo. Tum verò etſi non deſijt eſſe æternum illud Verbum, per quod ſine labore facta ſunt omnia, incepit tamen ſarcinæ humanæ onera nobiſcum ſentire, ac viæ laſſitudinem experiri. Adeo vt dicatur etiam ipſe, dum Viator cœleſtis, pertranſiret in terris benefaciendo, ſediſſe ſupra fontem, fatigatus ab itinere. Illud aduertere eſt obiter, hoc loco, familiaritatem Dei cum iuſto, non minuere venerationem. Iacob enim ſocium Deum habuerat, & nihilominus, tanquam præcellenti, mox ei Aram poſuit. Luctatus cum Deo fuerat, & in altari ſtatim implorauit fortiſſimum Deum Iſrael...

METAPHORA LXVI.

Pater appellauit eum Beniamin, id eſt filius dexteræ. Geneſ. cap. 35. verſ. 18.

EX Bethel, vbi ſacrificauerat Deo, in Ephrata Iacob migrabat, inde iturus ad Iſaac Parentem in Hebron, cum Rachel alterum filium in Bethlēem; moribunda peperit, & ex cruciatu vehementi puerperij eum *Benoni*, hoc eſt filium doloris ſui nominauit. At Parens illius Iacob, tametſi perculſus iactura tam graui coniugis chariſſimæ, quæ in partu illo exanimata eſt, non luctu & comploratu replere omnia, ſed ſemet, atque animum ſuum in poteſtate habens, fræna deſiderio illius inijcere potius viſus eſt. Hinc detrahit filio nomen doloris, eumque appellat Beniamin, hoc eſt filium dextræ, ſeu filium fortitudinis, atque virtutis.

Prodeat, ſi quis, vel maritus thori conſortem & ſociam, vel parens liberos, vel amicus neceſſarios ſuos diligat vehementius, quàm dilexerat Iacob pulchram, & ſpecioſam Rachelem ſuam, pro qua videlicet ſeptem anni ſeruitutis, viſi ei fuerant dies pauci, præ amoris magnitudine. Prouocare licet, prodeat,

prodeat,& ſi eam amore eius nequit certare, experiatur, num certare poſſit cum eius patientia, & æquanimitate: ſi forte illi mors quemquam eripiat ex ijs quos impensè amat. Hanc ego victoriam doloris in ſancto Patriarcha non miror minus, quam alterum ex lucta cum Angelo, vel Deo: Non enim ſicut in victoria priori corpus, ita in hac altera mens, & animus eius claudicauit. Stetit imo infractus, & diuinæ voluntati omnes illico amores ſuos immolauit. Vxorem quippe(vti vir iuſtus) ſic amauerat, vt amauerit ſemper præ illa Deum; ſubmittere ſe igitur Deo itad iſponenti facile potuit. Vtinam ſic amare diſcant amatores omnes: omnem proculdubio amori detrahent amaritiem, & dulcis amor erit, peræquè dum fruimur, & dum orbamur ijs, quos amamus.

Vocauit eum Beniamin, filium dexteræ: non expers amoris eſt omninò dextera, ſed ipſa etiam amori ſeruit. Nam dextera illos, quos diligimus, amplexamur. Sponſa ideo in ſacris Canticis, *Læua eius*, inquit, *ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: ſed viriliter tamen amat, quia dextera eadem, fortitudinis miniſtra, & velut armigera virtutis, interim eſſe non deſinit. Iacob proinde aptè hanc Rachelis prolem, vocauit filium dexteræ; quia Rachelem non eneruata, & muliebri beneuolentia; ſed virili, ſed forti ſemper amauerat; ex quo æquanimiter adeo illius deſiderium tolerauit. Interim ſemet pulchrè, in eo vocabulo dexteræ: tanquam in ſuæ fortitudinis ſymbolo figurauit. Atque inſuper, quia exprimuntur in dextera ſecundæ res, vſque adeo non eſt fractus his aduerſis; vt cum eis potius miſcuerit ſecunda; & virtutem in eis ſectatus fuerit. Quæ ſemper virtus meruit, vel cum ærumnoſæ res illam pariunt, inter ſecunda, & inter proſpera numerari.

Cap. 8. v. 3.

Sepeliuit Iacob Rachel dilectam coniugem ſuam; erexitque duodecim magnis lapidibus monumentum eius, ad recordationem etiam duodecim filiorum ſuorum: & hic tumulus in Bethleem exſtabat adhuc tempore Moyſis, meminitque de eo pariter Samuel. Porrò inueniri ſolitos perhibent, iuxta hoc ſepulchrum Rachelis, lapillos quoſdam planè nigros, quos peregrini legebant, quia eos conducere mulierum facili puerperio, perſuaſio inter Iudæos erat.

Typum beatiſſimæ Virginis, in Rachele nonnulli agnoſcunt, cuius funeri, traditio vetus eſt, Apoſtolos duodecim interueniſſe, hoc eſt duodecim lapides, & fundamenta Eccleſiæ. Quod ſi Rachel idem, atque ouem ſonat, beatiſſima Virgo fuit ea innocens ouis, quæ peperit Agnum, qui abſtulit peccata mundi. Illa ſterilis, hæc Virgo, vtraque fœcunda, vtraque pulchra nimis fuit, illa Ioſeph, qui fuit filius lætitiæ, & Beniamin filium doloris enixa eſt, Hæc Ieſum filium, in Bethleem, cum ſumma lætitia genuit, & in Caluariæ monte, iuxta Crucem, cum ſummo dolore, Ioannem alterum filium adopta-

adoptauit. Denique Rachel fictitios Deos, beatiſſima Virgo verum Deum ſinu ſuo pudico, occultauit. S. Iſidorus tamen, Lyranus, & alij rect. admodum in hoc partu Beniamin etiam S. Paulum prænunciari, aiunt, qui ex dolore Eccleſiæ natus fuit, in vſus magnos dexteræ ipſius. *Ipſe*, inquit Lyranus, *dicit ſe abortiuum, id eſt violenter vi Eccleſia natum, qui quia de ſiniſtra transferendus erat in dexteram, id eſt de perſecutore futurus Apoſtolus: ideo rectè a Patre filius dictus eſt dextra.*

METAPHORA LXVII.

Quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit. Geneſ. cap. 37. verſ. 5.

AD Iſaac genitorem ſenio confectum Iacob venerat in Hebron, & paſcebant filij greges in agro Sichimorum. Ioſeph delitiæ Patris domi agebat, adductus in magnam inuidiam fratrum ſuorum, tum quia dilectus præ alijs, induebatur ſolus tunica polymita: hoc eſt intexta licijs coloris diuerſi, vel ad oram varijs lemniſcis concinnatâ, tum quia ligandis interdiu manipulis in meſſe deditus, ſecundum quietem, (vti ſæpè in ſomnijs obuerſantur ſimilia) viderat manipulos vndecim circumſtantes, adorare manipulum ſuum, quod ipſe narrans candore puerili, fratrum ſuorum incurrerat odium. Quos & peſſimi criminis apud parentem accuſauerat, inuidiæ nimirum, quæ mala cum ſit inter omnes homines, eſt peſſima, & deterrima inter fratres.

Somnium hoc, alterumque Solis, lunæ, & ſtellarum vndecim, quæ pariter eum adorauerant, non fortuita vel illapſa temerè: ſed cœlo miſſa prorſus erant, vtpote indicia vera futuræ magnitudinis eius. Primum ex his dicitur maioris odij ſeminarium fuiſſe: quia cœperat pridem inuidia rumpere, ac proſcindere eorum pectora, & in eis veluti ſulcos ducere. Hic etenim eſt primus inuidiæ labor, iuxta illud:

Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

Paratus erat itaque ager iniquitatis, vt ſuſciperet odij ſemina, quæ ex narra-

narratis illis vndecim manipulis, quodammodo ex eis illud maioris odij ſeminarium fuere, quod in præſentia explicamus. Dein ſe habuit ſuum ſolem, lunam ſuam, & ſua ſydera, à quibus foueretur. Nam hoc alterum ſomnium inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit.

In cap. 27. Geneſ. Homil. 61. *Neque naturæ vinculum reueriti*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *neque in mentem accipientes, quanta ille ſuperna gratia muniretur, odium quotidie auxerunt, & neſcij intra ſemetipſos rogum accenderunt.* Verum, ne hoc ſeminarium odij fortaſſe mareſceret, deerat, vt ſanguinis imbre conſentaneo irrigaretur, atque ad hunc imbrem procurandum diſpoſuerant illi ſe, hortantes mutuò: *Ecce ſom-*

verſ. 20. *niator venit, venite occidamus eum*: feciſſentque, niſi interceſſiſſet eorum vnus,

verſ. 22. facinus diſſuadens: *non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem.* Sic Ioſeph nouus Abel, egreſſus in agrum caſtus, ſanctus, innocens, penè etiam inuidiæ victima cecidit, neque vnum Cain, ſed denos, aduerſum ſe odijs ſacrilegis armatos, penè expertus fuit.

S. Cyrillus, *vide*, inquit, *quò feratur inuidia, & quam cæca ſit: nam ſomnia aut vera dicunt, aut mentiuntur, ſi vera ſunt, qua ratione veritatem circumuenis? ſi mentiuntur, cur viſis inuides?* Sed enim quis in homine inuido requirat normam rationis, qui rationis eiuſdem expers, ſola ſpecie boni offenditur, ac tabeſcit,

Cap. 33. & in ea re ſapit ſemper vt paruulus? S. Iob *paruulum*, inquit, *occidit inuidia.* S.

v. 24. Gregorius verò eum textum exponens, *Inuidere*, inquit, *non poſſumus, niſi eis,*

Expoſit. *quos nobis in aliquo meliores putamus: Paruulus ergo eſt qui liuore occiditur, quia ipſe*

Moral. l. 6. *ſibi teſtimonium perhibet, quod eo minor ſit, cuius inuidia torquetur.* Non aliter iam

c. 32 hæc decuria fratrum inuidorum, Ioſeph eſſe maiorem ſe, vel dum eum contemnit, agnoſcit, & profitetur, quia non niſi felicioribus inuidemus.

Quid inuidia ſit, veluti pronunciando, ipſi definierunt, dum finxere nimirum, à fera peſſima ſublatum Ioſeph, neque enim fuit omnino menda-

verſ. 33. cium illud: *fera peſſima comedit eum, beſtia* deuorauit Ioſeph: fera hæc tamen non in luſtris deſertæ regionis, ſed nobiſcum, & in animis hominum naſcitur, ac nutritur.

Quæ cauſa maioris odij fuit ſeminarium. Vtinam inter homines perpetuo ſterile ſit hoc plantarium odij, hoc inuidiæ ſeminarium. Alioqui nemo erit nobis tam præcipuus, tam amicus, tam propinquus, in quem eius ſeminarij venena non pullulent, ſi benè illi fuerit, & nobis malè. Multa de hoc vitio, &

Coll. 18. de veneno eius lethali adfert Caſſianus, oſtenditque cæteris pernicioſiorem,

c. 17. atque ad purgandum difficiliorem inuidiam eſſe, propterea quod ipſa ijs remedijs, quibus reliqua vitia extinguuntur, accenditur. Quippè huius cauſa mali, eſt ſemper alienum bonum, atque ita fit, vt cum bonum purget, ac ſaner omnia alia vitia, ſolam inuidiam ſemper magis ægram efficiat, augeatq; ſemper virus, ac tabem eius.

Vt ad

Vt ad Ioſeph redeamus, *hæc omnia facta ſunt in figuram futurorum*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *vt in vmbra multo ante veritatis res deſcriberentur. Et ſicut Ioſeph ad fratres abijt, inuiſens eos, & illi non ſunt reueriti neque fraternitatem, neq; aduentus cauſam, ſed primum quidem occidere eum voluerunt; Poſtea autem vendiderunt barbaris. Ita & Dominus noſter, ſuam ſeruans miſericordiam, aduenit inuiſens humanum genus, & ſuſcepta noſtra forma carne, dignatus fieri frater noſter, ſic aduenit. Et clamat Paulus dicens. Non enim Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ: vnde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri.* Venditus eſt tamen Ioſeph ſolum nummis viginti, hoc eſt minoris quam Chriſtus, ne etiam ab iniquis homo pluris æſtimaretur, quàm Deus. Sic S. Hieronymus, inſinuans, illud *vendiderunt Ioſeph Iſmahelitis viginti aureis*, aliter in Hebræo haberi, nempe *viginti argenteis: neque viliori metallo*, inquit, *Dominus venundari debuit, quam Ioſeph.*

Eadem Homil. 61.

In quæſt. Hebraic. ſuper Geneſ.

METAPHORA LXVIII.

Quare diuiſa eſt propter te maceria? Geneſ. c. 38. verſ. 29.

THAMAR Iudæ nurus, & fœmina pulcherrima, quam Her, & Onan, filij eiuſdem Iudæ ſponſam diu non meruerant, occiſi à Deo propter vitium ſterilis incontinentiæ: poſtquam vidit, Sela tertium genitum, à Iuda ſibi ſponſum negari, veſtem viduæ poſuit, ſeque ornauit, & peplo ſeu theriſtro inuoluit, dein in biuio Iudam expectans viduum iam (cuius paulò ante vxor obierat:) concepit ex eo, ſicut Scriptura Sacra memorat: Demùm grauida gemellæ prolis cùm infantes effunderet, vnus ex ijs manum extulit, quam notauit obſtetrix filo coccineo: ſed dum is manum retrahit, alter exilijt, & tum obſtetrix, *Quare*, inquit, *propter te diuiſa eſt maceria?*

Eſt Hebraicè Phares, id eſt diuiſio. *Phares*, inquit S. Hieronymus, *ab eo, quod diuiſerit membranulam ſecundinarum, diuiſionis nomen accepit: vnde & Phariſæi, qui ſe quaſi iuſtos à populo ſeparauerant, Phariſæi, id eſt diuiſi, appellabantur.* Apud ſeptuaginta Interpretes legitur: *quare diuiſus eſt propter te murus, ſeu ſepes*: nec ſignificatur diuerſum quid à maceria, quæ eſt propriè murus, ex aggeſtis lapſibus, abſque calce ſeu cæmento, cuiuſmodi muro circumſcripti agri, armenta, & feras ab ingreſſu arcent. Ponitur autem hoc loco maceria translatè pro

In quæſt. Hebraic. ſuper Geneſ.

ſecun-

ſecundis mulierum, ſiue pro ijs membranulis, quibus inuoluuntur infantes in vtero materno, & ſenſus eſt, quare tu prior naſceris, qui poſterior naſci debueras?

Ita omnes naſcimur, vere filij eorum, quibus fecit Deus tunicas pelliceas, & cum originis peccato, eiuſdem peccati, vel à conceptu ipſo, geſtamus inſignia, culpæque circumferimus indumenta. Sed cur maceriæ potius, quàm ſolido muro ea membranula comparetur, mihi non ſatis liquet, & occurrit ſolùm ea ratio, quod ſicut maceria non eſt murus ſtabilis, ac manſurus, verum is, qui facile, ac pro libitu diſſoluendus eſt: Ita membranula illa ſolùm ad tempus infantulo circumducitur, vtpote quæ, quando is oritur, ſtatim diſſuitur, eique detrahitur.

Fernelius lib. 6. Phyſiol. c. 12.

Subdam notabile aliquid, quod experimentis conſtare medici affirmant, nempe ſi gemelli ſint, fœmellæ ambæ, aut ambo mares, tunc vnis, atque ijſdem ſecundis binos in vulua tegi; quod ſi variet ſexus in eis, diſtinctis membranis ſingulos inuolui. Cuſtodia hæc maior, in tanta illa fratris & ſororis innocentia, & in ipſis clauſtris vteri materni; quando naturæ deprauatæ irritamenta nondum nata ſunt, nondum accenſa, quid aliud animo ſubſtituit, niſi magnum quoddam nobiſcum naſci continentiæ, ſeu conſilium, ſeu præceptum: quo inſtruimur videlicet, virum & fœminam, quamdiu auctoritas matrimonij defuerit, nunquam honeſtè in vno conclaui, & in vnis ædibus morari. Fruſtra iactes vinculum religionis, propoſitum caſtitatis, aut cleri ſtatum, nunquam erunt duo magis expertes fomitis peccati, quam ſint gemelli ſexu diſpares, necdum nati, & in vtero matris: quos tamen hac ſæpe ſeu maceria interiecta membranulæ, natura diſcreuit.

Ad Euſtoch. epiſt. 22.

Libet repetere priſcas Diui Hieronymi quærimonias de virginibus illis, quæ quaſi ſpirituali charitate, atque amore coniunctæ, Agapetæ ab ijs vocabantur, apud quos degebant. *Habeant*, inquit, *iſtæ huiuſmodi laudatores ſuos, & ſub virginali nomine lucroſius pereant: libenter talibus non placemus. Pudet dicere, proh nefas, triſte ſed verum eſt: vnde in Eccleſiaſticis Agapetarum peſtis introijt, vnde ſine nuptijs aliud nomen vxorum, imo vnde nouum concubinarum genus? plus inferam? vnde meretrices vniuiræ? eadem domo, vno cubiculo, ſæpe vno tenentur & lectulo: & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimemus.* Deinde S. Hieronymus pergens pluribus in eos inuehi, ſperni eiuſmodi homines, ait, à Salomone in Prouerbijs, dum *alligabit, quis*, inquit, *in ſinu ignem, & veſtimenta eius non comburentur, aut ambulabit ſuper carbones ignis, & pedes illius non ardebunt?*

Baronius in annalib.

S. Ioannes Chryſoſtomus etiam, cum primum fuit Conſtantinopoli Antiſtes inauguratus, id præcipuè in clero corrigere conatus eſt, ne virgines eiuſmodi, cum clericis habitarent, quas eidem ſorores adoptiuas nominabant, & in earum conſortio interim ipſi nihil ſibi, niſi carnis ſtimulos, & malam famam adoptabant.

META-

METAPHORA LXIX.

Iniecit Domina ſua, oculos ſuos, in Ioſeph. Geneſ.cap.39.verſ.7.

VENDITVS Ioſeph in Ægypto ab Iſmahelitis fuerat, & emptus à Putiphare præfecto militiæ Regis. Apud quem ea gratia breui potitus eſt, vt omnia eius bona domi foriſque adminiſtrauerit. Herus illius, vt loquitur Scriptura Sacra, *non* verſ. 6. *quidquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur*: hoc eſt ab omni œconomiæ cura liber, cuncta in ipſius Ioſeph prouidentiam reijciebat, ab eoque nullas dati & accepti rationes, ſecurus quo ad fidem illius, accipiebat.

S. Bernardus, dum adimere conatur in Epiſcopis, nimiam ſollicitudi- l. 4. de conſid. ad Eugen. nem, circa rei temporaneæ adminiſtrationem, Eugenium Pontificem ſic alloquitur. *Memento, Saluatorem Iudam œconomum habuiſſe. Quid Epiſcopo turpius, quàm incumbere ſupellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ ſcrutari omnia, ſciſcitari de ſingulis, morderi ſuſpicionibus, moueri ad quæque perdita, vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiuſmodi, ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, numerantium ſingula, de minutis & quadrantibus exigentium rationem.* Poſt hæc exemplum ſumit ab Ægyptio Ioſeph Hero. *Non ita*, inquit, *ille Aegyptius, qui Ioſeph omnibus traditis* Ibidem. *ignorabat quid haberet in domo ſua. Irubeſcat Chriſtianus, Chriſtiano ſua non credens: Homo ſine fide, fidem tantam habuit ſeruo, ſuper omnia bona ſua conſtituens eum, & hic erat alienigena. Mira res, ſatis ſuperque Epiſcopi ad manus habent, quibus animas credant, & cui ſuas committant facultates, non inueniunt. Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam vel nullam de maximis curam gerunt, ſcilicet, vt liquido datur intelligi, patientiùs ferimus Chriſti iacturam, quàm noſtram. Quotidianas expenſas, quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua Dominici Gregis detrimenta neſcimus: de pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara autem cum presbyteris celebratur collatio, de peccatis populorum.* Grauiſſima hæc S. Bernardi admonitio, inſeri hoc loco debuit, vt non contingeret, ſine fructu aliquo magno commemorari, concreditas iuueni Ioſeph omnes opes, annuoſque prouentus Barbari Heri: tantopere is virtutem illius amabat, quia virtutem nimirum, animumque eius intuebatur.

Secus tamen vxor formam, & pulchritudinem corporis intuens, *iniecit oculos ſuos, in Ioſeph.* S. Auguſtinus legi aliter ait, nempe *miſit vxor Domini eius, oculos ſuos in Ioſeph,* & hoc vtrumque iuxta phraſin ordinariam Scripturæ ſacræ, exiſtimat ſignificare idem, ac ſi diceretur, amauit eum. En itaque inter ſe adeo parum diſtant, videre, atque amare: vt ex Rhetorica Spiritus ſancti, quæ eſt ars vera dicendi, pro ſe inuicem ea promiſcuè vſurpentur. Imo ſæpe, cui non fuit periculum videre, fuit periculum videri: vt merito proinde dixerit, propoſito exemplo caſti Ioſeph, Diuus Ambroſius, *Diſcant viri cauere etiam oculos fœminarum: adamantur enim, & qui nolunt amari.* Fatendum eſt tamen, citra culpam noſtram hoc periculum adire: quia ſi qua nos mulier aſpexerit oculo laſciuienti, illius crimen eſt, quæ malè videt; noſtrum vero non item: quia optaremus caſtè potius videri. Quocirca de S. Ioſeph, *non erat,* inquit, *in poteſtate ſeruuli, vt non videretur: maritus debuit cauere oculos vxoris.*

Lib. de Ioſeph Patriar. c. 5.

Ibidem.

Iniecit Domina oculos ſuos in Ioſeph, congrue ad Metaphoram idem S. Ambroſius, oculos mulieris huius adſimilat iniectis laqueis, quibus iuuenem caſtum venatrix improba capere meditabatur. Et profectò res à nobis viſæ, per ſpeciem & imaginem ſaltem, ſunt in pupilla oculi: & quaſi animæ ſint præda, iam intra caſſes, ibi habentur. Inde cor ad ſe momento eas trahit, capit, fruitur, & deſiderijs libidinem inchoat, quam opere dein expleat. Comparat etiam, iuxta locutionem illam, in qua ea mulier dicitur miſiſſe oculos ſuos in Ioſeph, comparat, inquam, eos venabulo, ſeu miſſili telo: ſed quid? laqueos ſuos illa ſparſit, ſuiſq; hæſit vinculis. *Benè excuſauit eum Scriptura dicens, immiſit oculos, vxor Domini eius, in Ioſeph. Hoc eſt non ipſe ſe oſtentauit, non cepit incautam, ſed illa retia ſua miſit, & indagine ſui capta eſt, laqueos ſuos ſparſit, & ſuis hæſit vinculis. Dixit autem illi, dormi mecum: Prima adulteræ oculorum tela ſunt, ſecunda verborum: ſed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere:* ita S. Ambroſius. Ictum interea declinauit iuuenis pius, illud commemorans ab Hero cuncta ſuæ concredita poteſtati fuiſſe, præter vxorem: & grati animi leges exigere, vt pro beneficijs iniurias non reponat, & vt non inferat ei maculam in Coniuge, quæ eſt gloria viri.

Lib. de Ioſeph Patriar. c. 5.

Ibidem.

Sed enim cum hæc arma ad defenſionem Iuuenis honeſti, contra mulieris laqueos ac telà, ſatis non forent, fugâ ſe à conſpectu eius proripuit, & pallium in manu illius reliquit, vt tegeret illo vniuerſas ſordes ſuas. Hæc fuga, etiam ſpolijs relictis, fuit victoria, fuit triumphus: quia cum alia inſtant animæ prælia, ſtare in acie vincere eſt: in hoc autem fugere viciſſe eſt. Vt ſane non ludicrum conſilium exprimatur luſu illo;

Quid facies, facies Veneris cum venerit ante?
Ne pereas per eas, ne ſedeas, ſed eas

Cauſa in promptu eſt, quia voluptati carnis nos reluctamur in carne, itaque

ab

ab hoſte ſimili circumuenitur, & dum mulier, hoſtilis caro, nos adoritur, intus noſtra etiam caro cum ea conſpirat aduerſùs animam. Quò fit, vt niſi ambas fuga ſeparet, caro carnem iuuet, & ſpiritus in certamine ſuccumbat. Libet triumphales plauſus canere Ioſeph pulchro, caſto victori: ſed verbis illis Diui Auguſtini, pulchrior erat intus Ioſeph, quàm foris: pulchrior in luce cordis, quàm in facie corporis, vbi illius fœminæ oculus non penetrabat, vbi ipſe ſua pulchritudine fruebatur. Cui comparabimus te, iuuenis pulcherrime, iuuenis caſtiſſimè? Narciſſus celebratur in fabulis; Sermon. 83.

De quo conſultus, an eſſet
Tempora matura viſurus longa ſenecta
Fatidicus vates, ſi ſe non nouerit, inquit. Ouid lib. 3. Metamorp.

Sed marceſcat, vt flos, memoria eius, vel cedat noſtro Ioſeph, magis pulchro, magis pudico, cui ad immortalitatem profuit, & intra gloriam fuit, quod ſe vtique nouerit, & quod pulchritudinem animi ſui, præ altera corporis, non in fonte aut amne putri, ſed in ſpeculo conſcientiæ ſtuduerit contemplari.

METAPHORA LXX.

Dominus omnia opera eius dirigebat. Gen. cap. 39. verſ. 23.

Veſte innocentis Ioſeph vſa fuerat mulier tantùm non corpore, adultera, vt inuolueret calumniam, & vt probri Reũ (ad quod ipſa inuitauerat) alterum, quia illud reſpuerat, poſtularet; *Illam*, inquit Diuus Ambroſius, *verè exutam dixerim, etiam aliena veſtimenta ſeruantem, quæ omnia amiſerat velamina caſtitatis, illum ſatis ornatum, ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur.* Nihilominus, vt ſæpenumero inſontes, quæ alij peccant, ipſi luunt, creditur à viro nefas, & in ergaſtulum Ioſeph detruditur. Lib. de Ioſeph Patriarch. c. 5. *En propter quod aperiatur carcer*, inquit idem Diuus Ambroſius; *& ſuſcipiat innocentes, ſoluantur catenæ Reis, vt imponantur fidelibus, dimittantur veritatis adulteri, vt includatur, qui fid. i adulterium recuſauit.* Non ſolus tamen carcerem intrauit, proſequuta enim eſt eum ſapientia, iuſti comes, & chorus virtutum eius: imo Deus ipſe; *Dominus*, inquit Moyſes, *erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Eodem c. 5.

Si ita eſt, *non tùm benè ſſer innocentes*, inquit idem ſanctus Ambroſius, *cum falſis criminibus appetuntur, cum oppreſſa iuſtitia, traduntur in carcerem: viſitat Deus, & in carcere* Ibidem.

cere ſuos, & ideò eſt ibi plus auxilij, vbi eſt plus periculi. Sed quid mirum ſi viſitet Deus, in Matth. 25. *carcere poſitos, qui ſe ipſum in ſuis in carcere incluſum eſſe memorauit, ſicut habes ſcriptũ: in carcere eram, & non veniſtis ad me.* Itaque Ioſeph, propitio Deo, tantam ſibi gratiam demeruit, amabilis vultu, amabilior animo, & virtute, carceris præfectum: vt qui fuerat clauſus in carcere, ipſe illius iam clauſtra ſeruaret, & reos alios omnes, in poteſtate haberet. Eant iam, qui Deo placere, vt hominibus placeant, ſæpenumerò negligunt: eant, qui credunt, gratiam apud homines, præſertim laicos, & prophanos, ſola morum licentia, conciliari. Ioſeph in Putipharis domo, ita rerum potiebatur, vt nihil quidquam ille ſciret, niſi panem, quo nutriebatur. Iam in ipſo pœdore carceris, tanta vis demerendi animos in eo fuit, vt quemadmodum vertunt Septuaginta Interpres, *non eſſet Princeps carceris ſciens per ſe aliquid:* hoc eſt, omnia eius concrederet fidelitati.

Inferre poſſum, cum Diuo Ioanne Chryſoſtomo, *Verè nihil eſſe beatius eo, qui Dei gratiam habet. Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Deſtinauerunt Deus, vt Ioſeph exaltaretur: hoc manipuli terræ, hoc cœli ſydera, non magis vt ſomnia, quam vt oracula prænunciauerant. Interim à fratribus, contra deſtinatur ad necem. Deus verò qui dirigebat opera eius, ſubmittit alia conſilia. In ciſternam mittitur, extrahitur, ab Iſmaelitis emitur, ab ijs in Ægypto venditur, ibi tingitur infamia tentati adulterij. Occidi potuiſſet ab Hero, *ſed & nunc,* inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, *ſuperna manus erat, quæ barbarum detinuit, & non permiſit ad cædem iuſti feſtinare.* Denique coniectus eſt in carcerem, vt etiam illic Deus dirigeret opera eius, hoc eſt, ad principatum & ad regnum tandem eum exaltaret.

Quaſi magiſter operis, tenuit normam, & regulam Deus: Et ecce venditio, ſeruitus, carcer, diriguntur ad ſceptri, & ad regni maieſtatem. Obſtent licet mundus, & Gehenna, iuſtorum opera diſponit Deus, velut architectus, regit ipſe cor, regit manum, & ita fit, vt Dei conſilia circa ipſos dubio procul ad deſtinata demum collineent: Magnum fuit, diuinæ prouidentiæ miraculum, efficere, vt iuuenis pius, quocumque diuerteret, veluti natus ad imperium, regnaret. Nam in domo Principis militiæ moderabatur omnia, nuto Gen. ca. 41. verſ. 43. ſuo. In carcere quoque veluti magiſtratum, geſſit; donec *fecit Pharao eum aſcendere ſuper currum ſuum, clamante pracone, vt omnes coram eo genu flecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent, vniuerſæ terræ Ægypti.* Sed & magno id ſolatio eſſe ijs poteſt, qui crebrò, cùm iuſti ſint, exercentur in proſperis, aut ijs etiam, qui mœrent animo, dum interdum vident, læta improbis, triſtia pijs euenire.

META-

METAPHORA LXXI.

Accidit, vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna Regis Ægypti, & Piſtor. Geneſ. cap. 40. verſ. 1.

EOdem modo Pincerna Regis, & eius Dapifer, dicuntur Eunuchi, quo & Phutiphar, Princeps militiæ illius, Eunuchus appellatus, qui planè integer vir, & vxoris compos erat. Diſtinguunt aliqui, in Eunuchis genera duo, nempe eorum, qui ſecti penitus fuerint, & eorum quibus vaſa feminis ſola deſint: atque hos aiunt ſolitos olim vxoribus iungi, vt qui appetere mulieres, & connubia inire poterant, non fœcundi quidem, ſed ſalaces.

Attamen hæc propterea comminiſci, vt explicetur Scriptura Sacra, quæ refert eoſdem fuiſſe maritos, & Eunuchos, non videtur neceſſarium: quia non ſpadones modò, ſed miniſtri etiam alij Regum Barbarorum, Eunuchi appellabantur. Fortaſſe, quia olim verè emaſculati erant ij, qui Regum, & Reginarum obſequijs tradebantur, manſit poſtea miniſterio Eunuchi nomen: tametſi propriè non omnes Regum miniſtri forent Eunuchi. Cæterùm hi Græco vocabulo Eunuchi vocati ſunt, quaſi cuſtodes lecti Reginarum, & ideò ſecti ac neceſſario caſti ad eam cuſtodiam eligebantur, ne de iniuria thori Regij ſuſpicio vlla oboriretur.

Quod ad rem præſentem attinet, vox Hebraica סרים *Serim*, omnem controuerſiam eximit, tam enim Eunuchum quàm Miniſtrum ſignificat, & vtrique accommodari poteſt. Ab his liceat parumper ad eos digredi, qui Aulas Principum & Regum habitant. Sit eis honor naturæ integræ, ſit animus, ſit nomen viri. Quid ſi ea Scripturæ Sacræ appellatio, qua Regis miniſtros aliquoties Eunuchos vocauit, è Spiritus ſancti magiſterio, tacitè indicaret: decere prorſus, vt Aulici, & magnorum Principum ac Regum miniſtri, corpore, animoque viri, ſed caſtimonia Eunuchi, & quaſi emaſculati quoad carnem, vim omnem viri transferant ad animam. Quippe regis, ſeu Principis, hoc eſt magnæ mentis, ex qua manat in prouincias, & in populos regimen, ipſi ſunt adiutores. Quanto igitur Aulici minus habent corporis, eò plus

eò plus habebunt mentis,& proderunt certius communi rei, ac publicæ gubernationi. Tales in cœlo ſunt adminiſtratorij ſpiritus, hoc eſt in aula Regis Regum, ac Domini Dominantium, cuius in terris vicaria eſt omnis authoritas,& poteſtas.

Lib. 2. Polit. c. 8. Alioqui, quoniam rari, ſunt fœminarum blanditijs dediti, qui non ſimul earum ſint imperijs obnoxij, eueniet illud, de quo monuit Ariſtoteles: parum videlicet intereſſe, vtrum fœminæ gubernent, an qui gubernant, gubernentur à fœminis. Hoc dederim conſilij omnibus ijs, qui limina Regum,& Principum terunt: nitidi moribus appareant, ſicut nitidi videntur in cætero vitæ,& totius corporis cultu: ſed quam vereor, ne de his etiam Eunuchis inſtituendis dum agitur, neceſſe ſit iterare illud; Non omnes capiunt verbum iſtud.

METAPHORA LXXII.

Vt malum inopiæ temperarent. Geneſ. cap. 41. verſ. 57.

OBierat Iſaac, ætate annorum CLXXX. nobilis Patriarcha, & Chriſti Domini celebris tunc præſertim imago, quando immolandus, ligna ſuper humeros tulit, in eo cliuo montis Moriæ, in quo Chriſtus Dominus, & crucem ſuam baiulauit, & reipſa immolatus eſt pro ſalute generis humani. Incidit verò obitus eius, in annum Orbis conditi CIↃ CIↃ CCCXVIII.

Ioſeph interim, egregius etiam ipſe Chriſti Domini typus, poſtquam in carcere fuerat, inter captiuos Præpoſitum vini, & Præpoſitum panis Pharaonis, quorum alteri fœliciter euenerat, & miſerè alteri: ſicut Chriſtus fuit in Cruce inter duos latrones, quorum alteri ſolùm dixit; *Hodie mecum eris in Paradiſo:* cùm fuiſſet inſuper antea Ioſeph ex Iudæ conſilio, ſicut poſtea Chriſtus à Iuda, venditus, demum anno ſuæ ætatis XXX. ex carceris obſcuritate, ad interpretandum ſomnia Regis, accitur in Aulam, & exaltatur in ſupremum Ægypti præſidem, iubeturque Chriſto Domino etiam in titulo eius Gen. c. 41. verſ. 45. maximo præludere, atque appellari *Saluator mundi.* Ad hæc iuxta ſeptem vaccas opimas,& ſpicas totidem pleniores, euoluti iam erant ſeptem anni vbertatis,

tatis,& Ioſeph in eis frumenti vim ingentem cumulauerat,diſpoſueratq́;, vt primo anno ſterilitatis frumentum primi anni fertilitatis,ac ſic deinceps diſtraheretur:ne vetus nimiũ,corrumpi forte contingeret. Veniebant ideo ad horreum eius vniuerſæ prouinciæ: *vt emerent eſcas,& malum inopiæ temperarent.*

Videtur hoc malum inopiæ comparari poſſe cum vino admodum auſtero, quod homines reſpuunt,neque hauriunt,niſi aqua prius diluatur,& temperetur.Certè vinum auſterum minus alit;vt ideo ſimile inopiæ poſſit cenſeri, in qua nimirum inopia miſerè,& anguſtè alimur.Contrà verò ad opes,& diuitias transferre,ſit vinum ſuaue,quod liberaliter nutrit; ſicut etiam citra ſitis neceſſitatem illud appetunt homines,vt dicuntur propterea id homines vino debere,quod ſoli animalium,non ſitientes,bibant.In hac porrò intemperãtiã neſcio,an agnoſcere debeamus relictum in nobis veſtigium antiqui ſerpentis,ſeu peccati,in quo illud adduxit humanum genus.Nam ſerpens, cum occaſio eſt, ſolet vinum præcipuè appetere, & ſi exiguo alioquin indiget potu. *Plin. li. 23. c. 1.*

Fateri oportet tamen auiditatem minorem vini, quam auri hominibus inſitam eſſe:cum conſtet,ſolam auaritiam nunquam expleri,vt dixerit meritò S. Auguſtinus, *maior pecuniæ fauces auaritiæ, non claudit,ſed extendit,non irrigat,ſed accendit,poculum reſpuunt, quia fluuium ſitiunt.* Copia fortaſſe optabilis eſſet, ſi adeſſet optimus eius vſus, tutius optaretur,paupertas, multarum & magnarum virtutum parens,ac nutrix,ſi non ſuggrederetur ſemper in ea clam cupiditas habendi.Salomon ideo diuitias, & paupertatem ex æquo deprecans, tantum victui neceſſaria flagitauit,hoc eſt,neque inopiam,ſed medias opes, quæ vtique exceſſum copiæ non haberent, & malum inopiæ temperarent. Atque hoc perinde iam Ægypti Prouinciæ videntur à Ioſeph Prorege poſtulare. Antequam abſoluam,nec illud omiſerim,veniſſe prouincias ad Ioſeph, vt annonam coemerent panis,qui de terra erat ; ad Chriſtum gentes venerunt,vt panem qui de cœlo eſt,emerent abſque argento,& quem omnis,qui manducauerit,viuet in æternum. *Idem li. 10. c. 62.* *ſerm. 15. de diuerſ. c. 4.*

METAPHORA LXXIII.

Occide victimas,& inſtrue conuiuium. Geneſ. c. 43. v. 16.

VErtente anno primo ſterilitatis,decem filij Iacob, in Ægyptum venerant,vt annonam familiæ ſuæ ſinguli coëmerent. Aderant Proregi,

Philo Iudaeus. qui fratres agnouit: ſed non ab ijs viciſſim agnitus eſt, ſiue quia vultum Principis, & ſpeciem auguſtam, atque idoneam ſupremo magiſtratui gerendo, ei ſubmiſerat inſtitutor Principum Deus, ſiue quia fratribus eius aciem mentis hebetauerat, quo ita aliquantulum ſimulatis eius criminationibus exercerentur. Prorex enim excepit eos durius, quaſi eſſent exploratores regni, atque adegit, vt fratrem alium adducerent, nempè ipſum Beniamin Patris delicias, qui manſerat ſolatium ſenectuti eius. Simeon obſes relictus fuerat, & hunc exiſtimant aliqui dixiſſe in Dothain, *Ecce ſomniator venit, occidamus eum.* Iudas à patre impetrauerat Beniamin puerum, hoc eſt fratrem nouiſſimum, & natu minimum, (nam alioqui annorum erat XXIII) vxoremque & liberos habebat. Igitur adſtat cum alijs, Proregi Beniamin, conuiuium apparant famuli, menſæ tres inſtruuntur, ſolus vnam inſidet Prorex, alteram è regione huius occupant vndeni fratres, ſeorſim ab Ægyptijs, quibus tertia vacabat, quia cum Hebræis comedere ipſis religio erat. Propterea, quod ijs animalibus Hebræi veſcerentur, quæ colebantur ab Ægyptijs, tanquam numina.

Duo autem in prorege mira peregrinis fratribus viſa ſunt: alterum, quod præcepiſſet ſingulos ſedere, non variato ætatis ordine, Nempe Ruben, Symeon, ac deinceps alios, cum ex vultu tamen haud proderet ſe differentia æui: aliqui enim nati vno, & eodem anno, præſertim primi, ex Lia erant. Alterum quod impertiens ijs, honoris cauſa, patinas & cibos menſæ ſuæ, quintuplo liberalius præ aliis fratribus Beniamin donauerat.

Vt conuiuium hoc inſtrueretur, Ioſeph, præcepit diſpenſatori dômus ſuæ, dicens *introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conuiuium.* Victimæ ad aras, & ad ſacrificia, non ad menſas, & ad conuiuia quæruntur. Dein à ſacrificulis, & à victimarijs, non ab Obſonatoribus vel à coquis occiduntur. Quomodo igitur iam è ſacrarijs victimæ, ad triclinia transferuntur? Eſt qui neget in Hebræo codice quidquam de victimis legi, ſed dicat potius, locutionem in *Caietanus.* hoc textu eſſe, quæ ſignificet *occide occidenda.* Vox tamen Hebraica טבח *tabah* victimam etiam ſonat. Itaque ſenſus tam eſſe poteſt, vt vertatur, *mactanda macta,* ſeu *occide occidenda,* quam ſicuti eſt in editione noſtra, apud ſeptuaginta Interpretes, & in Chaldaica Paraphraſi *occide victimas.*

Abulenſis putat occiſionem victimarum non ad ſacrificia modo: ſed ad apparatum opipari conuiuij etiam pertinere. ſic ait, Iacob victimas occidiſſe: quando in monte Galaad, Laban ſocerum, fœdere inito, placauit. Sed ibi hæc *Geneſ. c. 31. verſ. 54.* verba habentur. *Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac, immolatiſq; victimis in monte, vocauit fratres ſuos, vt ederent panem.* Hæc vero ſatis indicant, fuiſſe ibi verum ſacrificium, cui poſtea conuiuium ſucceſſit.

At in Ioſeph Proregis conuiuio mentio nulla fit ſacrificij, cuius nec potuiſſet ritus idem vſui eſſe ſimul Aegyptijs, & Iudæis, nam horum eadem non

erat

erat religio. Quinimo quia Aegyptij Iudæorum conſortium in eadem menſa declinabant, cum vt indicaui, comederent ij vitulos & boues, nempe Deos Aegyptiorum, ex eo fit, vt non poſſim aſſentiri alijs, qui victimas occidere pro conuiuio exiſtimant idem fuiſſe, ac mactare boues altiles, vitulos ſaginatos, & opimas oues, quales mos erat eligi ad ſacrificia, vt hoc pacto ea, quæ præſtantiſſima erant, Numini offerrentur. In quo ſenſu Saul Rex, excuſans inobedientiam, *Pepercit*, inquit, *Populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo.* 1 Reg c. 15. verſ. 15.

Supereſt, vt dicamus igitur, translate hic vſurpari nomen victimæ pro cibis huius conuiuij in quo Ioſeph diu & pridem oſtenſus à fratribus, veluti ſacerdos magnus clementiæ, & charitatis, operabatur eorum reconciliationi. Quaſi hoc epulum foret ſacrificium, & cibi eius victimæ pacificæ, Deo vtique acceptæ qui profitetur ſe hanc miſericordiam velle, & non ea ſacrificia, in quibus offerat quis munus ſuum, & non reconcilietur antea fratri ſuo. Enimuero qui offenſas benignè condonat, atque eſt blandus, & beneficus ijs quos expertus fuerat in ſe immites, ac feros, huius animus ſacerdos eſt, charitas ignis holocauſti ipſum beneficium, quod rependitur loco iniuriæ, eſt ſacrificium, & eiuſmodi oblatio aſcendit procul dubio in odorem ſuauitatis. Matt ca. 5 verſ. 23.

Sed & quia hoſtia illa (quemadmodum indicat vocabuli origo) Victima propriè vocabatur, quæ manu victrice, poſt rem in bello feliciter geſtam, immolari ſolebat, ſic enim canit poeta,

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur:
Hoſtibus à domitis, Hoſtia nomen habet. Ouid. lib. 1. faſtor.

In hac victoria qua ſeipſum & animum ſuum vicit Ioſeph, & quæ eſt omnium difficillima atque pulcherrima, obtineturque profligando deſideria vlciſcendi fraternas iniurias, quaſi acies aduerſas & repugnantes menti, & charitati, in hac, inquam, victoria ſui, Ioſeph, veluti manu victrice, victimas occidit, dum cibos, & conuiuia fratribus, tanquam amicis, ac de ſe optimè meritis parauit, quibus vtpote hoſtibus, & infenſis, ſupplicia potius, in ſumma illa præſertim poteſtate, infligere potuiſſet.

Poſſumus de eo & aliquid maius in hac laude aſſerere, nempe quia victimæ, atque hoſtiæ cibi Deorum exiſtimantur, ipſum Ioſeph in eo conuiuio viſum fuiſſe, non veluti hominem, ſed quaſi Deum accumbere: & vt ibi comederet, victimas pro cibo ei appoſitas, tanquam numini, fuiſſe. Qui enim iniurias illatas, lenis, mitis, & exorabilis condonat, hunc etiam ego, non cum hominibus comparo: ſed ſimillimum Deo iudico. Cic Orat. pro M. Marcello.

Denique poſſet & illud congruè dici, eos cibos, qui hominibus probis, atque amicis Dei apponuntur, victimas vocari meritò: nam ipſi ſunt templum Dei, preceſque pro eiſdem cibis appoſitis, tum initio, tum in fine refectionis, ſemper Deo offerunt, quaſi non in conuiuio agant, ſed in ſacrificio: atque adeo cibis ijſdem vtuntur, non abutuntur, ſumuntque ex iis, quantum opus eſt, quantum ſatis eſt. Imò ſæpe parcius, & reuerentius, quam neceſſitas exigeret, perinde ac ſi circa rem ſacram, in timore Dei verſarentur. Secus hæc Metaphora facilis explicatu admodum fuiſſet, ſi de conuiuio eorum actum eſſet, qui abdomini obſequuntur, & crapulis feriantur, ſicut enim horum Deus venter eſt, ita eorum cibi victimæ eiuſdem olidi Dei ipſorum, vocarentur.

METAPHORA LXXIV.

Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.
Geneſ. c. 43. v. 34.

Parum ſit, cibum ſicut victimam, ſumi: niſi hauſtus etiam in conuiuio ſumatur, ſicut vinum libaminum, & ſicut res ſacra, ſobriè ac parcè hauriatur. Ergone Ioſeph, & vndenos fratres eius, quos vti iuſtos diximus comediſſe temperanter, credimur exceſſiſſe in potu, & in eiuſmodi conuiuio ſediſſe temulentos?

Rabbi Salomon ait fratres Ioſeph pœnituiſſe, poſtquam eum vendiderant, & iam tum hanc ſibi pœnam ſponte irrogaſſe, vt vino in omni vita deinceps abſtinerent. Itaque quoniam diu deſueuerant, ſtatim ex eo, vel modicè hauſto, ebrios factos non diffitetur. Sed nimis magnæ ſunt ineptiæ, ſanctis Patriarchis ebrietatem affingere, ac deinde alio figmento eam excuſare. Certè Ioſeph ipſe, ac Beniamin in eum modum vino haud abſtinuerant, quia nec venditionis antedictæ ipſos pœnituerat, quam videlicet alter paſſus erat, alter non procurauerat. Ambo nihilominus in eodem ſenſu bibiſſe cum fratribus decem, & inebriati fuiſſe perhibentur.

Vindiciæ debentur ſanctis iis Patriarchis, & præ alijs Ioſeph iuueni caſtiſſimo, ac Principi, cuius vtriuſque rei profeſſioni maximè inimica eſt ebrietas. Quo ad caſtitatem, ſatis in comperto eſt à vino incontinentiam deſpumari. *Athenæus lib. 10.* Ideo vinum Ariſtophanes lac Veneris, Pontianus Metropolim omnium malorum nominauit. S. Hieronymus quoque, potum vini eſſe dixit ſeminari-

um libidinis. Quo ad principis verò munia, regimenque populorum, ſacerdotes Heliopolis nunquam vinum, ſed mel ſoli immolabant: quia quemadmodum ſol mens mundi, ita Rex & Princeps mens populi eſt, & à vino temperans debet eſſe. *vinum*, inquit Plato, *vt ferunt multi, ad vltionem hominibus datum eſt, vt inſaniant.* Hinc magiſtratibus toto eo anno, quo adminiſtrant Rempublicam, iudicibus, qui præſunt æquitati, & quibuſuis alijs deliberaturis circa res graues, maluiſſet Plato vſum vini interdici. *lib. 11. aduerſus Iouinian. cap. 6.* *2. de legibus.*

Certè ſcribit S. Auguſtinus, ſolere homines ebrioſos, ex textu præſenti mendicare patrocinium intemperantiæ ſuæ. *Non propter illos*, inquit, *filios Iſrael: ſed propter Ioſeph, qui valde ſapiens commendatur.* Faceſſere ea itaque à Sanctis debet, quia non corpori modo accendit cupiditates: ſed vt loquitur S. Ambroſius *ipſam quoque mentem ſubruit, & animum capit, & ſenſum extorquet.* Et paulo poſt eius deſcribens fœditatem *multi ſe*, inquit, *fortes putant num fortiores, quam Loth? num continentiores, quam Noe, ille nudus iacuit. iſte filiarum errori patuit: & Noe iuſtus deceptus eſt, quia vini vis adhuc ignorabatur: ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus ſe credidit, & per ſenectutem madidam, vino ſolutus commiſit inceſtum ignarus. Tu ſic bibe ne capiaris, inſtruant nos Patriarchæ non ſolum decertes: ſed etiam errantes, ideo iteratum eſt exemplum ebrietatis vt confirmaretur magiſterium cautionis.* *In quæſt. ſuper Geneſ. q. 144.* *lib. de Abram ca. 6.*

Origenes pariter, propoſito eiuſdem Loth exemplo, ad vitandam ebrietatem his verbis grauiſſimis hortatur. *Audite, & cauete vos quibus ebrietas non in crimine, ſed in vſu eſt: ebrietas decipit, quem Sodoma non deceperat, vritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non vſſit.* His vero exemplis, exiſtimauerit ne aliquis, non fuiſſe ſatis inſtructos, ſanctum Ioſeph, & vndecim fratres eius, dum adhuc ea exempla erant in recenti memoria, & chorum illum Patriarcharum, ex quo propaganda erat poſteritas electi populi Dei, exiſtimauerit ne aliquis velut temulentos, in eo conuiuio accubuiſſe? Dicatur itaque potius Hebraicæ linguæ idioma id habere, vt ebrietas ſolam interdum ſignificet ſatietatem. Sanctus Hieronymus, *idioma*, inquit, *linguæ hebraicæ eſt vt ebrietatem pro ſatietate ponat, ſicut ibi in ſtillicidijs eius inebriabitur germinans, haud dubium, quin terra pluuijs irrigata.* S. Auguſtinus proferens Dauidis verſiculum alium, nempe *viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam*, poſtea ſubdit *eo quod in laude benedictionis*, inquit, *hoc poſitum eſt, & donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem ſatietatem ſignificare. Nam ita inebriari vt inebriantur ebrioſi, nec ipſi terræ vtile eſt quoniam maiori, quam ſatietatis ſufficit, humore corrumpitur: ſicut vita ebrioſorum, qui non ſatietate ſe replent, ſed merguntur diluuio.* Sic ipſe. *Homil. 5 in c. 19. Geneſ.* *Quæſt. Hebraic. in Geneſ.* *Pſalm. 64. v. 10.* *Quæſt. ſuper Geneſ. q. 144.*

Vt dicam tamen, in quonam ſenſu, citra culpam imò intra gloriam, ipſi Ioſeph, & fratribus eius eſſe potuerit, quod in conuiuio illo biberint, & fuerint inebriati, hanc eorum ebrietatem, vt metaphoram explicare libet, quæ haud inter poſtremas habenda erit. Ebrietas vera, & propria euertit mentem,

amque obnubilans, aufert vſum rationis. Rerum etiam præteritarum obliuionem inducit: proinde in eo conuiuio inebriatus eſt Ioſeph: hoc eſt mentem & appetitum omnem vltionis, quo ad iniuriam fratrum, atque adeo recordationem omnem offenſæ, exterſit ex animo, idque effecit illius diei lætitia, quando vna cum fratribus, & cum Beniamin ſuo dulciſſimo, epulatus eſt. Hanc mentem humanam in eo euertit conſpectus fratrum; ſuſtulitque vſum prauæ rationis illius, quæ dictare poterat, vt quia iam Princeps erat, ignominiam ſerui emptitij iuberet ſeruitute pari, aut aliâ pœna grauiore fratres luerent. Præterea reddidit eum adeo præteritarum offenſionum immemorem, vt fratribus ad patrem redeuntibus, adhortationis loco, dicere potuerit, poſt
Gen. c. 45. ver. 24. oſcula, amplexus & lacrymas: *ne iraſcamini in via.* non ſolum enim ipſe omnem iram, & facti memoriam poſuerat: ſed vetuit fratribus, ne venditionis propriæ vellent ipſi meminiſſe, videlicet exprobrando inuicem conſilium initum, de eadem eius venditione. Sic enim illi, cum fratrem Simeon obſidem
Geneſ. c. 24. v. 21. darent pro reditu, ægri querebantur, *merito hæc patimur: quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. Idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.* E quibus vnus Ruben ait, *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me! en ſanguis eius exquiritur.*

Sed etiam videni eius fratres ſuam paſſi ſunt in eo genere ebrietatem: quia huius diei lætitia, mentem illam odij, & inuidiæ antiquæ detraxit ex animis eorum, qua veluti regnare Ioſeph & eximiũ eſſe in domo paterna, ferre abſq; ægrimonia non poterãt: & poſtea lætari ſunt, eum in Æpypto principem eſſe, maioremque inuidia, Deo propitio, (etſi tot aduerſis circumfluentibus) demum euaſiſſe. Facti eius etiam iuſſi ſunt non amplius ad mœrorẽ recordari; atque hoc pacto exorta eſt in eis lætitia magna ex abundantia vini charitatis, quod lætificat cor hominis, & quod adfert ſobriam, laudabilẽque illam ebrietatem, ad quam iuſti omnes inuitantur à Sponſa verbis illis, Comedite, & bibite amici, & inebriamini chariſſimi.

METAPHORA LXXV.

Cum anima illius, ex huius anima pendeat. Geneſ. c. 44. verſ. 30.

SVblatis menſis, non ſtatim à conuiuio omnia læta eſſe fratribus ſuis, Ioſeph voluit: iuſſit enim, in ſacculo Beniamin ſcyphum ſuum occultari, quem

quem diſpenſator auguralem ſcyphum ipſiuſmet Proregis vocauit, vt furti grauioris illos inſimularet. Redière omnes Rei, ex crimine vnius Beniamin: qui ſolus id luere iubetur: & in Aegypto, retineri. Tum verò Iudas ſemet captiuum obtulit potius, ne patri grandæuo ſubtraheretur Beniamin, *cum illius anima*, inquit, *ex huius anima pendeat.* Alia vice Simeonem, vinctum retinuerat Prorex, quem aiunt ſuadere voluiſſe fratribus, vt inferrent mortem Ioſeph. Iã ſeruituti ſponte offert ſe Iudas, qui ſuaſerat eius venditionem. *Quid hoc ordine iuſtitiæ pulchrius*, inquit Rupertus Abbas? *nempe, qui hic ſeruitio ſe addicit, ipſe eſt, cuius conſilio in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* *Com-in Geneſ. l. 9. c. 9.*

De hoc ſcypho abſcondito intra ſacculum Beniamin, S. Proſper ita loquitur: *Calix paſſionis Chriſti, datus occulte per gratiam in corpore Pauli cognoſcitur: quem prædicans, cum omnem ſynagogam perturbaret in dictis, inuentum etiam in ſacco ſuo ipſe fatetur; cũ dicit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu Chriſti, in corpore meo porto.* S. Ambroſius etiam aliquo modo ait hæc ſpectare ad ſanctum Paulum, ſine quo nolebant fratres reuerti, *& quo amiſſo*, inquit, *aſſerebant in mœrorem deducendam Parentis Populi ſenectutem, & ideo Iudas apud Ioſeph remanere cupiebat: ne videret mala, quæ inuenirent patrem ſuum: hoc eſt iam præuidebat, & cauere cupiebat mala, quæ ventura erant populo Iudæorum.* *De Promiſ. & prædict. Dei.* *l. de Ioſeph. c. 11.*

Vt ad ſenſum hiſtoricum redeam, Iudas fore ait, vt non diu ſuperſtes parens eſſet, ſi conſpectu Beniamin orbaretur, & cauſam adfert, *cum anima illius ex huius anima pendeat:* quaſi vno annexu amor animas eorum ambas obſtrinxiſſet, nec vnius vita poſſet ruere; quin ſecum alterius traheret ruinam. Amantes amor ligat, & conglutinat, vt vidimus alibi. Amor præterea, veluti hamus eſt trahitque ad ſe illum, quem capit eſca, & dulcedine ſua. Arcana hæc vis eſt, amoris, & ligat potenter ſic magneti ferrum, ſic paleæ ſuccino adhærent, & etiam ſuſpenſa pendent ex ijs, nõ ligulis aut clauis, ſed ſecreto complexu, & veluti quodam amore. Tolle magnetem, tolle ſuccinum, cadet ferrum & ſtramen, aut ſimul potius vtrumq; tolles; non aliter Iudas affirmat fore, vt Beniamin ſublato, Iacob exanimaretur: cum anima, ſeu vita huius, ex vita illius penderet.

Cauſa amoris tanti generatim videri poteſt: quod Beniamin eſſet filius omnium natu minimus. Parentes enim, cum in ſe perpetui non ſint, vt aliquo modo viuant ſaltem in ſucceſſione ſua, progenerant liberos, & amant in eis manſionem diuturniorem in hoc theatro humanæ vitę, quę ſic prorogatur, & fit veluti perpetua.

Hinc oritur, vt filij vltimo puerperio nati, quia ex naturæ lege, atque ordine ſunt etiam vltimo morituri, ſoleant eſſe parenti chariores: nam credit ſe diutius in ijs quoq; permãſurum. Hinc nepotes impenſius Auus quam liberos

pro-

Proprios amat, nam in illis videt quodammodo ſe magis longæuum eſſe. Interim tacitè natura mortalium, Deum Immortalem Conditorem ſuum æmulatur: cuius vnius nomen circumſcribitur voce illa magnifica, *ego ſum, qui ſum.*

Exo. c. 3. v. 14.

Sed ad amorem Iacob erga Beniamin acceſſit etiam peculiariter, quod filius Rachelis pulchræ, & dilectę coniugis, eſſet: Partus enim, vt dici ſolet, ſequitur ventrem, & filius amabilis, coniugem ſequitur amabilem. Sicut autem magnes lapis, & ſuccinum (ſi terendo paulalum exſuſcitetur in eis calor, vel ardor aliquis) trahunt vehementiùs, & tenent tenacius: ita Iacob, qui pro Rachel ſeruierat annos XIV. tamdiu terendo ætatem pro ea, incaluerat magis amore illius, ſuſceptamque ex eâ dulcem ſobolem, amauerat præ alijs filijs: quia nō adeo magno attritu eos fuerat conſequutus.

METAPHORA LXXVI.

Vt comedatis medullam terræ. Geneſ. c. 45. v. 18.

TAndem ſimulatio finem acceperat: quā conſulto diſtulerat Ioſeph, fratribus fieri manifeſtius, vt purgaret prius, carceris intentato eis metu, eorundem animos à veteri culpa, qua nō tam ipſum Ioſeph, quam Deum illi grauiter offenderant. *Ioſeph*, inquit S. Bernardus, *poſtquam vniuerſam Aegyptum poſt ſe fecit currere in odorem vnguentorum ſuorum, etiam ſuis venditoribus eandē demum fragrantiam propinauit. Equidem increpatoria verba vultu proferebat irato, ſed erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices, ſed gratiæ proditrices.* Imo ex ijs lacrymis ipſemet Ioſeph apparebat non expers pœnæ, vt exclamet merito Diuus Gregorius: *o tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat.*

Serm. 12. in Cāt. can.

Hom. 21. in Ezech.

Poſteaquam itaque exercere in eos factam illam deſierat auſteritatem, & de furto ſcyphi ſui quæſtionem diu habuerat, non ſe amplius continere potuit, ſed vt loquitur idem S. Gregorius. *Pietas illa erupit ad medium, & excuſſit charitatis lacrymas, de vultu ſeueritatis, deterſa eſt ira, quæ apparebat, & non erat; oſtenſa miſericordia, quæ erat & non apparebat. Sic vir ſanctus facinus fratrum, & dimiſit, & vindicauit.* Fratres attoniti facta denuntiatione tam inopinata, & credentes ita eſſe, propter euidentia tot indicia, præſertim cum ore, & lingua paternâ loquentem eum audirent, hæſerunt perfuſi horrore magno. *Eum ſubmiſſis ceruicibus*, inquit idem S. Gregorius, *adorauerunt, & quia mutari Dei conſiliū non valet, [illegible] ideo vendiderant, ne adorarent, adorauerunt [illegible] vendiderunt.*

Ibidem vers. finem.

Ibidem.

Blande

Blandè verò conſolatus eos Ioſeph,& hortatus,vt ita placitum fuiſſe Deo, ſibi perſuaderent,monuit ad Patrem redirent, transferrent domicilium,atque in Ægyptum ad ſe migrarent. *Onerantes,* inquit Pharao,*iumenta, ite in terram Chanaan,& tollite inde Patrem veſtrum, & cognationem,& venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona AEgypti,vt comedatis medullam terræ.* In Hebræo textu habetur,*vt comedatis adipem terræ,*id eſt fruges,fructusque terræ opimos,& quidquid in Ægypto erit annonæ,atque vbertatis. *Gen c.45. verſ.18.*

Tellus ſine anima quidem eſt: ſed quia pleraque ex ijs, quæ animam,& ſenſum habent, ipſa parit, aut nutrit, ideò Scriptores,quà Sacri,& quà Prophani, ſæpenumerò tribuunt ei,tanquam magnæ Matri, partes corporis vnius, quod animæ ſit particeps. Notum illud eſt,in veteri fabula.

Diſcedite Templis,
Et velate caput,cinctasque reſoluite veſtes:
Oſſaque poſt tergum magnæ iactate Parentis. *Ouid.1. Metamorp.*

Sicut verò ſaxa,propter duritiem,terræ oſſa dicta ſunt, ita riui, amnes,maria poſſent dici venæ,atque arteriæ eius,ſyluæ ac nemora comæ, montes vbera, quia fontes lacteos effundunt, & albeſcunt niue, quaſi lacte, ilia & viſcera fodinæ metallorum,demum exhalationes, videntur eius reſpirationes. Hac ratione fruges,& mites alij fructus,vocantur adeps,& pinguedo,& medulla terræ:hoc eſt,maximè ſuaue nutrimentum,quò homo,præſtantiſſimum animal,veſci ſolet.

METAPHORA LXXVII.

Reuixit ſpiritus eius. Gen.cap.45. verſ.27.

MEndacium de Ioſeph, per rabiem feræ alicuius enecto ijdem,qui illud compoſuerant, retexere, & quodammodo diſſuere Patri debuerunt: Diuina prouidentia ſuauiter diſponente, vt ipſimet auctores id, quod falsò ſparſerant, & inmaniter finxerant,reuocarent. Iacob magis ex gaudio præſenti exhilaratus eſt,quàm fuiſſet afflictus ex præterita mœſtitia,& ita vehementer lætatus eſt ex accepto nuncio vitæ, & gloriæ Ioſeph dulciſſimi filij,vt reuixerit ſpiritus eius.

Origenes legit *reſuſcitatus eſt*, & notat in editione Græca vocabulum inueniri, quod *reaccendere*, inquit, *& reignire ſignificat. Quod dici ſolet*, inquit, *cùm fortè in aliquo materia ignis eo vſque deficit, vt extingui videatur, & ſi forte fomentis adhibitis reparetur, reaccenſus dicitur. Aut ſi lucernæ lumen eò vſque perueniat, vt putetur extingui: ſi forte infuſo oleo reſuſcitetur, licet minus polito ſermone, reaccenſa lucerna dicitur.* Ita in Iacob, quamdiu ignorauerat Ioſeph viuere; *velut defecerat*, inquit Origenes, *ſpiritus eius, & lumen, quod in ipſo fuit, fomentis deficientibus, iam fuerat obſcuratum.*

Homil. 15. in c. 45. Gē.

Ibidem.

In c. 45. Gē. Hom. 65.

Sequi etiam eam interpretationem S. Ioannes Chryſoſtomus videtur. Nam *ſicut ignis*, inquit, *in aere illa quando deficit olei alimonia, & iam extinguitur, ſi paruum quis olei infuderit, repentè quod extingui putabatur, clariorem emittit lucem. Ita & ſenex ille, præ triſtitia, iam extingui videbatur: noluit enim, inquit, conſolationem accipere, dicens, deſcendam lugens in infernum. Vbi autem cognouit, quod viueret filius, & quod dominaretur in tota Ægypto, & vidit plauſtra, reaccenſus eſt, & iuuenis ex ſene factus. Depoſuit mœroris nebulam, diſpulſit cogitationum tempeſtatem, tranquillus poſtea fuit.*

Reuixit ſpiritus eius, Vetus illud eſt, *anima vbi amat, ibi animat*, ſic ibi viuit ſpiritus, vbi diligit. Quoniam igitur Ioſeph imaginatio funere, iuxta fratrum narrationem pridem obierat, iam tum ſpiritus Patris cū eo penè exceſſerat è viuis, ſi minus re ipſa, mœrore ſaltem, & fletu ſepultus. Iterum cum eo ſuperſtite, reuixit, & cum luce gloriæ eius, poſt obſcura narrati funeris ipſius, ad vitam, reluxit. Oſtendebant filij munera, quæ Ioſeph ei miſerat, ſed ipſe: *ſi viuit Ioſeph*, inquit, *hoc ſufficit mihi*: cetera huic vni gaudio poſthabuit.

Lib. 8. Ethi.

Ariſtoteles definiens, pertineatne magis ad amicos amare, an amari, pronunciat, magis proprium eorum cenſeri, vt ament; pro qua ipſe ſententia, ad Matres prouocat, quæ maximè filios amant, & eos tamen alijs permittunt nutriendos. Quod ſi vellent amari, mallent præ oculis, & in conſpectu eos habere: ſed ſatis eſſe opinantur, ſi illis proſperè ſit. Non aliter Iacob, eſſe abunde pro voto ſuo interpretatur: cum de illo ſuperſtite certior redditus eſt, nec ceteroqui admodum lætatus eſt, dum filij referrent, ad ſe, in ea maligni temporis caritate, Ioſeph regnante, vitæ plura & magna commoda peruenire.

Gaudio exanimatam, præter alios, Matrem fuiſſe, poſt pugnam Cannenſem, filio incolumi viſo, contra falſum nuncium, Plinius tradit. Et poterat ideò metuı, ne lætitiæ ingens modus, ob vitam Ioſeph, poſt creditam tot annis mœſtiſſimam eius necem, opprimeret Iacob, niſi ſenſim ei facta perſuaſio, de illo ſuperſtite, argumentis, & indicijs varijs, fuiſſet. Sed non ille fuit amor naturæ magis, quam virtutis: hanc enim virtutem, & indolis excellentiam in filio potiſſimum dilexerat Iacob. Amauerat caſtum, & vete-

Lib. 7. c. 53.

verecundum iuuenem, *qui*, vt loquitur Diuus Gregorius, *tentante ſe Domina, ſtuduit carnis continentiam, etiam cum vitæ periculo, cuſtodire. Vnde factum eſt, vt qui membra ſua bene nouerat regere, regenda quoque omni AEgypto præeſſet.* *Homil. 15 in Ezech.*

Præclarum enimuerò documentum, & vtinam in penetralibus regum, ac Principum id aureis notis exaretur: quia caſtè ſeipſum regere, hoc demum eſt, poſſe gloriosè, ac feliciter alijs imperare. Origenes etiam, *hoc verè magnum eſt*, inquit, *quod in ditionem ſuam redegit AEgyptum. Calcare enim libidinem, fugere luxuriam, omneſq; voluptates corporis premere, ac frenare, hoc eſt, principatum gerere totius AEgypti.* *Homil. 15 in c. 45 Gē.*

METAPHORA LXXVIII.

Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum ſunt. Geneſ. cap. 47. verſ. 9.

MIgrant in Ægyptum Iſrael, & filij eius, anno Mundi ciↄ ciↄ cccxxix. Animæ tum egreſſæ de femore Iacob, vt Scriptura Sacra loquitur, lxvi. in hac expeditione fuerunt, quibus ſi Iacob ipſe, atque vnà etiam Ioſeph, cum geminis eius filijs accenſeantur, vniuerſi fuerint lxx. vxores tamen ipſius Iacob, filiorumque, & nepotum eius, famuli, & ancillę, extra eum cenſum ſunt, & proculdubio fuerint magno numero, vt conijci ex eo poteſt, quod ſolus Abraham, cùm necdum liberos haberet, numerauerit ex familia cccxiii. expeditos vernaculos.

Ioſeph Parenti fit obuius, vſque in Ieſſen, vbi futura erat habitatio illius, cùm locus eſſet amœnus, paſcuis idoneus, & ſaluberrimi cœli, ſita enim erat ea regio, inter mare rubrum, & mare mediterraneum, atque illuc ſtatim ab oſtiis Nili aſcendebatur. Poſt oſcula, dulciſſimos complexus, & amoris indicia omnia, Ioſeph, Parentem, & fratres, atque vniuerſam ſtirpem deducens, monuit, vt quando eſſent in conſpectu Regis, profiterentur ſe Paſtores eſſe, quò ita non adigerentur ad Aulæ, aut ad militiæ munia, nec inuicem ſepararentur: ſed permitterentur imò, ſeorſim ab Ægyptijs, agere, vt viri ſimplices, & vt ij, qui à pueris circa paſcua, & ſtudia ruris fuerant educati.

Interim quia Paſtorum humile genus, deſpicatui habebatur ab Ægyptijs, qui ſuperbientes erant in equis, & curribus ſuis, magnum in eo conſilio,

dedit poſteris, Ioſeph, humilitatis ſpecimen, & exemplum. Non enim erubuit ex genere, & ex obſcuris natalibus ſuorum: etiam tamen eſſet alter à Rege, & in gloria ſumma verſaretur. *Com. in Geneſ. l. 9. c. 18.* Fert, inquit Rupertus Abbas, *Paſtoribus ouium ſpiritualium, propoſitum eſt exemplum, vt humilitate glorioſa contemnant vanam, & inopem deſpiciant altitudinem ſeculi dicantq;, vbi vnq; equitantes Aegyptios viuentibus in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.* *Pſ. 19. ver. 8.* *Dicant coram terrenæ Patriæ ciuibus, & Regibus: non habemus hic manentem Ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Sic ipſe.

Illud etiam diſcere poſſunt Paſtores ouium ſpiritualium: Epiſcopi nimirum, & Antiſtites omnes, quibus impoſita eſt procuratio animarum: haud eſſe ipſorum, terere aulas Regum, & Principum, & procul ab ouili agere, vel quouis modo implicari negotijs Laicæ gubernationis, ac gerere temporarios magiſtratus. Dicant ij potius Pharaoni, *Paſtores ouium ſumus, curamq; habemus alendorum gregum.* *Ge. c. 46 & 47.*

Vt ad metaphoram propius accedam, poſtquam fratres Ioſeph id profeſſi fuerant, coram Rege, interrogatus ab eo, Iacob, quot eſſet annorum, & reſpondit, *dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt: parui, & mali, & non peruenerunt vſq; ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati ſunt.* Hæc ſenis Iacob aurea vox, digna fuit, cui Sanctus Paulus, ore cæleſti, nobile illud conſecrauerit elogium, cum de ipſo loquens, & de ſyderea ſtirpe eius. *Ad Hebræos c. 11.* *Iuxta fidem,* inquit, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus: ſed longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes: quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant, ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant vtiq; tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id eſt cæleſtem.*

li. 9. c. 18. in Geneſ. Rupertus Abbas, *Nunquid, nil aliud,* inquit, *Rex ſapiens locutus eſt, cum venerabili ſene, niſi quod interrogauit eum, quot ſunt dies vitæ tuæ? ſed profectò ſolum hoc ſcribi dignum fuit, propter memorabile reſponſum dicentis, dies peregrinationis vitæ meæ centum & triginta anni ſunt.* Deinde idem Auctor poſt alia, illud expendit etiam, vtiliter admodum, non Aulæ faſtum, non Regiæ gloriam, faſcinare animum ſanctiſſimi, & prudentiſſimi ſenis potuiſſe, vt Cæleſtis Patriæ obliuiſceretur, ipſe cum liberis ſuis. *Ibidem.* *Verum confeſſio,* inquit, *nunquam clarior, & certior inuenitur, quam hoc loco, vbi peregrinus iſte, in Aula Regis, non oblitus Patriæ Cæleſtis, vltro peregrinum ſe profitetur.* O quam multi, qui mollibus veſtiuntur, & qui in domibus Regum agunt, alterius vitæ ſunt penitus immemores, vel nullam fidem, opinionemque circa eam retinent! faſcinum ex oculis detrahant, nempe vitam clementem, quam ducunt, otium, & voluptatem, & tum percipient ſani ea, quæ iam ægri non vident. Ægroſcent, & probabunt conſilium eorum, qui non habent in hac vita manentem Ciuitatem,

ſed

ſed futuram anxij, & anheli ſemper inquirunt, ac de ijs dicent tandem, *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Sapien. 5. verſ. 4.

Interim ſi velint inſtrui, S. Auguſtinum, S. Hieronymum, & alios huius veritatis magiſtros audiant, qui docent, ſolos viros probos eſſe in hac vita peregrinos, & aduenas, vtpote Ciues Sanctorum, ac domeſticos Dei: contra improbos, ibi eſſe, vbi nati ſunt, nec habere alibi Ciuitatem. Sciant nihilominus, ſibi, vel inuitis, migrandum eſſe. *Vnuſquiſque*, inquit S. Auguſtinus, *hic & in domo ſua hoſpes eſt, ſi non eſt hoſpes, non inde tranſeat: ſi tranſiturus eſt, velit, nolit, hoſpes eſt. Nam dimittit illam filijs ſuis hoſpes, hoſpitibus. Ceſſit tibi locum Pater tuus, ceſſurus es locum filijs tuis, nec manſurus manes, nec manſurus relinquis.* Horatius etiam dixit aliquando: Serm. 32. de verb. Domini. Lib. 2 epiſt. in ep. ad Flac.

tanquam
Sit proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema,
Permutet Dominos, & cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur vſus, & hæres
Hæredem alterius, velut vnda ſuperuenit vndam:
Quid vici proſunt, aut horreæ

Quoniam igitur, vt ſanctus alibi loquitur S. Auguſtinus, *Omnis homo aduena eſt naſcendo, quia compellitur migrare moriendo*: Iacob meritò peregrinationem appellat, vitam ſuam: ad quam venit oriens, & ex qua erat abiturus aliquando moriens. *Peregrinatio quædam vita eſt*, inquit Plato, *& oportet peragentes camalacriter, & tantum non pæana canentes, ad poſtremam accedere neceſſitatem.* Quæſt. 91. in Leuit. Plato in Axiocho.

Præterea fuit peregrinus Iacob, quia mutare ſolum toties, & adire ignotas regiones debuit, profectus in Meſopotamiam Syriæ, inde veniens in Sichem: poſtea in Hebron, & iam in Ægyptum ſe transferens, verè aduena & peregrinus. Sed peregrinatio corporis hæc eſt, alia potior, & præſtantior ad animam ſpectat, quæ in diuerſorio etiam, in ipſa quiete, inter obuia notorum, & ignotorum officia, & in omni vitæ ſtatu, ſtudijs cordis exercetur, & animæ gradu, ac motu perficitur. *Corpus*, inquit S. Auguſtinus, *peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaueris terram, peregrinaris à Deo: ſi amaueris Deum, aſcendis ad Deum.* Enarr. in Pſ. 120.

Omnes itaque peregrini ſunt: ſed differentia ea nimirum eſt, quod iuſti peregrinentur ad Deum, & peregrè eant à terra: impij peregrinentur ſemper ad terram, & eant ſemper peregrè à Deo. Hi proinde, finita peregrinatione, quia ſuper terram ſemper, vt ſerpentes, ventre & carnis deſiderijs, reptant, in terram ſuam reuertuntur: at illi, quia de terra ſemper altius nituntur, Cœlum ingrediuntur, & perueniunt ad ſinum Dei. Quapropter Deum

& Cœlum hoc pacto aſſiduè, inter huius vitæ, vel ſecunda, vel aduerſa, & inter viciſſitudinem triſtium, ac lætorum, deſiderare, hoc demum eſt, cum Abraham, Iſaac, & Iacob, & alijs Sanctis peregrinari.

Manſère interim Iacob, & filij ac nepotes eius, in eâ, quam ſemper coluerant, vitâ paſtorum, & de qua Diuus Auguſtinus in hæc verba pulcherrimè philoſophatur. *Quæſt. ſuper Geneſ. q. 153* *Commendatur*, inquit, *in Patriarchis, quod pecorum nutritores erant, à pueritia ſua, & à parentibus ſuis. Et meritò, nam hæc eſt, ſine vlla dubitatione, iuſta ſeruitus, & iuſta dominatio: cum pecora homini ſeruiunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt, cum crearetur: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, quæ ſunt ſuper terram. Vbi inſinuatur, rationem debere dominari, irrationabili vitæ.* Quæ cum ita ſint, non abs re dixerit Latinus Paſtor ille:

Virgilius in Eclogis. *Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor, ariſtas.* Rex enim propriè paſtor eſt, & verum regnum hominis in pecora, & in ea quæ rationis vſu carent, fuit ab origine mundi. *Ibidem.* *Seruum autem hominem homini* (pergit S. Auguſtinus) *vel iniquitas, vel aduerſitas fecit. Iniquitas quidem, ſicut dictum eſt, maledictus Chanaan, erit ſeruus fratribus ſuis. Aduerſitas verò, ſicut accidit ipſi Ioſeph: vt venditus à fratribus, ſeruus alienigena fieret.*

Poſtea cum dixiſſet: bella feciſſe nomen ſerui, in Latina lingua, dum homo, qui ab homine ſuperatus, iure belli poterat occidi, ſeruatur: ſicut mancipia, quia manu capta, vocabulum hoc habuerunt, fundamentum ſeruitutis ita explicat: *Eſt ordo*, inquit, *naturalis in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, & filij parentibus: quia & illic iuſtitia eſt hæc, vt infirmior ratio, ſeruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus, & ſeruitutibus clara iuſtitia eſt, vt qui excellunt ratione, excellant dominatione. Quod cum in hoc ſeculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuerſitatem: ferunt iuſti temporalem peruerſitatem, in fine habituri ordinatiſſimam, & ſempiternam felicitatem.*

METa-

METAPHORA LXXIX.

Dormiam cum Patribus meis. Geneſ. cap.47.verſ.30.

EXegerat Iſrael, in Terra Geſſen, annos XVII. opibus gregibuſq; affluens, cum animaduertens vitam ſuam ſenſim labi, Ioſeph filium ad ſe accerſiuit,& rogauit in hæc verba, *ſi inueni gratiam in conſpectu tuo,pone manum tuam ſub femore meo: & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum Patribus meis.* Dormire in Scriptura Sacra,vt rectè notat Abulenſis,interdum ſignificat mori, in quo ſenſu dicitur in Euangelio, *Lazarus amicus noſter dormit.* Atque hoc vſurpant etiam Auctores Prophani,vt apud Poëtam: Ioan. c.11.

Soles occidere, & redire poſſunt. Catullus.
Nobis cum ſemel occidit breuis lux;
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Imo ex Nocte & Erebo, quaſi filios ex Parentibus, natos eſſe, mortem, & ſomnum finxerunt,atque eò ſpectat illud,

Et conſanguineus lethi ſopor. Virg.6. Aeneid.

Quemadmodum,& ſæpe à Poëtis ſomnus pro morte accipitur,vt de pia illa Danaide.

Surge,quæ dixit,iuueni marito, Horat.
Surge,ne longus tibi ſomnus;vnde
Non times,detur,ſocerum, & ſceleſtas
Falle ſorores.

Interdum dormire, idem ſignificat,ac ſepeliri, vti hoc loco, dormire Iſrael deſiderat cum Patribus ſuis.Et in Euangelio;*monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt. Et euntes de monumentis,poſt reſurrectionem eius,venerunt in ſanctam Ciuitatem,& apparuerunt multis.* Matth. c. 27 v. 52.

Sed vim, & energiam huius tropi, quo dormire dicuntur ij,qui obeunt, & tumulantur,ignorarunt Ethnici Scriptores,& inducti ad vſum eius ſolum fuerunt,ſimilitudine rudi,atq; extima dormientis,& morientis,ſeu in tumulo quieſcentis. S. Auguſtinus illam adfert præclarè his verbis, *ideo mortuos conſueuit Scriptura dicere dormientes:quia euigilaturos, id eſt reſurrecturos vult intelligi.* Et alibi, *iſta mors*, inquit, *ſæpe in Scripturis dormientium dicitur propter futuram reſurrectionem,velut euigilationem.* Quotquot igitur morimur, ſi naturæ Enarr. in Pſ. 87. Epiſt.120. ad Honorat.

poteſtas

poteſtas conſideretur: mortui propriè dicendi ſumus, ſi ſpectetur Dei tamen omnipotentia, duntaxat placide dormimus. Propterea idem S. Auguſtinus, expendens illam Christi Domini reſponſionem, *Lazarus amicus noſter*

In Ioan. cap. 11. *dormit, ſororibus,* inquit, *mortuus erat, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, qui eum ſuſcitare non poterant: nam Dominus tanta eum facilitate excitabat de ſepulchro, quanta tu non excitas dormientem de lecto: ergo ſecundum potentiam ſuam, dixit dormientem.*

Eadem ſpes reſurgendi, per virtutem Dei, efficit, vt in Scripturis Sacris

Pſ. 87. v. 6. ſæpenumero idem ſit dormire, atque in ſepulchro eſſe, vt illud: *ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris.* Atque id cauſæ videri poteſt etiam, cur in Eccleſia Catholica, locus deſtinatus pro ſepultura Christianorum, fuerit appellatus Græca voce, Cœmeterium, quod Latinè dormitorium ſonat.

Dormiam cum Patribus meis. Mirantur aliqui, cur Iacob, ciuis cœli, & cui, dum viueret, mundus vniuerſus exilium, aut certe locus peregrinationis fuerat, oſtenderit ſollicitum ſe adeò, circa locum ſepulchri? Rupertus Abbas ait, eum optaſſe in terra Chanaan ſepeliri, vt corpore ſaltem tegeret, ac poſſideret regionem, quam conceſſerat Deus poſteritati eius. Abulenſis & alij, tum id fuiſſe, interpretantur argumentum fidei, qua crederet poſteros ſuos, eam regionem poſſeſſuros aliquando eſſe, iuxta promiſſionem Diuinam, tum verò in ea re præſagium agnoſcunt: quo præuiderit fore, vt Meſſias intra fines regionis illius, conuerſaretur, moreretur que, & reſurgeret. Quo etiam tempore ſperauerit, inter alia multa corpora ſanctorum, ſe etiam reſurrecturum, quod de Iacob tradunt Scriptores Catholici non pauci, ſicut de Parente, atque Auo eius Iſaac, & Abraham.

Quæſt ſuper S. Auguſtinus exiſtimans inſuper, cadaueribus mortuorum, peccata ſigni-

Geneſ q 161 ficari, eorum verò ſepultura, remiſſionem, ac veniam peccatorum, *vbi ergo,* inquit, *ſepelienda erant, hoc ſignificantia cadauera Patriarcharum, niſi in ea terra, vbi ille crucifixus eſt, cuius ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum? mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata ſunt.* Denique S. Ioannes Chryſoſtomus ait, prætexere plurimos hanc Hiſtoriam Iacob, ſolitos fuiſſe, quoties admoneret, ne anxij plus nimio eſſent, circa locum ſepulturæ, cum ex aliena terra, in Patriam reuehi mortuorum corpora ſtudioſius, & impenſius curarent, quàm par Christiano animo iudicaretur. Poſtquam vero reſpondit, Iacob id expetijſſe, propter Meſſiæ aduentum in terram Chanaan, cuius venturi con-

In c. 46. Geneſ. Hom. l 66 ſcius ex oraculo Dei erat, ſubijcit hoc egregium documentum. *Ne mihi frigida illa verba, ridiculaq́ꝫ, & inſipientiæ plena, dicat aliquis: quòd ille, cane viliùs eſt mortuus, nullo familiarium præſente, neque ſepultura, & funus ei contigerunt, ſed collectitia ſtipe iuſta facta ſunt. Non eſt hoc, ò homo, cane ignominioſius mortuum eſſe, quod enim ille damni ſenſit: ſed ſi caret virtutis amictu, ſe tegente.*

META-

METAPHORA LXXX.

Aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius. Geneſ.cap.49. verſ.4.

ÆGER Iacob, & moriturus propediem erat, cum ad eum Ioſeph geminos filios Manaſſem, atque Effraim adduxit, eoſque Auus adoptauit, ac pares vndecim alijs filijs conſtituit. Hinc non vna Tribus Ioſeph: ſed gemina fuit, nec duodecim, ſed decem & tres fuere Tribus filiorum Iſrael. Obiter S. Ambroſius hoc ad ſanctum Paulum refert: *quia duodecim habebat filios,* inquit, *& tertius decimus erat futurus Apoſtolus Paulus, quaſi poſterior electus, tertia decima vt tribus de Manaſſe & Effraim ſanctificaretur in vtrumque diuiſa: quo Paulus non extra Paternarum inuictorum tribuum inueniretur, qui veteris teſtamenti, & noui egregius Prædicator, paternæ benedictionis hæreditatem ſibi quoque facile profeciſſe, comprobaret.* Libr. de Benedict. Patriar. c. 1.

Dum ijs tamen filijs Ioſeph benediceret Iacob, cancellatim innectens manus ſuas, dexteraque Effraim, Manaſſem læua comprehendens, conſultò eos inuicem præpoſteros diſponere viſus eſt, ac minorem maiori poſthabere. Cum verò id Ioſeph miraretur, vaticinatus eſt Iacob, & prædixit Manaſſem quidem de ſe populos daturum, nam is, non vt cæteræ tribus, vnam regionem, ſed binas obtinuit, alteram trans Iordanem à Moyſe, alteram cis Iordanem à Ioſue. Attamen *frater eius minor,* inquit, *maior erit illo*: quia Tribus Effraim decem tribuum, & regni Iſrael caput fuit: quando à regno Iuda diuiſum imperium ex tribus habuerunt, verſ. 19.

Poſt hæc filios ſuos vocauit Iacob, venturæque fœlicitatis eorum oracula proſequutus, aliquos naturæ prærogatiua exautorauit, propter crimina, quibus illi ſe polluerant, eoſque ex teſtamento reliquit inglorios. A Ruben omnium natu maximo exorſus, *Tu fortitudo mea*, inquit, *& principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effuſus es, ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Quæ verba S. Ioannes Chryſoſtomus ita expendit; *Vide, quanta ſapientia iuſti: volens enim accuſationem magis intendi, priùs dixit priuilegia ei ex natura conceſſa, & dignitatem, quam tenebat, quod principium filiorum, & primogenituræ honore clarus ſit: & poſtea voluntatis peccata illius, quaſi in ænea columna, inſcribit, monſtrans, quod nihil proderint nobis ea, quæ à natura inſunt,* In c. 49. Geneſ. Homil 67.

inſunt, niſi & voluntatis bona opera ſequantur. Ruben enim erat alioqui futurus primogenitus, Rex & Sacerdos: ad quæ honoris munia. ſuffragium naturæ iam habuerat.

Sed quia corporis dignitas deficiens eſt, niſi eam voluntatis, atque animæ cumulent ornamenta; ſcriptus in tabulis teſtamenti Rex & Sacerdos non fuit: nam Regni, & Sacerdotij gloria eiuſmodi eſt,* vt cum nullâ vitæ maculâ conſortium poſſit habere. Sanctus Hieronymus hunc fuiſſe ſenſum verborum Iacob ad filium Ruben, ait: *Tu es primogenitus meus, maior in liberis, & ſedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hæreditatem, quæ primogenitis iure debebatur, Sacerdotium ſcilicet, & Regnum accipere: hoc quippe in portando onere, & prævalido robore demonſtratur. Verum quia peccaſti, & quaſi aqua, quæ vaſculo non tenetur, voluptatis effuſus es impetu, idcirco præcipio tibi, vt vltra non pecces, ſisq; in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quod Primogeniti ordinem perdidiſti:* Ita S. Hieronymus: & notabile eſt, onus ab eo, Sacerdotium & Regnum appellari. Quod vtrumque tamen adeo temere appetunt homines: videlicet honoris faſcino animis illudente, qui honor, cum eo ingenti onere, auiditati & ambitioni humanæ, incertum damnosè, an vtiliter, propinatur.

Quæſt. Hebraic. in Geneſ.

Aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius. Facinus Ruben S. Patriarcha his verbis exprimit, honeſtè, & prorſus verecundè: atque hic obiter apparet, in ſanctis viris haud ita, conſtare ſententiam illam Philoſophi plerumque veram: nempe in ſenibus verecundiam non inueniri. Ruben concubinam Patris ſui Balam, iuſtam eius, ſed ſecundariam vxorem in balneo viderat, atque ea occaſio, inceſtandi ſe cum Nouerca, iuueni fuit. Quæ res Iacob Parentem vehementer ac diu contriſtauit: Dicitur verò, Deus ægritudine lethali, contractâ in ilijs, ipſum Ruben afflixiſſe, menſibus ſeptem, ex qua etiam obijſſet, niſi Iacob impetraſſet vitam ei precibus ſuis. Ad hæc ipſum Ruben criminis admiſſi adeò pœnituerat, vt vino & ſicerâ, & carnium eſu, ad ſeptennium abſtinuerit. Nihilominus quamuis id accidiſſet fermè annis quadraginta, ante Iſraelis obitum, & quamuis Ruben tamdiu facti pœnituiſſet, luit tamen ipſe crimen, & poſteritas vniuerſa.

Aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius, non periphraſis eſt in ijs verbis, aut circumſcriptio inceſtus Ruben, ſed metaphora, & ea quidem pulcherrima. Abulenſis eam agnoſcit; *Rhetoricè,* inquiens, *loquitur Iacob, colorando turpe factum Ruben, vocat autem cubile, ſiue lectum patris, non ipſum locum, in quo pater dormiebat, quia tunc aſcendere ſuper lectum eius ſcelus non fuiſſet: ſed accipitur cubile, pro vxore, quæ in cubili erat cum Iacob.* Sic ipſe. Sanctus Gregorius quoque vſus aliquando eſt ſimili tropo, nam à Deo idcirco datam fuiſſe, ait, mulierem viro, vt ſterneretur lectus voluptati eius. Videlicet, ſuper eam

vir

vir perinde, ac ſuper lectulum quieſcit, cum eius conſortio fruitur ad liberos procreandos, & honeſtas ſumma eſt, ſi per gratiam matrimonij Deus ipſe eiuſmodi lectum homini parauerit.

Eſt in eo quies felix, in quo, nullo metu diuinæ vltionis conſcientia, turbatur: vt aptari poſſit viro, ita placide quieſcenti Dauidicum illud; *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti, in infirmitate eius.* Ps. 40. v. 4. Hæc enim infirmitas eſt rebellio, & pruritus carnis, quæ caro in illo cubili per eiuſmodi quietem placidam, à Deo ſanatur. Quippe *ea quies* (ait de Enoch, qui etſi vxorem habuit, ambulauit cum Deo, loquitur ſanctus Ioannes Chryſoſtomus) *comprimit inſanum naturæ impetum: nec turbari, quaſi mare ſinit, ſed efficit vt ſcapha feliciter in portum appellat;* In c. 6. Gen. Homil. 21. ac paulò poſt conſiderans verba Scripturæ Sacræ, *placuit Enoch Deo, poſtquam genuit Mathuſala. Placuit, inquit, poſtquam genuit, vt ne quis arbitretur, obſtaculum virtutis eſſe coniugium.*

Contra Diabolus eſt, qui ſternit lectum adulteræ ſeu meretricis, & quiſquis incubuerit in eo lecto, haud ſanabitur in infirmitate carnis ſuæ: ſed accendetur grauius luxuria eius, & inquies perpetua (quod inde fit) damnoſum eius decubitum ſubſequetur, conſcientia nimirum obſtrepente, & exprobrante vbique, clamoribus validis piaculum, & iniuriam thori non conceſſi, & interminante flagella etiam diuinæ vltionis. *Scortator vel adulter, vel qui aliud tale quiddam admiſit,* inquit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, In c. 4 Gen. Homil. 20. *etiamſi omnium obliuiſci queat, nunquam tamen ſic in ſolitudine verſatur: quin habens acrem illum accuſatorem, ſuſpicionis timeat vmbras, tremiſcat, & eos qui conſcij ſunt, & qui non ſunt: perpetuaq; in animo eius tempeſtas eſt, & reciprocantes, ac contrarij fluctus.* Eſt verò conſcientia acer ille accuſator, quem & ſeuerum carnificem paulò poſt appellat, his verbis. *Inſuper neque ſomnus ei ſuauis, ſed terrore & formidine plenus, neque cibus voluptatem præbet, neque amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare, ab vrgente anxietate poſſunt: ſed quaſi carnificem circumgeſtaret, ſe lancinantem, & flagellantem continuo, ita poſt abſurdum facinus obambulat, nullo conſcio, ſuſtinens intolerabiles pœnas illas, & Iudex ſui ipſius factus, & accuſator.*

Itaque vxor eſt lectus, & cubile viri, in quo per matrimonium dicitur vir quieſcere, dormire, ac ſanari ab infirmitate carnis. Secus vir ille in cuius infirmitate, dum ea vritur, Deus eiuſmodi lectulum non ſtrauerit, expers quetis & ſanitatis, erit in ſtatu animæ lethali, & ipſo, incontinentiæ flamma non extinguetur. Nec obeſt, quod ſæpe in Scriptura Sacra, incontinentes, & adulteri, dum fornicantur, dormire, & quaſi quieſcere etiam ipſi dicantur. Nam hoc vocabulo honeſtiſſimo, & verecundiæ ſtudio exprimitur eorũ turpitudo, quo eodem exprimi ſolet, honeſtas matrimonij. Quemadmodum etiam prauitas Sodomæorum circumſcribitur honeſtè, hoc eſt

Geneſ. c.19. verſ 5. perindè ac matrimonium ſolet; Dixerunt enim, *ubi ſunt viri qui introierant ad te nocte? educ illos huc, vt cognoſcamus eos.*

3. Reg c.16. Vt regrediar ad ipſum Ruben, in Hebræo textu ad verba illa, maculaſti ſtratum eius, adduntur hæc alia, *& leuaſti illud*, quaſi Ruben lectum abſtulerit patri ſuo: Nam cum deinceps priuauit acceſſu ad vxorem Balam, peræquè ac poſtea Abſalon Regem Dauid parentem ſuum, priuauit acceſſu, ad concubinas decem, ſocias iuſti thori eius, dum ſe cum eis pariter inquinauit.

Deut. c. 33. v 6. Geneſ. c.37. verſ 22. verſ 30. Quæritur hic denique, quomodo verum fuerit illud Iſraelis vaticinium, *effuſus es ſicut aqua, non creſcas*: quia Tribus Ruben admodum cecidit, & ſortem in terra promiſſionis habuit, ante omnes alias Tribus. Doro- rus exiſtimat id factum ideó eſſe, quia etſi iuſtè Iſrael, propter inceſtum cum Bala, dixit Ruben in pœnam, *non creſcas*, Moyſes deinde moriturus, eam ſententiam reuocauit, dicens in benedictionibus Tribuum, *viuat Ruben, & non moriatur*, atque hoc in præmium pietatis eius erga Ioſeph, quando fratribus dixerat, *Non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem*, & quando indoluit, dum eum in ciſterna non reperit: quapropter ſciſſis veſtibus, querebatur illis verbis: *Puer non comparet, & ego quo ibo?*

In Geneſin. Lib. de Benedict. Patriarch. c.2 Ibidem. Itaque ea ſententia, ne Ruben creſceret, non fuit, vt Theologi loquuntur, abſoluta, ſed lata duntaxat ea conditione, niſi forte Deus per vicarium ſuum, ſententiam eandem reuocaret. Cæterum Ruben vti primogenitum Iſrael, figuram fuiſſe populi Iudæorum, qui priuatus eſt Regno, & Sacerdotio, exiſtimant. Sanctus Iſidorus, qui *Ruben*, inquit, *prioris populi videtur oſtendiſſe perſonam, cui etiam Dominus per Prophetam dicit, Iſrael primogenitus meus*: & ſanctus Ambroſius, cuius hæc ſunt verba de Iacob, *Execratur immanem primogenitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec Dei legi ſubdita, & iugum Chriſti dura neſciens portare ceruice, Auctorem vitæ, non ſolum ſcelere necis, ſed etiam ſacrilegæ inſultationis affecit iniuria.* Accommodat ei deinde ſingula, quæ de ipſo Ruben, in textu habentur, Nempe, *durus aſcendit populus cubile Patris, & thorum polluit ſanctū, hoc eſt, carnem Domini Ieſu, conditoris noſtri, patibulo affigens crucis: in qua, velut in quodam cubili, & patrio thoro, ſancti eius ſalutari refectione conquieſcant.*

Sermo. de triplici genere cogitat. noſtrarum. S. Bernardus ad carnis rebellionem hæc transfert. *Planè exclamandum nobis eſt*, inquit, *cum S. Iacob, atque dicendum: Ruben primogenitus meus, non creſcas: aſcendiſti enim cubile Patris tui. Rubeus enim, & conuolutus, atque ſanguinea huiuſmodi concupiſcentia eſt: quia tunc cubile noſtrum aſcendit, cum non ſolum memoriam tangit cogitatione: ſed & ipſum voluntatis ſtratum apprehendit, & polluit, praua delectatione. Benè autem primogenitus noſter dicitur appetitus ille carnalis.*

nalis: qui ab ipſo nimirum initio vitæ noſtræ in nobis pullulat, cum cætera vitia proceſſu temporis, ex malitia mundi huius, variiſq; occaſionibus contrahantur; ſic ipſe: & beati, qui eiuſmodi appetitum carnis priuant gradu & honore primogeniti: multo autem beatiores, qui procul à Sacerdotio, procul à Regno, hunc primogenitum iniquitatis ſemper habuerint.

METAPHORA LXXXI.

Simeon, & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia. Geneſ. cap. 49. verſ. 5.

CVm vaſa propriè dicantur eæ res, quæ inſtitutæ ſunt, vt aliquid recipiant, ſeu contineant, transfertur rectè vocabulum vaſis, modò ad corpus, modò ad animum hominis ſeorſim: Interdum vero ad hominem ipſum.
Corpus, inquit Cicero, *eſt quaſi vas, & aliquod animi recep-* Lib. 1. Tuſc.
taculum. David nondum Rex, alloquens Achimelech quæſt.
ſacerdotem; *Si de mulieribus,* inquit, *agitur, continuimus nos* 1. Reg c. 21.
ab heri, & nudius tertius, & ſunt vaſa puerorum ſancta. San- verſ 5.
ctus Paulus etiam, *habemus,* inquit, *theſaurum in vaſis fictilibus.* Et alibi hortatur, 2. Cor. c 4. verſ. 7.
vt ſtudeat vnuſquiſque *vas ſuum poſſidere in ſanctificationem;* atque hæc ad corpus hominis ſpectant. Pertinere ad animum videntur illa.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruauit odorem Horatius.
Teſta diu.

Mens videlicet, quæ ſeruat virtutis fragrantiam diu, ſi probe in eâ inſtituatur. Et apud S. Paulum; *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argen-* 2. ad Tim. c. 2. v. 20.
tea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Id
quod Diuus Ioannes Chryſoſtomus exiſtimat ad hominum animos referri, Commen. in
dum, *vides,* inquit, *vt non naturæ, carnaliſve neceſſitatis ſit aureum eſſe, vel fictile: ſed no-* eand. Epiſt.
ſtræ tantummodo voluntatis: vas erat fictile Paulus, ſed euaſit in aureum. Vas fuit au- Homi. 6.
reum Iudas, ſed in fictile conuerſum eſt. Similia ſunt apud eundem S. Paulum in Ad Rom. c.
verbis illis, *quod ſi Deus, volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſti-* 9. v. 22.
nuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ parauit in gloriam.
Denique ad hominem ipſum reuocanda eſt illa tranſlatio; *Vas electionis* Act. c. 9. verſ. 15.

erit mihi iſte. Siquidem vas pretioſum, portans oleum effuſum, quod eſt nomen Ieſu, fuit in animo Sanctus Paulus, hoc eſt, in indole illa heroica, & acri & ardenti, ex qua ſicut antea ſpirans minarum ferebatur ad cædes Chriſtianorum, ita deinde viſus eſt ferri vehementius, ad cædes errorum. Fuit vas in voce, & in labijs, vtpote Euangelij tuba, gentium tonitru, & flumen Chriſtianæ eloquentiæ, fuit vas demum in corpore toto, & ideò *ſtigmata*, inquit, *Ieſu Chriſti in corpore meo porto.*

Ad Galat. c. 6. v. 17.

In hoc ſenſu poſtremo Simeon, & Leui nominantur *vaſa iniquitatis bellantia*; id eſt, homines continentes iniquitatem, quam animo, & corpore, in bello iniquo, contra Sichimitas ſocios, & confœderatos, prodendo illos, trucidandoque expleuerunt: dolus enim animi eorum, fuit ſuadere circumciſionem; vt in tertio eius die, cùm ex vulnere dolores magni cooriuntur, eos imbelles, & ægros, internecione delerent. Verè *vaſa iniquitatis bellantia*; hoc eſt, homines iniquum bellum inferentes fuerunt. Excuſat eos S. Ambroſius, in hæc verba; *ideò & fortaſſe, iſti duo vltores præ cæteris: quia Scribarum, & Sacerdotum auctores ſunt, nulli enim magis, quam Sapientes, & Sacerdotes, debent caſtimoniam vindicare.*

Li. de benedict. Patriarch. c. 3.

Nihilominus Iacob, ſicut honore primogeniti Ruben priuauerat, propter inceſtum eius cum Nouerca, ita iam Simeon, & Leui, propter cruentam eorum iniquitatem, eodem honore priuatos voluit, quem alteruter cetero-quin ordine natiuitatis adire debuiſſet. Quin imò, poſtquam Iacob ſe participem non fuiſſe conſilij eorum pluribus affirmauit, ſententiam in eos pronuncians, *diuidam eos*, inquit, *in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael*; ac prorſus ita fuit. Siquidem, vt S. Hieronymus tradit; Leui hæreditatem propriam non accepit, *ſed in omnibus ſceptris*, inquit, *paucas vrbes ad habitandum habuit*; hoc eſt, datæ ſunt ei ciuitates, in quauis tribu, cum ſuburbanis, ad alendos in ijs greges.

Num. c. 34. & 35.

De tribu Simeon aliqui ex Rabbinis aiunt, omnes Scribas in Iſrael, & omnes magiſtros puerorum, qui docerent eos literarum prima rudimenta, ex tribu Simeon fuiſſe, & ideò Simeonitas vagari ſolitos per alias omnes tribus, nec opulentos fuiſſe, quia exercitij genus, id eſt, in quo ægrè ſolent homines ditari, ſed hæc parum idonea videtur interpretatio diuiſionis, & diſperſionis eorum in Iſrael, & licet Scribarum auctores, ex tribu Simeon fuiſſe, etiam S. Ambroſius, & S. Iſidorus opinentur, S. Hieronymus aliter de hac re videtur ſentire: hæc ſunt verò eius verba. *De Simeon in libro Ieſu ſcriptum eſt, quod & ipſe proprium funiculum non fuerit conſequutus: ſed de tribu Iuda quiddam acceperit. In Paralipomenis autem manifeſtius ſcribitur, quod cum multiplicatus fuiſſet, & non haberet poſſeſſionis locum, exierit in deſertum.* Cæterum etiam Leui maledictionem ſuſtulit Moyſes, exaltauitque Tribum eius, ad gloriam Sacerdotij: propter zelum Tribus Leuiticæ erga honorem Dei; ſiluit verò de Tribu Simeon, & ideo ve-

In quaeſt. de Hebr. ſuper Geneſ.

tus ſententia Iacob de illa manſit, fuitque ſemper exigua atque ignobilis ea Tribus.

Vt abſolutam, vſurpatur frequenter in Scriptura Sacra nomen vaſis, vt *vaſa* Pſalm. 70.
Pſalmi apud Dauid; *vaſa cantici* apud Amos, apud Dauid iterum ſagittæ *vaſa* cap. 6.
mortis, in Prouerbijs *vas pretioſum labia ſcientiæ*; Et Sol apud Eccleſiaſticum di- cap. 20.
tur *vas admirabile, opus Excelſi*; cùm ſit luminare, quod illuſtrat magnam hanc cap. 43.
mundi domum. Quibus in locis Inſtrumenta Muſices, Mortis, Sapientiæ, ac Lucis, vaſa nominantur.

METAPHORA LXXXII.

Catulus Leonis Iuda. Geneſ. cap. 49. verſ. 9.

REgum Iudæ prædicit Iacob in hoc Leonis, nempè animalis Regij, ſymbolo: *Semper enim*, inquit Diuus Ioann. Chryſoſtomus, *Scripturæ mos eſt, per figuram huius Animalis regiam auctoritatem inſinuare*: atque huius Regni vaticinium aperte ſatis expreſſerat verbis illis proprijs, quæ anteceſſerant, *Iuda te laudabunt fratres tui*, quaſi alludens, ad nomen Iudæ, quod laudis confeſſionem ſonat, diceret, à laude meritò habes nomen: quia vt præcellens inter fratres tuos, laudaberis ab eis, ſicut Rex ab Aulicis, & à ſubditis laudari ſolet. *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum*, debellabis omnes hoſtes Regni tui, & ne deſit obſequium debitum regiæ maieſtati, adorabunt te filij patris tui: atque hic notat S. Hieronymus, non dici *adorabunt te filij matris tuæ*, ſed *patris tui*, quia regnaturi erant poſteri Iuda, non in aliquot ſolum, ſed in vniuerſas tribus Iſrael. Catulus Leonis Iuda, eminet quædam in Leone præſtantia, & quaſi ſpecies virtutum Regiarum, quod cauſæ fuit, vt peræque dicatur Rex quadrupedum Leo, ſicut Aquila Auium Regina nuncupatur.

In quæſt. Hebr. ſuper Geneſ.

Leoni cura, & ſollicitudo magna eſt genuinæ prolis: nam ſi cum Leopardis Leæna forte adulteret, Leo facinus odoratur, & perſequitur ſcortum ignobile, quod regium genus inquinat catulis adulterinis: Sic Regum ſtirps, & ſucceſſio exploratur ſemper, quia *fortes creantur fortibus*, vt loquitur Poeta.

Leoni validiſſimum & fortiſſimum eſt caput: mens adæque fortis, & valida eſſe Regibus debet, qui ſunt capita populorum.

Omnis fere Leonum vis conſtat in oculis, adeò vt ſi quamuis iniectu leui

eis

eis caput operias, torpeſcat in illis feritas omnis, nec ſomno ea vis remittit, nam fama eſt, eos noctu cubare oculis apertis. Imo ſolum leonem perhibent, inter alia animalia, naſci apertis oculis, adeò eſt lucis amicus. Regem par eſt vigilantia in ſubditos: & ideò virgam vigilantem Iſaias vidit, ſymbolum eius, qui eſt Regum Rex, & Dominus Dominantium. Cyrillus verò Alexandrinus ait, Ægyptios ſi vellent ſignificare Deum, ſummamque eius prouidentiam, pingere ſolitos oculum, cui ſceptrum ſubſtituatur. Sic enim profitebantur, Deum omnia intueri, & regiam ei eſſe maieſtatem. Stans etiam baculus exprimebat diuinam naturam, cuius eſt nulli ſuccumbere, ſed ſemper ſtare, & ſuſtentare omnia. Perinde in Regibus, ſi fieri poſſet oculus prouidentiæ, deberet eſſe apertus, etiam dum vrget nox, & quies. Ideo cum noctem in cœlo eſſe, & Deos dormire omnes, Homerus fingeret, Iouem ſolum vigilare tamen, vtpote Regem Deorum, affirmauit.

Aelian. lib. 5. c. 39.

Lib. 9. aduerſus Iulianum.

Generoſitas, quæ adeò Reges decet, eſt etiam Leoni præcipua, tum præſertim, cum colla armoſque veſtiũt iubæ, eaque maximè in periculis cernitur.

Reges nulli rei, quàm honori, inhiant auidius, ſicuti conditio eorum excellens videtur meritò exigere. Leo etiam honori ſeruit. Etenim quamlibet magnâ canum & venantium vrgente vi, contemptim, ac reſtitans cedit in campis, vbi ſpectari poteſt. Secus vbi virgulta, ſyluaſque penetrauerit: acerrimo enim curſu inde proripit ſe, *velut abſcondente,* inquit Plinius, *turpitudinem loco.*

Iuſtitia vindex facinorum & ſcelerum, quæ eſt cuſtos æqui, ad Reges pertinet, & pariter in Leone, veluti quædam eiuſmodi iuſtitia inuenitur: nam lædit præcipuè eos, à quibus læſus eſt, & quodammodo ſupra meritum non exigit pœnas. *Vulneratus,* inquit Plinius, *obſeruatione mira percuſſorem nouit, & in quantalibet multitudine appetit. Eum tamen, qui tela quidem miſerit: ſed tamen non vulnerauerit, correptum rapta: uinq; ſternit, nec tamen vulnerat.*

Lib. 8. c. 16.

Sed & illud planè regium de Leone audiant aliqui, peſtes generis humani, qui Regum aulas, & Regum animos replent, atque imbuunt dolis: quin imò inter præcepta numerant, quod poni deberet ſolùm inter edicta, & ex loco maieſtatis, inſtar barbaræ artis, eliminari. Leones nimirum ſuſpicione, ac dolis carẽt: neq; limis, atq; obliquis intuentur oculis, imò neq; aſpici ſimili modo ac vitio volunt. Enimuerò, qui docent perplexa verba, & ſuſpenſa de induſtria, mendacijſque, & dolis farta. Regum propria cenſeri, non ij ad formicas, vt pigri, ſed mitti ad Leones deberent, vt Rei maieſtatis: Quandoquidem artem Regnandi pulcherrimam, & Dei, in quo dolus non eſt, Vicariam, hoc pacto & ijs artibus indigniſſimè deprauant.

Denique Leoni tantum ex feris, clementia eſt in ſupplices, proſtratiſque parcit, & ſentire preces videtur: cùm ſit in reluctantes acer nimium, & ferox.

Hac

Hæc vero moderatione temperare debent Reges potentiam Imperij: vt ſatis conſtat ex illa perccelebri Regum inſtitutione.

Tu regere imperio populos, Romane, memento: *Æneid. 6.*
(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem;
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Hæc de multis perſtringere libuit, vt ratio comparandi Regem & Leonem, quam Scriptura ſacra hoc loco vſurpauit, clarius appareret. Etenim apud ſcriptores etiam prophanos ſemper Leo, aut Regis ſymbolum, aut Regni præſagium fuit. Quo pacto dum Nicippus ageret in re priuata, ferunt ouem in eius grege non agnum, ſed Leunculu peperiſſe, quæ res ei omen Regni dedit. *Cal. Rodig. li. 13. ca. 14.*

Catulus Leonis Iuda. hoc ad Chriſtum Dominum in ſenſu proprio, ſeu hiſtorico referri non debet, vt ſatis ſit manifeſtum, ex verbis illis, *non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec veniat, qui mittendus eſt*, nempe Meſſias, nam illa dicebantur contingere debere in Iudæ inclyta poſteritate, donec Chriſtus Dominus in terris oriretur. Chriſti verò Natiuitas fuit, quo tempore in Iudæa regnabat Herodes Aſcalonita, natione Idumæus, & quo primũ tempore deſierat regnum eſſe in Tribu Iudæ, & in Dauidis proſapia, cum fuiſſet in linea eius maſculina, vſq; ad reuerſioné tribus Iudæ ac regiæ familiæ ex captiuitate Babylonica, & cum ex eo tẽpore perſeueraſſet in linea fœminina, & genere eius materno. Quoniã Aſſamonæi, qui erãt ex proſapia ſacerdotali, & ex Tribu Leui, tum rerum potiebantur, & connubia ineuntes cum Tribu Iuda, & cum ſtirpe Dauid, in annos conſequentes ſacerdotiũ ac Regnum coniunxerant.

Durauit porrò eorum Principatus, donec Antonius Antigonum Aſſamonæum vltimum Regum Iudæorum, bello ſuperauit, & ſecuri percuti iuſſit, cum prius fuſtibus cæſus, atque actus in crucem fuiſſet. Itaque Regnum Iudæorum, ex ſenatuſconſulto datum Herodi primum fuerat, quando miſſus è cælo eſt, vt naſceretur in terris ille, qui per crucem ſanctam ſuam ampliore, ac diuiniore principatu, reſtituit illud idem Regnum Iſrael, quod in Antigoni Aſſamonæi cruce paulo ante deſierat. *Dioni. Hiſt. Rom. li. 49.*

Catulus Leonis Iuda: cum ad Iudam & poſteros eius hoc vaticinium pertineat, vt dixi, notat Abulenſis, in ipſomet Iuda maiorem quam in fratribus alijs animi vim atque alacritatem, cum poſt inuentum ſcyphum in ſacculo Beniamin, adijt primus Aegyptij Proregem, & ei perſuadere conatus eſt illius liberationem. Deinde in Tribu Iuda agnoſcit, ad pericula parem animum, quando in introitu maris rubri, dum formidarent aliæ Tribus, nec auderent dubias illas moles, & liquidos aggeres vndarum introire, Tribus Iuda ſpreto aut diſſimulato diſcrimine, auſa eſt admirabilem illam ſemitam penetrare. Denique quo-

ad Regum ſucceſſionem (cui Dauid ex hac Tribu initiũ fecit, catulus Leonis, quia fratrum ſuorum erat natu minimus, & ſimul deinde Leo, quia fuit Rex omnium vigilantiſſimus, fortiſſimus, & generoſiſſimus) quoad Regum, inquam, ſucceſſionem, ea mihi videtur graphicè pingi, tribus his comparationibus, quibus dicitur, catulus Leonis, Leo & Leæna. Primum enim ſincera ſtirps, & non degenerans à Iudæ, ac cæterorum Auorum ſanguine indicatur, dum deſcribitur, quaſi Leunculus ex Leone genitus. Nec enim dicitur catulus Leænæ, qui oriri poteſt ex alieno patre, vt ex Leopardo, aut ſimili fera, ſed dicitur Leonis catulus, Leonis ex Leæna filius. Poſtea Leo nuncupatur, quia ſeries Regum Iuda diu, in linea maſculina fuit. Quia verò poſt captum Sedeciam, manſit tantummodo regnum in eiuſdem Tribus Iudæ linea fœminina, ſub Regibus Aſſamonæis, ideo ad ſeriem hanc omnem Regni prænunciandam, Iudas Leænæ inſuper comparatur.

Nonnegauerim hæc omnia, quæ hactenus expoſui, poſſe in ſenſu allegorico rectè ad Chriſtum Dominum referri: de qua re ſunt plures, & nobiliſſimæ Sanctorum patrum interpretationes. Sanctus Ambroſius ex eo quod Chriſtus Do-
l.1. de Benedict. Patriarch. cap. 4. minus natus ex tribu Iuda, catulus Leonis appelletur, aduertit ingenioſiſſimè, inſinuari apertè, ipſum & filium Dei, & Deo æqualem eſſe. *Nonne euidenter & Patrem, inquit, expreſſit, & filium declarauit, quid tam euidens quò vnius naturæ filius Dei cum patre eſſe doceatur! Leo ille, hic catulus Leonis, vili comparatione eiuſdem naturæ & potentiæ vnitas intelligitur. Rex ex Rege proceſſit, fortis ex forti, & quia futuros prouidebat, qui filium aſſererent iunioris ætatis, occurrit hic ſubijciens, ex germine mihi aſcen-*
Ibidem. *diſti, recumbens dormiſti vt Leo.* Hæc vero explicans in ſuis Sanctus Ambroſius, proſequitur in hæc verba *Ergo quia catulum dixit, bene ſtatim leonem poſuit. Hoc eſt dicere, non cauantur aures veſtræ quia catulum audierunt: filium expreſſi, non dixi minorem & ipſe eſt leo, ſicut Pater. Audiant quia & Leonem & catulum appellauit. Leonem, quaſi perfecta, plenaque virtutis, catulum, quaſi filium: ne quis cum audiret, æqualem patri non putaret filiũ.* Hæc ipſe, quæ cõfirmari poſſunt, quia in Hebræo textu, vt obſeruauit etiam Cardinalis Caietanus, nullum eſt ſignũ caſus obliqui, vt peræquè legi poſſit *Catulus Leonis*, & *Catulus Leo*, quod eſſet idem, ac filius Dei, &
In Phyſiolog. filius Deus.

Symbolum quoque Dei cognitu difficilis, Leonem eſſe, ait Sanctus Epiphanius, quia Leo cauda occultat veſtigia ſua: ne inſiſtens illis venator, lu-
Ad Philipp. ca 2. v 7. ſtrum deprehendat. Non aliter Chriſtus Dominus ſuam diuinitatem occultauit, *habitu inuentus, vt homo.* Sicut verò hæc indicant Chriſti diuinitatem, ita incarnationem eius inſinuant, ea quæ apud ſeptuaginta Interpretes habentur, dum loco illius textus, *ad prædam fili mi aſcendiſti*, redditur, *de germine fili mi aſcendiſti.* Etenim tamquam frutex terræ, in aluo virginis Deiparæ germinauit & vt flos boni odoris ad redemptionem Mundi prodijt, ex maternis viſceribus.

Iſte

Iſte catulus, inquit Origenes, *aſcendit ex germine, ex virgine enim natus eſt, non ex ſemine.* Iccirco ex virgine abſque concubitu viri, & abſque ſemine natura nafci- tur Chriſtus, velut virgultum, ſiue ramus. Paſſio eiuſdem deſcribitur, & mors, & ſepulchrum, dum additur, *requieſcens accubuiſti, vt leo.* Reſurrectio autem, dum ſubiungitur, *quis ſuſcitabit eum,* & in rem præſentem facit, quod idem Origenes, Sanctus Iſidorus, & alij narrant de catulo Leonis, nempe cum fuerit natus, tum tribus diebus, & tribus eum noctibus dormire, donec patris rugitu, tanquam tremefacturu cubile, ſuſcitet dormientem. Sic tertia die Chriſtus è ſomno mortis, atque ex cubili ſepulchri excitatus eſt, & reſurrexit. Homil 17. in c. 49. Geneſ.

Eccleſiam ab eo fundatam Sanctus Gregorius, ex vocabulo Leænæ conijcere videtur. *Quia Eccleſia,* inquit, *eſt corpus Domini, ipſe etiam Dominus Leo vocatur ex ſe, Leæna verè vocatur ex corpore.* Denique filios adoptionis Dei Chriſtianos omnes, ait Rupertus Abbas deſignari in filijs Patris & filijs matris Iudæ. Et poſtquam oſtenderat, vnicè catulum Leonis, id eſt, filium Dei fortiſſimi Chriſtum ſalutari. *quamuis dicamur, & ſint fratres tui,* inquit, *vel filij patris tui: non tamen, vt tu catulus, ſic & ipſi dici, vel eſſe poſſunt catuli leonis: non enim natura, ſed adoptione ſunt filij Dei Patris tui. Vnde & præter te fili mi, nullus infernum ſpoliare potuit.* 18. mor. cap. 22. comment in Geneſ li. 9 cap. 8.

METAPHORA LXXXIII.

Lauabit in ſanguine vuæ pallium ſuum. Geneſ. c. 49. v. 11.

VVæ, præſertim rubeæ, congruè ſanguinis vocabulum aptatur, ita vt ſit vinum in vua, ſicut ſanguis in vena. Homo perinde viti, & populus vineæ comparatur. Dicitur verò Aegyptijs olim perſuaſio fuiſſe, vinum ex profuſo humi Gigantum ſanguine, ſcaturire primum cœpiſſe: ideoque ineſſe eidem furorem, & amentiam, Aegyptij crediderunt. Fortaſſe autem occaſio ea fuerit, etiam, cur vino ſanguinis vocabulum ſæpe ſcriptores accommodauerint. Androcydes, vir ſapientiâ clarus, ſcripſit ad Alexandrum Magnum, & ſuaſit, vt intemperantiam cohiberet, Perer. in Geneſ.

ijs verbis: *vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicuta vinum: Quibus præceptis*, inquit Plinius id referens, *ſi ille obtemperauiſſet, profectò amicos in temulentia non interemiſſet.* Sanguini etiam ſimile vinum eſt, quoniam hauſtum accendit calore viſcera, & viribus corporis cenſetur vtile, ſi modus adſit, ſic alitur ſanguine calor vitæ, & vires corporis eo fouentur, vtriuſque tamen exceſſus, & abundantia morbos creat.

lib. 4 ca. 5.

Lauabit in ſanguine vuæ pallium ſuum. Tertullianus, S. Ambroſius, S. Ioannes Chryſoſtomus, Rupertus Abbas, Abulenſis, & interpretes alij exiſtimant, de Meſſia venturo hic ſermonem eſſe: quem Iacob præſagiebat debere aliquando, in vino pretioſi ſanguinis ſui, ſtolam, id eſt, carnem ſuam innocentiſſimam, eluere, & pallium, id eſt, Eccleſiam, qua Chriſtus quodammodo induitur dealbare. *Stola Chriſti*, inquit Origenes, *quæ lauatur in vino, meritò eius intelligitur Eccleſia, quam ipſe mundauit ſibi ſanguine ſuo, non habentem maculam, neque rugam.* & S. Iſidorus: *Pallium*, inquit, *gentes ſunt, quas corpori ſuo coniunxit: ſicut ſcriptum eſt, Viuo ego dicit Dominus, niſi hos omnes induam ſicut veſtimentum.* Hæc facta ſunt, quando exundauit ſanguis eius in torculari crucis, & carnem ipſius reſperſit, quæ caro erat ſtola, ſeu trabea & paludamentum latentis in eo diuinitatis.

Homil. 17. in Geneſ. c. 49.
In Genes.

Bona ſtola, inquit S. Ambroſius, *eſt ſanguis Chriſti, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta ſuſcepit, omnium errores texit*, & deinde ſubdit: *lauit ergo Ieſus ſtolam ſuam: non vt ſuam, quæ non erat, ſed vt noſtram, quæ erat, ſordem ablueret. Et bene vuam dixit, quia ſicut vua pependit in ligno: ipſe eſt vitis, ipſe eſt vua, vitis ligno adhærens, vua quia lancea militis apertum latus, emiſit aquam, & ſanguinem. Stolam, & amictum, carnem demonſtrans*, inquit etiam Tertullianus, *& vinum ſanguinem, ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.* S. Cyprianus verò, *quando*, inquit, *ſanguis vuæ dicitur, quid aliud, quam vinum calicis Dominici ſanguis oſtenditur?*

lib. de benedict. Patriarc. cap. 4.
li. 5. aduerſ. Marcionem cap. 4.
Epiſt. ad Cæcili.

Eodem modo ad Chriſtum Dominum verba quæ proxime antecedunt, nempe *ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam.* Abulenſis refert atque interpretatur, vt ſit ſenſus, per aſinam populum Iudæorum ſignificari, domitam ſub onere legis, per pullum intelligi populum Ethnicorum, nondum ſubactum, onere vllo præceptorum. Hos verò ait, Chriſtum ad ſe tanquam ad vineam, & ad veram vitem tunc ligaſſe, quando *fecit vtraque vnum*, ſeu populos eos geminos in Eccleſiam vnam aggregauit.

Ad Epheſ. c. 2. v. 14.

S. Hieronymus *in Hebræo*, inquit, *ita habet: alligans ad vitem pullum ſuum, & in Soret fili mi, aſinã ſuam: quod videlicet pullũ aſinæ, cui ſuperſedit Ieſus, hoc eſt gentilium populum, vineæ Apoſtolorũ, qui ex Iudæis ſunt, copulauerit.* Eadem fere S. Iſidorus ſcribit.

In Quaſt. Hebraic. ſuper Geneſ.
In Geneſ.

ſcribit in hæc verba *Pullus ſuus, ex gentibus populus, cui adhuc nunquam fuerat legis onus impoſitum: hunc copulauit ad vineam Apoſtolorum, qui ex Iudæis ſunt. Nam vinea Domini Sabaoth, domus Iſrael eſt. Et ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam, ipſe dixit, ego ſum vitis vera. Ad hanc verò vitem alligat aſinam ſuam: ipſe dixit, ego ſum vitis vera: ad hanc verò vitem alligat aſinam ſuam, cui ſuperſedet Eccleſia, ex nationibus congregata. Hanc itaque, ad vitem corporis ſui alligauit vinculo charitatis, & diſciplinæ Euangelicæ nexu, vt de imitatione illius viuens, efficiatur hæres Dei, & cohæres Chriſti.*

Sed propria huius textus interpretatio videtur Lyrano, & alijs referenda potius ad Iudam atque ad ejus Tribum. Ordo enim poſtulabat, vt poſteaquã Iacob deſcripſerit futuram in ea tribu dignitatem regiam, adderet conditionem terræ, quæ illi obuenire in ſortem debebat. Fauet huic explicationi Chaldæa Paraphraſis in hæc verba: *purpura optima erit veſtimentum illius, operimentum eius erit ſericum, tinctum coccino, varijsq; coloribus*: quæ ſpectant propriè ad Iudam, vti iam deſignatum Regem.

Declaratur porro magna fertilitas terræ Iudæ quæ ferax adeo erat futura, vt ſi vnus aſinus ligaretur ad vitem vnam, de huius ſolius botris abundè poſſet onerari. Vel ita, vt nihil referret, ſi paſſim alligarentur vitibus iumenta, quaſi tenue damnum vbertati eſſet id futurũ. Vel demum ita, vt ſperari debeat vini copia tam redundans, quæ non ſufficeret modo ad bibendum, ſed ad lauandum, ſi liberet, in vino etiam totius populi veſtimenta. Dici etiam poſſet, circumſcribi vbertatem ea periphraſi, *ligans ad vitem aſinam ſuam*. quia de aſino memorant, artem putãdi vites eam ante omnes indicaſſe. Depaſtus enim vitis palmites, dedit vindemiam vberiorem & hinc apud Nauphienſes, populos Poloponeſi, aſini figura viſebatur vitem arrodentis, vt maneret facti recordatio in annos conſequentes. *Pauſan. in Corinthiacis.*

METAPHORA LXXXIV.

Iſſachar Aſinus fortis. Geneſ. c. 49. v. 14.

HAnc aſini fortitudinem, quæ Tribui Iſſachar accommodatur, aliqui ex Rabbinis, transferunt ad laborem legis atque aiunt, ſtudio eius addictam eam Tribum imprimis fuiſſe, & hanc eorum opinionem refert etiam S. Hieronymus. Sed eſt inepta prorſus interpretatio; tum quia potius Tribus Leui ea fuit, quæ in doctrina, & ſtudio legis excelluit, tum vero quia tametſi ea laus Tribui Iſſachar deberetur, per hoc animal adeò iners, *In Quæſt. Hebraic. ſuper. Geneſ.*

 ers,

ers,ac ſtolidum,nimis ea incongrue inſinuaretur. *ſi fieret hæc metaphorica translatio*,inquit,Abulenſis.*oportebat fieri per conuenientiam eius,quod transferebatur, alias inepta,& ſtulta eſſet translatio,quod non conuenit Scripturæ ſacræ.* Id verò ſapienter Abulenſis monet:neque enim temere vocabula transferri debent, vt fiat metaphora,ſed neceſſe eſt,vt ſimilitudo ſemper aliqua ſe offerat,propter quã locutioni propriæ,aliam locutionem minime propriam,ſubrogemus.

Præſagium in ijs verbis fuerit potius,fore, vt Tribus Iſſachar tolerandis laboribus agriculturæ dederit ſe,cuius rei ſymbolum aſinus eſſe, ſatis congruè poteſt;cum aliud animal in patientia oneris ei par ægrè inueniatur. Hoc loco autem notare oportet,Iſſachar haud vocari aſinum fortem, quaſi virtutem fortitudinis Iacob ei voluerit tribuere,nam Aſinus,vti animal timidiſſimum,longe maximum cor habet,& felle caret. Ideo quaſi neſciat inimicitias,

Plinius. & iras,Marti olim,ſacrificabatur:vt id argumento eſſet,timidos, ac imbelles, in bello perimi,& Marti victimas cadere.Neq; enim admodũ placet aliorũ interpretatio,nempe Marti conſueuiſſe ideo aſinum immolari, quoniam oris ſtrepitu,belli claſſicum referat.

Cel.Rodig. Iſſachar itaque aſinus fortis dicitur; eòquod ad tolerandos labores, & onera perferenda,eſſet futurus idoneus,& robuſtus:atque hinc in Hebræo textu vocatur Iſſachar aſinus oſſeus.in oſſibus enim vis, & robur ſuſtentandis oneribus,ob eãdemq; laboribus,præcipuè cõſiſtit.Explicatur magis noſtra huius vaticinij expoſitio,ex eo,quod ſubditur, *accubans inter terminos*, ſors enim tribus Iſſachar,hinc mare mediterraneum,illinc mare Galilææ habuit,quod in Euangelio mare etiam Tyberiadis, & Geneſaret ſtagnum appellatur. Inter hos quippe terminos continuit ſe,*cum vidiſſet requiem,quod eſſet bona*: ideſt,cum agnouiſſet,eſſe conſultius,arua ſua colere,quam per maria, & oras exteras,ac longinquas ire;ſicut eas adituram prædicitur Tribum Zabulon, cui ager minus fertilis obuenerat,vt debuerit propterea mercaturam exercere.

Suppoſuit verò Tribus Iſſachar humeros ſuos,dum ad maritimam propinquam oram fruges terræ ſuæ aſportaret, ibique maiore lucro eas diſtraheret: ſed facta tamen eſt *Tributis ſeruiens*,quia tributum copioſius ab ea, vtpote ditiore poſtmodum,Reges exegerunt. Itenim in Chaldæa paraphraſi dicitur, *Iſſachar diues in ſubſtantia.* loco illius,quod eſt, vel in Hebræo codice *Iſſachar aſinus oſſeus*, vel in editione noſtra *Iſſachar aſinus fortis.*

Poſtremò vtraque conditio hæc,tribus Zabulon, & tribus Iſſachar inſi-

Deute.c.33. v.18. nuatur in benedictionibus Moyſis *lætare Zabulon in exitu tuo*: id eſt in egreſſu ad alias regiones,nauigando,ex mercaturæ ſtudio,*& Iſſachar in tabernaculis tuis*, id eſt inter limites proprios manendo,atq; operando ibidem, circa agricul-

Quaſt. Hebraic in Geneſ. turam. S. Hieronymus, *aſinum*, inquit, *oſſeum vocat*, *& humerum ad portandum deditum*, *quia & labore terræ*, *& vehendis ad mare oneribus*,

neribus, quæ in ſuis finibus naſcebantur plurimum laboraret. Regibus quoq; tributa comportans. Alibi etiam hæc habet, *De Iſſachar legimus, quod ſuppoſuerit humerum ſuum* Comment.
ad laborandũ, & vir agricola ſit. Interim labor & neceſſitas inter benedictiones hoc in c. 6. Oſeæ.
loco cenſetur, quia otio labor longe præſtat, vereque hic etiam dici poteſt: vigil.

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint Agricolas.

METAPHORA LXXXV.

Dan coluber in via, & ceraſtes in ſemita.

Geneſ. c. 49. v. 17.

EA, quæ de filijs ſuis vaticinatus eſt Iacob, ſpectarunt, vel ad conditionem ſortis, quam vnaquæque Tribus erat acceptura, vel ad munia publica, nempe Regum, & Iudicum, & virorum illuſtrium, qui ex eis poſtea floruerunt. In hoc itaque vaticinio, exprimitur locutione propria, naſciturũ, ex Tribu Dan, aliquem Principem & Iudicem Populi egregium, *Dan iudicauit populum ſuum.*

Sed quoniam additur, *ſicut & alia Tribus in Iſrael*, miror ab aliquibus Tribum Dan, paſſim dici, & nominari, velut antonomaſtice, Tribum Iudicum. Habuit ſiquidẽ tribus Manaſſe, Iudices quatuor, Gedeonem, Abimelech, Iair, & Iephte, Tribus Iuda binos, Othonielem, & Abeſan: totidem fuere in tribu Zabulon, Ahialon & Abdon, totidem in Tribu Ephraim, nempe Ioſue, ac Debora, quæ iudicaſſe dicitur in monte Ephraim. Item vnus fuit Aiod, ex tribu Beniamin, vnus Thola, ex tribu Iſſachar, & vnus Sampſon, ex tribu Dan.

Cum hæc Tribus propterea non poſſit, aut præ alijs, aut ſola Iudicum Tribus cenſeri, apparet quam à ſcripturæ Sacræ vera ſententia ſit alienum, dicere, Tribum Dan in Apocalypſi à S. Ioanne prætermitti, dum cenſus habetur cap. 7.
aliarum Tribuum, quæ admittuntur ad nouam, & cæleſtem Hieruſalem (cum tamen in deſcriptione ſua, de porta Dan meminerit Ezechiel, qui conſtituebat Hieruſalem alteram, typum Eccleſiæ militantis) propterea, quod vt ipſi c. 48 v. 32.
interpretantur, ea erat Tribus Iudicum. ex hoc vero inferunt, Iudices, & eos qui cauſas, & lites, & crimina Reorum æſtimant, aditum quidem, & portam habere in Eccleſia militãte, in Eccleſia triumphãte aũt locũ pro eis nuſquã deſignari. Hæc è ſuggeſtu iactare interdũ Euãgelij præcones ad Cõcionatores (incertũ, an prudẽter) audiuimus certe haud expedit magnopere, traduci apud aures vulgi, & in inuidiã trahi ab eis Miniſtros & vindices æquitatis publicæ: quia ex eo deinde fit, vt muneri tã ſancto, & tam præcipuo, in omni Republica bene conſtituta, criminatio & infamia apud rudes homines conflari videatur.

Por-

Porrò ipſe Iacob quidem de ſola Tribu Dan dixit, *Iudicabit populum ſuum*, ſed cum addat *ſicut & aliæ Tribus in Iſrael*, apparet, ſolam ſignificationem nominis Dan, quod idem eſt ac iudicans ſeu iudicium, occaſionem dediſſe alluſionis, quam in benedictionibus alijs ſectari Iacob videtur, vti in Iuda, Gad, & alijs fit ſatis manifeſtum: & peculiariter ideo de Tribu Dan prædixiſſe futurum, vt iudicaret populum ſuum.

Aſſerunt Interpretes hanc etiam cauſam, quod obſcura fuerit admodũ hæc Tribus Dan & ideo Iacob nihil habuerit illuſtrius de ea commemorandũ, quam ex ipſa oriturum Iudicem populi egregium & admirabilem, robore corporis, & fortitudine animi Herculi parem, ſi verus tamen & non fabuloſus vllus Hercules apud Græcos viribus admodum excelluit. Euſebius certè, circa eadem Sampſonis tempora, floruiſſe in Græcia Herculem ſcribit, & ſynchronos facit hos geminos Heroes, ſicut Atlas vixiſſe perhibetur, circa vltimos annos Iacob, cuius ſcala, Cælum videri potuit, ſuſtentare.

cap 7. Quod autem in Apocalypſi S. Ioannes Tribum Dan prætermiſerit, hoc ex vnanimi ferè conſenſu Patrum factum eſt, in execrationem Antichriſti, quem ſemper conſtans & vetus traditio, ex Tribu Dan oriturum affirmauit. ſic Interpretes aliqui aiunt nullam à S. Ioanne mentionẽ fieri Tribus Ephraim, quia ex hac Tribu fuit Ieroboam, qui videlicet in Decem tribus, diuiſas à Regno Iuda, Idololatriam introduxit: Quanquam hæc Tribus à S. Ioanne ſub nomine Ioſeph, viri Glorioſi, & Patris Ephraim, vt ſæpe fit in ſacrâ Hiſtoriâ, recenſetur. His præmiſſis ad metaphoram ipſam accedo. *Ibidem.*

Quæſt. Hebr. in Gene. *Dan coluber in via, & ceraſtes in ſemita, mordens vngulam equi.* Sampſon iis verbis, ab Iſraele, quaſi pulchris quibuſdam lineis, figuratur. Huius vero benedictionis Dan concinna eſt paraphraſis illa S. Hieronymi, *Nunc videns in ſpiritu comam nutrire Sampſon, Nazaræum tuum, è caſis hoſtibus triumphare, & quod in ſimilitudinem colubri obſidentis vias, nullum per terram Iſrael tranſire permittat, ſed etiam ſi quis temerarius, virtute ſua quaſi equi velocitate [illegible] ea voluerit prædonis more, populari, effugere non valeat. Videns itaque ego in ſpiritu, tam fortem Nazaræũ tuum Domine, & quod ipſe propter meretricem mortuus eſt, & moriens populi ſui hoſtes occidit, putaui, ô Domine, ipſum eſſe Chriſtum filium tuum. Verum quia mortuus eſt, & non reſurrexit, & rurſum captiuus ductus eſt Iſrael, intellexi, alium Saluatorem generis mei, & totius mundi, præſtolandum eſſe vt veniat cui repoſitum eſt & ipſe erit exſpectatio gentium.* Ita S. Hieronymus Ex cuius, & aliorum Patrum atque Interpretum ſententia, deſcribitur Sampſon in ea colubri, ac ceraſtis comparatione, ſicut in equi aſcenſore Philiſtæi exprimuntur.

Serpentis occurſus in via, inter auguria ſiniſtra, numerabatur ab Ethnicis, eoq; ſpectat illud Lyrici Poetæ,

Rum-

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum, Horat lib.3. Od.27.
Si per obliquum ſimilis ſagittæ,
Terruit mannos; ego cui timebo
Prouidus auſpex?

Conſonat etiam Hebræum colubri nomen *nachash* à verbo nachash, quod idem eſt, atque augurari, ſeu incantare: ſed colubri tranſlatio Sampſoni conuenit, non ſolum, quia fuit velut ſerpens, reddiditque vias infeſtas, & formidabiles Philiſtæis, hoſtibus populi ſui, quæ eſt communis, & ſatis cõgrua explicatio: verùm etiam, quia ſicut ſerpentis tota vis, & ſalus in capite ſita eſt, ex cuius videlicet cuſtodia pendet eiuſdem colubri vita: Ita Sampſonis tota fortitudo & ſalus in capitis crinibus fuit: quod tamen ipſe molliter nimis prodidit Dalilæ ſuæ: *Ferrum, inquiens, nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia* Iud.c.16. *Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de ventre matris meæ. Si raſum fuerit caput meum,* verſ.17. *recedet a me fortitudo mea, ac deficiam, eroque, ſicut cæteri homines.*

Capitis eam vim ceraſtes adhuc magis ob oculos ponit, in quo ſerpente, cornicula quadrigemina, ſupra caput, aiunt, eminere, ijs verò motis ceraſtes, dum reliquum corpus callidè intra arenam occultat, aues quaſi ad eſcam allicit, & circumuolantes mox deuorat. Sicut igitur ceraſtes, artem nocendi auibus, in capite, & in eius corniculis, quaſi crinibus, habuit, ſic habuit Sampſon vim nocendi Philiſtæis, in crinibus capitis ſui. Nam Dalila *vocauit tonſorem: raſit ſeptem crines eius, & diſceſſit ſtatim ab eo fortitudo.* Cùm tamen priuſquam amitteret cæſariem, hoc eſt, inſigne conſecrationis ſuæ, modò aperte Philiſtæos, vt coluber in patenti via, modò clam, & per inſidias, vt ceraſtes in ſemitæ arenis, eos proſterneret, ac trucidaret. Plin.lib.8. cap.23. Solin.c.30. Iud.c.16. verſ. 9.

Non abſoluam, niſi ſaltem paucis perſtringam ea, quæ SS. Patres, & nobiliores Interpretes fere omnes, miro conſenſu tradunt de hoc Anti-Chriſti vaticinio, nempe S. Irenæus martyr, S. Hyppolitus martyr, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Gregorius, S. Proſper, S. Iſidorus, Theodoretus, Beda, Haymo, Richardus, Anſelmus, Rupertus, & alij plures. Coniiciunt hoc ex S. Ioannis ſilentio, de tribu Dan, in Apocalypſi, & ex verbis etiam illis Hieremiæ. *A Dan* Ierem.c.8. *auditus eſt fremitus equorum eius: à voce hinnituum pugnatorum eius, commota eſt omnis* verſ.16. *terra, & venerunt, & deuorauerunt eam, & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius.* Quæ tametſi propriè pertineant, ad ingreſſum Regis Nabuchodonoſor, ex Phœnice, per ciuitatem Dan in Iudæam, in cuius extremis limitibus erat ciuitas Dan, transferunt eam etiam ad Anti-Chriſtum S. Irenæus, & alij Patres.

De quo Anti-Chriſto S. Gregorius textum præſentem ita exponit. *Coluber dicitur, & ceraſtes, id eſt, ſerpens cornutus: quia Anti Chriſtus, contra fidelium vitam cum morſu peſtiferæ prædicationis, armatur etiam cornibus poteſtatis, fit ſerpens in via, ſinum.* Lib 31 Moral c 10. ad

quia callidè decipit,per viam latam ambulantes. Fit ceraſtes in ſemita, quia ingredientes per viam arctam, terrore poteſtatis ſuæ premit. Et quia Anti Chriſtus extrema mundi apprehendere nititur, ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur, vt cadat aſcenſor eius retrò. Aſcenſor equi eſt,quiſquis extollitur, in dignitatibus mundi. Repetit ferme eadem Rupertus Abbas,atque Abulenſis addit, poſt præuiſum Anti Chriſti aduentum, à Iacob Sancto Patriarcha ſubijci meritò, votum illud, *ſalutare*
Cap. 24. verſ. 22. *tuum expectabo, Domine,*perinde ac ſi iam tum orauerit, vt contraherentur dies illi:qui videlicet,*niſi breuiati fuiſſent,*vt loquitur S. Matthæus, *non fieret ſalua omnis caro.*

Ipſe Abulenſis tamen, incertam hanc opinionem de Anti-Chriſto, qui ex tribu Dan, ſit naſciturus, & Hieronymus Oleaſter fabuloſam eam vocant. Sed ij ſanctius, & reuerentius debuiſſent cenſuram ferre, in eiuſmodi opinionem,quam Eccleſiæ traditio perantiqua, & tot Sanctorum Patrum, atque Scriptorum grauiſſimorum ſuffragia, plurimis iam ſæculis confirmarunt.

METAPHORA LXXXVI.

Gad accinctus præliabitur. Geneſ. cap. 49. verſ. 19.

MILITIS hoc eſt vocabulum ſuccincti ad bellicam expeditionem,& ſignificat fortitudinem, qua Tribus Gad excelluit in prælijs, & ex qua Tribum eandem commendauit etiam Moyſes in benedictionibus ſuis: *Benedictus*, in-
Deute. c. 33. verſ. 20. quiens, *in latitudine Gad, quaſi Leo requieuit, cæpitq; brachium, & verticem.* Id eſt, poſt ceruices, & lacertos conciſos inimicorum ſuorum, requieſcet victor, quaſi Leo, eritque, etiam in pace hoſtibus metuendus. Itaque deſcribuntur huius Tribus homines, vt potentes, & validi gladiatores, qui caput ſimul, & brachium, vno ictu, exſcindere poſſint: quod, citra hyperbolem, intelligi poſſe, ſi vetera exempla deeſſent, ſatis probarent noſtro æuo Iapones Ethnici:qui vno impetu, quo acinacem vibrant, Chriſtianis martyribus, caput, & proximum armum, cum brachio iam amputant, & ſæpè etiam binas ceruices, matronæ videlicet, atque infantis, pendentis è complexu charæ genitricis, vno ictu præſecant.

Sciunt

Scitum illud, de Scanderbecio celebri Heroe, qui vno etiam ictu acinacis bouem diuidebat, ſed cum idem pertentaſſet, accepto eius gladio, Turcarum Tyrannus, non perinde ſucceſſit, quia ferrum alter, non brachium ei miſerat. Poteſt itaque hiſtoricè id ſumi, & non Rhetoricè, ſicuti quando Gabaonitę, periti adeò feriendi, lapidibus excuſſis è funda dicuntur fuiſſe, vt vel in capillum tenuem collinearent. Hoc enim difficilius præſtent homines, quàm vt brachium, & verticem hoſti reſcindant: etſi non negauerim, per verticem poſſe ipſos hoſtium duces, & per brachium fortes eorum bellatores, quos Tribus Gad aliquando vicerit, ſignificari. *Iud. cap. 20. verſ. 16.*

Gad accinctus præliabitur. In his verbis, vaticinium eſt prælij, quod in adeunda terra promiſſionis, geſtum eſt: quando Tribus Gad, Tribus Ruben, & media Tribus Manaſſe (quibus Sehon Regis Heſebon, & Og Regis Baſan regiones iam obuenerant cis Iordanem) iuſſæ ſunt vxores proprias, liberos, greges, ſupellectilia ibi deſerere, & trans eum amnem, inſtar expediti agminis, cæteras alias Tribus anteire, donec tranquillè ſedibus ſuis etiam eæ Tribus potirentur. Atque hoc fuit, Gad accinctum præliari, hoc eſt, omnibus impedimentis domi relictis, magis alacres eos ad certamen proficiſci.

Sed cur ſi in hanc aleam belli, ſe ſimul coniecit Tribus Ruben, ac media Tribus Manaſſe, ſola tamen Tribus Gad dicitur accincta præliari? Reſpondet Abulenſis, quo ad priorem Tribum, laudare Iacob eam noluiſſe, propter inceſtum Ruben cum Balâ: quoad Tribum verò Manaſſe, de hac, & de Tribu Ephraim mentionem in ijs benedictionibus nullam fieri, quoniam ambæ in benedictione Patris, nempe Ioſeph, ac auo ſatis fuerant comprehenſæ, in qua vtiq; legati magni hæredes, ſcribebantur. Cardinalis Caietanus verò exiſtimauit, hæc intelligi de Iephte, qui pugnauit electus Iudæorum Dux, contra Ammonitas, ſed is fuit ex Galaad, quæ erat Tribus Manaſſe, non fuit Iephte igitur ex Tribu Gad; Denique de Tribu Gad, & eius bellica virtute, alibi etiam in Scriptura Sacra, militare elogium refertur: cùm nimirum ex ea viri bellatores, ſcuta portantes, & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælium nominatur. *Ioſue c. 17.* *1 Paralipp. cap. 5.*

METAPHORA LXXXVII.

Aſer pinguis panis eius. Gen. cap. 49. verſ. 20.

AMœnitas, atque vbertas agri Tribus Aſer prædicitur, qui agri ſitus ad limites Sidoniorum, & Phœnicum erat, & copia omnis rei cibariæ redundabat: adeo vt fructu delitijs Regum, ac nutriri ſuauiſſimè poſſent incolæ eius. Sic Paraphraſis Chaldæa habet, ea, quę cõſequuntur referens ad ipſam Tribum Aſer, his verbis; *Terra Aſer optima erit, & ipſe enutrietur delitijs regum.* S. Hieronymus tamen in eo ſenſu, qui eſt in editione vulgata, credit ad Reges totius populi hæc pertinere: nam *Aſer*, inquit, *pinguis panis eius, de fructibus terræ ſuæ honorabit Reges.* Abulenſis etiam in eandem ſententiam, ait prædici, ſoli & agri felicitatem in Tribu Aſer, in qua deberent germinare ſingulariter delitiæ, perferendæ ad menſas Regum Iſrael.

Quæſt. Heb. ſuper Gene.

Commen in Gen. lib. 9 cap 34.

Beatitudinem quandam ei promitti, credit Rupertus Abbas. *Aſer*, inquit, *Beatus interpretatur: benè ergo alluſit ad nomen eius, dicendo pinguis panis eius: pinguedo namq́ue, vel abundantia panis, quædam beatitudo eſt, ex vulgi iudicio. Vnde Pſalmus, Beatum, inquit, dixerunt populum, cui hæc ſunt: ſcilicet promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oues fœtoſæ, abundantes in greſſibus ſuis, boues eorũ craſſæ.* S. Ambroſius vocabulum Hebraicum Aſer Latinè diuitias, ait, ſignificare. & hęc verba transferens ad Chriſtũ Dominum: *Quis igitur diues*, inquit, *niſi vbi altitudo diuitiarum eſt ſapientiæ, & ſcientiæ? Quis diues, niſi Dominus Ieſus qui abundat ſemper & nunquã deficit? Pauper venit in hunc mundũ, & omnibus abundauit, vniuerſos repleuit. Quantus eſt in diuitijs, qui paupertate ſua, omnes diuites facit? ſed pauper propter nos, diues cum Patre.*

Lib. de Benedict Patriar. cap. 9

Apte admodum pinguis panis iſte appellatur Chriſtus Dominus, qui de ſe, Ego, inquit, *ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi*: & notari poteſt in Hebræo textu, vocabulum pinguis, ſignificare peculiariter pinguedinem olei: quò magis Chriſto hic panis videatur conuenire, quem Pater æternus vnxit oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, & quem antea etiam in deſerto figurauit manna, ſaporem habens, *quaſi panis oleati.* Hic panis igitur verè miniſtrabit delicias Regibus, ijs nimirum; qui ſe ac ſuos affectus regere didicerunt; & in quibus mens ac ratio, inferioris animæ facultatibus dominatur: vt Cyrillus, Iſidorus, Rupertus, Eucherius, & alij exponunt.

Ioan. c. 6. verſ 41.
Pſalm. 44. verſ 8.
Num c. 11 verſ 8.

META-

METAPHORA LXXXVIII.

Nephthali ceruus emiſſus. Geneſ. cap. 49. verſ. 21.

DE prælio Barach, contra Siſaram, Cardinalis Caietanus, & alij Metaphoram hanc debere accipi neceſſariò, arbitrantur. Nam ille contra hunc, inſtructus agmine decem millium bellatorum, prælium iniuit, admonitu & iuſſu Deboræ; & ceruo ſimilis, initio timuit, ſed incitatus perſuaſionibus Deboræ, quaſi ceruus in venaticos canes, ſic ipſe in hoſtes tandem cornua erexit, atque impreſſione facta, ſtrenuè dimicauit, deditq; elogia pulchritudinis, quando victoria potitus, cecinit canticum Deboræ.

Sed enim etſi Barach fuit de Tribu Nephthali, ac ceruo non abſimilis, dixit præ metu, *ſi venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Nihilominus, nec ea victoria ipſi tribuitur in Scriptura Sacra: & ideo reſpondit ei Debora, *ibo quidem tecum: ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Nec ſola tribus Nephthali militum ea dena millia ſuppeditauit ad certamen, ſed erant multi ex tribu Zabulon, imo inſuper ex Tribubus Iſſachar, & Manaſſe, quod conijcit Abulenſis ex Cantico Deboræ. Itaque parum conſentaneum videtur, vt hæc victoria ipſi Barach, & Tribui Nephthali præ alijs adſcribatur.

Iudic. c. 4. verſ. 8. — *verſ. 9.*

Arridet S. Hieronymo Interpretatio alia, qua per cerui emiſſi, ſeu velocis vocabulum exprimatur Chriſtus Dominus, quia in Tribu Nephtali, & præſertim Capharnai verſatus eſt frequenter. Cum verò ibi docuerit, atque ore cœleſti diſpenſauerit verba vitæ æternæ, idcirco exiſtimat prædici, futurum, vt ea Tribus Nephthali daret aliquando eloquia pulchritudinis. Verum tempore Chriſti Domini aberat inde Tribus Nephtali, vtpote quæ vnà cùm alijs nouem, pridem ad Aſſyrios translata fuerat.

In quæſt. Hebr. ſuper Geneſ.

Ideò magis facit ad ſenſum hiſtoricum explicatio alia, quam idem S. Hieronymus inſinuat, & quam Abulenſis, Scriptoresq; Sacri communiter probant & tradunt; Nempe ſignificari ea locutione, fore terram Nephtali, præ cunctis temporaneam in frugibus, & fructibus ad maturitatem perducendis, & in ea re æmulaturam quodammodo cerui velocitatem: hoc eſt,

ſicut ceruus anteit curſu alias feras, ita futurum erat, vt Nephtali ager, in frugibus maturandis, præcurreret, ac præueniret agros, & arua Tribuum reliquarum. Fauent huic explicationi ſeptuaginta Interpretes, qui loco cerui emiſſi, hæc reddunt: *Nephtali virgultum reſolutum, dans in generatione pulchritudinem:* & in Hebræo textu eſt, *Nephtali ager irriguus:* tam vero ager irriguus, quam virgultum reſolutum indicant meſſis temporaneæ maturitatem, & id exprimunt propriè, quod inſinuat translatè velocitas Cerui.

Porrò ijs, quæ diximus, conſonaret optimè, pars altera vaticinij; nempe *dans eloquia pulchritudinis:* quia nouæ fruges, quæ in ſorte Nephtali citius matureſcere debebant, erant futuræ oblationes primitiuorum, propter quas dum in templo Dei offerebantur, ibidem lætis canticis, omnia perſonabant: & hæc non incongruè potuere, in eiuſmodi vaticinio eloquia pulchritudinis nominari.

Lib. de Benedict. Patriarch. c. 10 *Nephtali ceruus emiſſus.* S. Ambroſius ſic legit, *Nephtali vitis remiſſa, porrigens in germine decorem,* id vero vt explicet, *ſarmentum vitis,* inquit, *aliud amputatur quod videtur inutile, ne caſſa vitis, ſarmentum exultatione luxuriet, & aliud paulisper reciditur, ac remittitur, vt fructum adferat. Cuius decus in generatione porrigitur, quia dum ad ſuperna ſe ſubrigit, vitem amplectitur, & ad verticem aſcendens, iugi quadam colla vitium, precioſi palmitis veſtit monili. Eſt & ille decorus in generatione: quia plenis palmitibus multus fructus exundat.* Sic ipſe. Poſteaq; transfert hæc ad populum electum, qui toto orbe terrarum diffuſus, iugum Chriſti Domini veſtit fructu decoro, & myſteria Crucis, quaſi vitis plures palmites, ambit, atque ipſi adhæret, in eaque etiam dum ſæuit perſecutio, tranquilliſſimè gloriatur.

Hæc tamen allegoricè ad Chriſtum Dominum, & ad populum eius transferuntur: cum vt explicaui, ſint dicta potiſſimum de Tribu Nephtali, quo ad præcoces eius fruges, & temporaneam agri maturitatem, cuius primitias in Templo Sacerdotes ac Leuitæ dulciſſimis canticis & eloquijs proſequebantur.

METTA-

METAPHORA LXXXIX.

Filius accreſcens Ioſeph: inuiderunt illi habentes iacula. Geneſ. cap. 49. verſ. 22. & 23.

EXordium hoc eſt allocutionis Iacob, qua Ioſeph filij dulciſſimi primùm caſus, & admirabilem hiſtoriam complectitur, & mox digreditur ad benedicendum inclytæ poſteritati eius: *Filius*, inquit, *accreſcens Ioſeph. Filius accreſcens:* alluditur ad nomen, quod Rachel cum vita & luce, filio naſcenti dederat, ſed & ſimul plauditur, quod tanti menſuram nominis prius impleuerit ipſe meritis, & Deus ſupremis deinde honoribus, & humanæ gloria felicitatis eam cumulauerit: dum è ſeruo emptitio Proregem totius Ægypti, & Saluatorem mundi, prouidentiâ ſua diuina, cuius viæ ſunt inenarrabiles, eum conſtituit. Quibus incrementis parens Iacob adhuc illud adiecit, vt eſſet quodammodo duplicata ipſius poſteritas. Nam geminas Tribus, eius filij, Patruis pares, dederunt.

Filius accreſcens: Pagninus vertit, *vt ramus creſcens*, & Chaldæa Paraphraſis hæc habet; *Filius meus Ioſeph multiplicabitur, tanquam vitis quæ plantata eſt ad fontes aquarum: duæ tribus egredientur de filijs eius, & accipient partem, atque hæreditatem.* Quæ omnia ipſi augmentum præſagiunt, vt propter hoc etiam Ioſeph videretur eſſe Chriſti Domini figura, de quo nimirum ſanctus Ioannes Baptiſta deinde dixit; *illum oportet creſcere, me autem minui.* Ioan. 3.

Appellatur Ioſeph præterea *decorus aſpectu*, propter quem filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Vt viderent ſcilicet matris pulchræ filium pulchrum, omnes Ægypti mulieres, quacumque Ioſeph tranſiret, ornatus poteſtate, & habitu Proregis, ex muris & ianuis, & ſpeculis domorum, omnis pulchritudinis florem in vultu eius intuebantur. *Sed exaſperauerunt eum habentes iacula.*

Rupertus Abbas, Cardinalis Caietanus, & alij hæc ad Phutipharem, & ad coniugem eius, ſpectare credunt: fortaſſe, vt conſtet ſeries narrationis, & vt inſinuetur, nimiam oris eius venuſtatem, fomitem fuiſſe flammæ,

quæ

quæ incendium, in coniuge amoris, in viro indignationis, contra caſtum & pium Iuuenem ſuſcitarat. *Vterq; Herus*, inquit Caietanus, *ſub metaphora principalium ſagittariorum deſcribitur, quia reuera ipſi fuerunt principia afflictionum Ioſeph in carcere, & ipſi amaram reddiderunt vitam eius: oderunt volendo ei malum carceris, & ſagittauerunt eum, ſagittis infamiæ, & cruciatus*; ſic ipſe.

Attamen SS. Patres, & Interpretes alij communiter hæc potius iudicant pertinere ad fratres denos Ioſeph: nam hi exaſperauerunt eum, dum ipſum occidere meditabantur, dum in ciſternam veterem miſerunt, dum vendidêre Iſmahelitis, iurgatique ſunt, quando *non poterant ei pacifice loqui*, quando exprobrabant ſomnia dicentes, *Nunquid Rex noſter eris, aut ſubijciemur ditioni tuæ?* Denique inuiderunt, cum ægris oculis aſpiciebant, cum eſſe delitias Patris, ipſi veſtem polymitam fieri, & vltro deferri omnem amoris prærogatiuam.

Quæſtion. Hebraic. in Geneſ. S. Hieronymus antedicta ſic interpretatur. *O fili mi Ioſeph, qui tam pulcher es vt te tota die muris, & turribus, & feneſtris, puellarum Ægypti turba proſpectet: Inuiderunt tibi, & te ad iracundiam prouocauerunt fratres tui, habentes liuoris ſagittas, & zeli iaculis vulnerati.* Hæc S. Hieronymus: & verò ſententiæ totius connexio ſatis cohæret: ſiquidem Iacob initiò filium conſiderat in ea gloria, & fama pulchritudinis, ac poteſtatis, qua tum potiebatur. Mox orditur hiſtoriam eius, ab anguſtijs & ab iniurijs, quas paſſus à fratribus, & ab Hero Ægyptio fuerat, priuſquam ad ſtatum illum fœlicem, vt eſſet alter à Rege, cæteriſq; auguſtior, eueheretur.

Inuiderunt illi habentes iacula. Æmulatio, inuidia, liuor, odium, iacula fuerunt, quibus armati eum fratres deni exaſperauerunt: ſed inuidiæ potiſſimum hæc tela cenſeri debent. Quod ſi iactus teli oculo dirigitur, cum vibratur telum, tota vis etiam inuidiæ in oculo eſt, cum nihil ipſa, niſi ægritudo quædam oculi eſſe perhibeatur: vt indicauimus metaphora LXVII. Inuidia nimirum eſt, quæ vt Poëta loquitur:

Ouid. 2. Metamorph.

Videt ingratos, intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominum, carpitq; & carpitur vna,
Supplicium q; ſuum eſt.

Hac igitur armati fratres Ioſeph, dicuntur habuiſſe iacula, & ſanè vel eminus venientem aggredi cœperunt, cum verba illa cruenta in eum contorſere, quaſi iaculum. *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.* Apes erant, inſtructæ iaculis: ſed Apes florem non lædunt, imò quod carpunt, & ad mellis penu in aluearia referunt, ſemper id carpunt citra floris, quem libant, detrimentum. Ebrij nihilominùs inuidia ij fratres iacula expediunt, & Ioſeph florem illum pulchritudinis, atque honeſtatis, decerpunt ex germine Patris, ex quo alebatur, mittunt in ciſternam veterem, vbi non erat aqua, transferunt in aridum ſolum Ægyptiæ ſeruitutis: & ibi nihilominus fit ramus, creſcens in

gloriam

gloriam ampliſſimi Principatus. Vſqueadeo iuſtus, dum perſecutiones patitur, fit melior, clariorque, & eſt ſicut crocum, quod, vt loquitur Plinius, gaudet calcari, & atteri, pereundoque melius prouenit, & ideo iuxta ſemitas, & fontes lætiſſimum eſt. *Lib. 21. c. 6.*

METAPHORA XC.

Sedit in forti arcus eius. Geneſ. cap. 49. verſ. 24.

IOſeph, vt ſe aduerſus fratres ſuos, habentes iacula defenderet, arcum ſuum conſtituit in forti propugnaculo, nimirum in Deo, qui fortiſſimus eſt, cum nihil ſit, quod reſiſtere poſſit voluntati eius. Hic verò arcus innocentia eius, ſpes, & fiducia in Deum fuerunt. S. Hieronymus, *tu,* inquit, *arcum tuum, & arma pugnandi poſuiſti in Deo qui fortis eſt propugnator, & vincula tua, quibus te fratres ligauerant, ab ipſo ſoluta ſunt, & dirupta.* *Quæſtion. Hebraic. in Geneſ.*

Libet hoc loco innuere obiter, concordia nihil eſſe potentius, ſi ea feratur in aliquod facinus præclarum, ſecus infringi eam facilè, ſi conſpiret in iuſti perniciem, nam is innocentiæ ſuæ propugnatorem habet Deum. Ideò Scillurus, Scythi ille Rex, qui filios octoginta compellans moriturus, ac monens vt faſcem oblatum iaculorum frangerent, (cum id efficere illi nequirent) ipſe exemit ſingula, & fregit: debuiſſet datum filijs concordiæ mutuæ conſilium illud ſane aureum, hac veluti gemma ornare, vt ſuæ videlicet admonitioni adderet, ad recti & honeſti ſcopum, eos qui ſunt concordes, ferri oportere. *Plutarch. in Apophtheg.*

Alioquin Deus, qui eſt vindex æqui, & patronus innocentiæ, adeo fortis eſt, vt poſſit eiuſmodi iacula plura, etiam aceruatim, & non eximendo ſingula, comminuere. En quomodo Ioſeph decem fratres ſuos habentes iacula prorſus debilitauit, & ad terram dedit: ita vt in ſolio Regni, proſtrati eum adorauerint, in quem conſpirauerant, & quem ideo vendiderant, ne vnquam ei ſubijcerentur. Euenit autem, vt diſſoluta ſint vincula brachiorum, & manuum illius, & vt tam ſeruitus quam carcer fuerint illi intra gloriam. A quibus vinculis ſeruitutis, & carceris Ioſeph liberatus eſt, per manus potentis Iacob, Dei nimirum, in quem Iacob collocauerat omnem potentiam, & fortitudinem ſuam.

In Hebræo Codice ſic habetur, *deaurata ſunt brachia eius*: vel *topazion gemma conſtituta eſt ſuper brachia eius*. Iuſtorum quippe manus & brachia verè inaurantur, in conſpectu Dei, & exornantur gemmis: quoties perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & quoties manicis ferreis, catenisque onerantur. Sed intelligi ea poſſunt etiam de ornamentis regijs, quibus exſplenduerunt in Principatu brachia Ioſeph. Nam Rex dicitur ei tradidiſſe annulum ſuum, chlamydem byſſinam, torquem & currum, cum edicto Præconis, qui iuberet, vt prætereuntem Ioſeph nixi genibus, venerarentur, & adorarent omnes.

Sedit in forti arcus eius: ſimili metaphorâ Iacob vſus erat, capite antecedenti. *Do tibi partem*, inquiens, *vnam, extra fratres tuos: quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*; Agrum videlicet oppidi Sichem tribuo tibi, quem ibi ab Hemor Heuæo emi centum agnis. Et tamen profitetur Iacob, ſe eum agrum tuliſſe in gladio, & arcu ſuo: etſi emerat illum. Chaldæa Paraphraſis hunc textum eundem ita vertit: *do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in oratione, & precibus meis*. Itaque hæ preces etiam, nominantur arcus & gladius Iacob, nec aliter hunc textum interpretatur, præter Rabbinos, S. Hieronymus, cuius hæc ſunt verba. *quod autem dicit, ſe eum in arcu & gladio ſuo poſſediſſe, arcum hic, & gladium iuſtitiam vocat, per quam meruit, peregrinus & aduena, interfecto Sichem, & Hemor, de periculo liberari*. Sic ipſe. Iacob enim timuit, poſt illatam eam cladem, ne vicina oppida, & caſtella, mouerent aduerſùm ſe, & ne ita excidium fœderatæ vrbis vlciſcerentur. Lyranus & Rabbi Salomon aiunt, in his verbis gloriari Iacob, & ſibi honori tribuere cædem Sichimorum, quaſi illius belli iure agrum antedictum fuiſſet adeptus. Verum hoc admitti non debet, quis enim credat (vt S. Auguſtinus, S. Ioannes Chryſoſtomus, & alij notant) voluiſſe ſanctum Patriarcham transferre ad ſe facinus, quod in filijs damnauerat, vocans propterea eos vaſa iniquitatis bellantia, & priuans etiam ambos primogeniti honore?

Geneſ. c. 48. verſ. 22.

Geneſ. c. 33.

In Quæſt. Hebræ. ſuper Geneſ.

In ſententijs.

S. Bernardus, referens hoc ad Chriſtum Dominum; *an pars tua*, inquit, *ſumus nos, Domine Ieſu, quam tuliſti de manu Amorrhæi, in gladio, & arcu tuo? gladius tuus ſermo viuus, & efficax, arcus tuus, incarnatio tua. Ibi enim, velut curuato ſapientiæ ligno, ac piè quodammodo flexa diuinitate, neruus carnis vebeti enter extenſu & humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur. Pars ergo tua ſumus & populus acquiſitionis tuæ, quem acquiſiuiſti verbo prædicationis, & myſterio Incarnationis.*

Sedit in forti arcus eius. In oratione animus ſupplicantis curuatur aliquo modo, inſtar arcus, & flectitur, ac ſubmittitur Deo. Preces verò ipſæ vibrantur, inſtar iaculi: & collineant in ſinum Dei. Hinc autem congruè orationis iaculatoriæ factum eſt nomen. En igitur, in quonam arcu Iacob parens, & Ioſeph filius, iaculatores pij, ferire & proſternere hoſtes ſuos didicerunt

cerunt. Nec vacat myſterio illud, ſedit in forti arcus eius. Sedere ſiquidem quieſcentis eſt, atque agentis ſua tranquille: & prorſus in tranquillo eſt ea mens, quæ *habitat in adiutorio altiſſimi, & in protectione Dei cœli commoratur.* Hæc eadem mentis quies, tempore tribulationis heroica virtus & propria Sanctorum eſt: quo ad orationem tamen, etiam Pythagoras dixit, *adoraturi ſedeant*: vt inſtrueret nos, eo ſymbolo, preces hominum, in placidiſſima animi quiete, Numini offerendas eſſe.

METAPHORA XCI.

Paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael. Geneſ. cap. 49. verſ. 24.

CRedit Abulenſis, vaticinium regni hoc fuiſſe, quod regnum in decem tribus, primus Ieroboam è ſtirpe Ioſeph, & ex tribu Ephraim conſequutus eſt; *Lapis*, inquit, *ſolidus eſt, & cœmento conuenit: ſic dicitur iſte Ieroboam fuiſſe lapis, quia fuit primus, & cœmentum in omnibus Regibus Iſrael*: id eſt regni decem tribuum. Sed videtur magis idonea explicatio, ſi ipſemet Ioſeph intelligatur fuiſſe ille Paſtor, & lapis Iſrael: nam ita ſeries narrationis magis conſtat. Necdum enim Iacob incœperat loqui de benedictionibus poſteritatis eius: ſed pergens in hiſtoria magnitudinis ipſius, aſſerit lætabundus, ipſum ex patientia ſeruitutis & carceris, eò dignitatis emerſiſſe: vt paſtor ac lapis Iſrael eſſet conſalutandus.

Quocirca cum de Tribu Ephraim ſermo inſtitutus non fuerit, non eſt, cur loqui de Ieroboam debuerit: cui præterea nomen Paſtoris ſanctus Patriarcha (in cuius ore tanta ſermonis erat prouiſio) minus recte tribueret: vtpote qui ex afflatu diuini Spiritus vaticinans, haud ignoraſſet fore, vt Ieroboam aliquando à cultu Dei, ad impiam Idolorum prauitatem, decem Tribus, ſæculis labentibus ſeduceret: & vt prohiberet, ne populi omnium earum Tribuum deinceps aſcenderent Ieroſolymam: quippe qui verebatur, ne ſi religio foret communis, ſenſim in Regnum Iuda eæ Tribus relaberentur. Vſque adeo ſemper regnandi nimia libido, religionis ac Dei contemptrix fuit, omniaque humana, & diuina ſuæ Tyrannidi poſtputauit. Proinde quia decem eas Tribus, hoc eſt totidem greges electos, ab

 ouili

ouili Dei Ieroboam abducturus erat, non meruit à ſancto Patriarcha, Paſtor & lapis Iſrael ſalutari: cùm diſperſerit oues potius, fueritque lapis offenſionis, ac petra ſcandali.

Supereſt igitur, vt ſenſus verus & Hiſtoricus ſit, egreſſum eſſe Ioſeph è ſeruitutis vinculis, atque ex pædore carceris, vt tempore famis pa‑ſceret Iſrael patrem ſuum, totamque familiam, quaſi lapis, & fundamentum, ſuâ ipſe prouidentia ſuſtentaret. Confirmant interpretationem hanc verba illa Eccleſia‑

Cap. 49 verſ. 17. ſtici: *Ioſeph, qui natus eſt homo, Princeps fratrum, firmamentum gentis, Rector fratrum, ſtabilimentum populi.*

Rex ab Ariſtotele Paſtor nominatur: qui & Homerum laudat, à quo Agamemnon Paſtor populorum fuerat vocatus. Similia verò ſunt, ferè que affinia Regis & Gregis nomina, ſed cum vnâ tantum literulâ diſcrepent, quo ad ſonum: ſæpè vtramque rem interuallo magno in ratione gubernandi, aut auaritia diſcriminat: quæ eſt miſera Regum in Regno ſeruitus, aut exceſſus potentiæ diſtinguit, ex quo in crudelitatem pulcherrimus ille Regum genius, Clementia, degenerat. Vt rectè de malo quouis Principe vſurpaueris

Plat. de Repub. ſententiam illam Platonis; *non ita ſincerè paſtorem definiendum putaſti. Paſcere ipſum oues, quantum eſt Paſtor, arbitraris, non ad ouium vtilitatem: ſed ad voraginem potius, non tanquam paſtorem, ſed conuiuam, qui veſci debeat: vel pecuniæ ſtudioſum, qui ſit venditurus.*

METAPHORA XCII.

Donec veniret deſiderium collium æternorum. Geneſ. cap. 49. verſ. 26.

IAcob apprecatur iam filio, nempe Ioſeph benedictiones cœli, & abyſſi: hoc eſt bonorum cœleſtium, & terreſtrium omnem copiam & vbertatem. Præterea benedictiones vberum, & vuluæ, ſeu fœlicitatem tam in filiorum conceptu intra vuluam, quam in eorum, ex vberibus nutritione, & educatione deinceps, vt ſit ſtabilis, ac certa ſucceſſio, donec veniat *deſiderium collium æternorum.*

Qualis terminus fuerit is qui præfinitur benedictionibus Abraham, Iſaac, & Iacob, futuris in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi, non

ſatis.

ſatis liquet. Exponunt aliqui de collibus Arnon, de quibus meminit hi-
ſtoria Sacra, in libro Numerorum, & qui, ſiti ad ipſos limites terrę Moab, di- *Cap 21. verſ 23.*
cuntur inclinati, in introitu filiorum Iſrael. Alij exponunt de monte Sama- *Deuter 3.*
riæ, & quia in hoc fuit ſors Tribus Ephraim, in illis vero dimidia tribus Ma- *Num c 23.*
naſſe trans Iordanem amnem, ſenſus huius vaticinij foret; Eueniant Ioſeph,
ae geminæ Tribui filiorum eius, mea hæc vota fœlicia: donec ambæ eæ Tri-
bus, & poſteri earum habitent tranquille, in monte Samariæ, & in collibus
Arnon.

Sed dubium ſuboritur, cur ij colles potiùs, quàm tot alij, qui prominebant in terra promiſſionis, colles æterni nominentur? Abulenſis eam cauſam adfert, quod montes eſſent lapidei, atque æternùm ideò duraturi. At frigida hæc videtur interpretatio, nec admodum ſolida, imo, nec ſatis explicat deſiderium eorundem collium æternorum.

Exiſtimo proinde ad Meſſiæ potiùs aduentum hęc ſpectare, de quo adhuc bis mentio fit, tum in benedictione Iudæ: *donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium,* tùm in benedictione Dan, *Salutare tuum expectabo Domine:* Itaque ſenſus erit, benedictiones Abraham, Iſaac, & Iacob, tamdiu perſeuerent in poſteris Ioſeph, donec venerit is, quem deſiderant colles æterni: ſiue Angeli, qui flagrant deſiderio videndi, ſupplementum ſedium ſuarum, ac ruinarum cęleſtium, ſalutarem reparationem: ſiue antiqui Patriarchę, ac viri iuſti, qui virtutis celſitudine, atque eminentia ſanctitatis, colles ſunt, elati ſupra conditionem communem rerum terrenarum, & ſunt æterni, vtpote æuo diutiſſimo, & vltra omne ſęculum, cum ſuperis, ac Deo permanſuri: nimirum hi colles dicuntur, quia etſi præalti & excelſi, ſunt tamen vnò minor illo, qui mons, nempe collibus maior, vocatur ab Eccleſia, dum orat in precibus ſuis, vt ad montem, qui Chriſtus eſt, peruenire valeamus.

METAPHORA XCIII.

Beniamin Lupus rapax. Geneſ. cap. 49. verſ. 27.

PLures, & omnes variæ ſunt vaticinij huius interpretationes. Hebræi hoc tradunt ad templum Hieroſolymitanum,
quod Templum, & vrbs ipſa Ieruſalem in ſorte Beniamin *Ioſue ca. 18.*
primo cecidit. Itaque ex ipſorum opinione, ignis vorans holocauſta, ſacrificiaque abſumens, erit Lupus rapax: Sacerdo-

cerdotes, qui partiebantur inter ſe reſiduum victimarum, atque oblationum, ~runt illi, qui veſperi diuidunt ſpolia, & manè comedũt prædam. Fauet Chaldæa Paraphraſis, quæ id vaticinium hoc pacto transfert. *In terra Beniamin habitabit Templi maieſtas, & in poſſeſſione eius ædificabitur Sanctuarium: mane & veſperè offerent Sacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino diuident reſiduum portio-* Commen. in cap. 5. Iſaiæ. *num ſuarum, de reliquis, quæ ſanctificata ſunt.* S. Hieronymus expoſitionem hanc, non vno in loco inſinuat, alicubi enim, *ſicut ad torcular,* inquit, *omnes vuæ comportantur, atq; calcantur: vt ex ijs exprimatur vinum. Sic altare omnis populi ſuſcipit fructus, & immolatas hoſtias deuorat: iuxta illud, quod de Beniamin, in cuius Tribu Templum fuit, & altare, legimus, Beniamin lupus rapax, manè comedet, & ad veſperum dabit eſcam.*

In quæſt. Hebraic. ſuper Geneſ. Alibi, *in Hebræo ſic loquitur,* inquit, *Beniamin lupus rapax, ſiue capiens, in matutino comedet prædam, & ad veſperam diuidet ſpolia, quod ita Hebræi edifferunt. altare, in quo immolabantur hoſtiæ, & victimarum ſanguis, ad baſim illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc inquiunt ergo, ſignificat, quod Sacerdotes, mane immolant hoſtias, & ad veſperam diuidunt ea, quæ ſibi à populo ex lege collata ſunt.* Poſtea S. Hieronymus, hæc ſubdit; *Lupum ſanguinarium, lupum voracem, ſuper altaris interpretatione ponentes, & ſpoliorum diuiſiones ſuper Sacerdotibus, qui ſeruientes altari, de altari viuunt.* Videtur verò ipſe hanc interpretationem Hebræorum, haud magnopere probare, ac reuera parum decens, & parum conſona locutioni Scripturæ Sacræ videtur hæc Metaphora, vt voracitas & rapacitas, Templo, Sacrificio, Sacerdotibus tribuatur. Prĕterquam quod comedere prædam, & diuidere ſpolia ij dicuntur, qui erant futuri ex Tribu Beniamin. Hæc autem explicatio ea munia transfert ad eos, qui futuri erant ex Tribu Leui, nam hi Sacris in templo ſoli operabantur. Viderint tamen mali, & interdum auari Sacerdotes, num de ipſis talia oporteat commemorari.

Abulenſis agnoſcit in his verbis præſagium illius cruenti belli, in quo Tri- Iud. c. 19. bus Beniamin, aduerſus vndenas alias Tribus (quĕ vlciſci voluerant Gabaonitarum barbaram libidinem, cum vxore Leuitæ) bis fortiſſimè dimicauerat, cœſis gemino conflictu Iudæorum quadraginta millibus, etſi tertio prælio, aſtu ac ſtratagemate victa, & deleta fuit, præter ſexcentos ſuperſtites in Rupe Remnon. Sed id commemorari non debuit à Sancto Patriarcha, in benedictione filij tam dilecti, nempe Beniamin, propter luxuriæ probroſĕ facinus, & infamiam inteſtini belli, ex quo vna ferme tribus ſublata tum fuit.

Cardinalis Caietanus eadem interpretatur de inobedientia Saulis, qui erat ex Tribu Beniamin, quando Agag Rège Amalecitarum à ſe victo, pepercit optimis gregibus ouium & armentorum, & veſtibus & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, & hoc fuiſſe ait, *manè comedet prædam, & veſperi diuidet ſpolia;* Sed exiſtimari non debet etiam hoc peccatum, quod graue admodum

dum

dum fuit, & propter quod Saul Regno fuit exauctoratus, à Iacob, in Beniamin benedictione prænunciari. Sunt, qui opinantur, hæc pertinere ad Mardochæum, & ad Reginam Eſter, quando Aman ſublato, vlti ſunt circa hoſtes populi ſui. Sed enim etſi ambo ex Beniamin Tribu fuerunt: prædam & ſpoliæ in vltione has ipſi non diuiſerunt. Sed omnes Iudæi promiſcuè, qui erant in cenſu Tribuum diuerſarum. Cum hæ igitur explicationes ægrè admitti poſſint, accedo ad eorum ſententiam, qui generatim arbitrantur hic prædici virtutem militarem, in qua Tribus Beniamin ſemper excelluit ad occaſiones belli etiam honeſti. Itaque non excludi velim Saulis victorias, Eſter & Mardochæi antedictam vltionem, ac raptum puellarum in Silo, dum hæ choros ducerent ludibundæ. *Iudic. 21.*

Cæterùm laus militaris huius Tribus, de qua eſt mentio frequens in Scriptura Sacra, exprimitur rectè in hoc ſymbolo lupi rapacis, manè diuidentis prædam, quod indicat celeritatem vincendi, quaſi prælium iniret in exortu diei, & adhuc manè, eſſet compos victoriæ. Veſperi autem ad caſtra remeans ibi per otium ſpolia opima diſtribueret. Sed illud obiter aduertere eſt, victorias & prædas præcipuè Iudæ, ac Beniamin promitti: Quoniam hæ ambæ Tribus ſub vno ſemper Rege manſerunt. Diſcrimen autem duntaxat fit: quia ſymbolum Tribus Iuda eſt Leo, regium animal, vt prænuntiaretur de ea Regnum. Alioquin, quoties ambæ ſimul dimicarunt, & vicerunt, ſemper hic lupus cum Leone prædam ſpoliaque diuiſit.

Adhæc ſaltem in ſenſu allegorico, S. Paulum, qui fuit ex Tribu Beniamin in hoc vaticinio figurari, conſtans eſt SS. Patrum atque interpretum opinio. Nempe Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Bedæ, Theodoreti, Ruperti, Eucherij, & aliorum, quibus incaſſum Caluinus, & colluuies Hæreticorum aduerſantur. *Quoad myſticum ſenſum attinet*, inquit S. Hieronymus, *de Paulo Apoſtolo manifeſtiſſima prophetia eſt, quod in adoleſcentia ſua perſequutus Eccleſiam, in ſenectute Prædicator Euangelij fuerit.* S. Ambroſius poſtquam dixerat, *plurimos lupos habet Diabolus, quos ad Chriſti oues dirigit*, ſubdit, *& ideò intelligibilis Ioſeph, vt oues ſeruaret ſuas, ipſum inimicum venientem, ad diripiendas oues, rapuit Lupum Paulum, faciens ex perſecutore Doctorem.* & paulò poſt, *Lupus erat, cùm diſpergeret & deuoraret oues Eccleſiæ, ſed qui lupus venerat, Paſtor eſt factus.* S. Gregorius pariter, *Beniamin*, inquit, *Lupus rapax, manè comedet prædam, veſpere diuidet ſpolia. Quibus profectò dictis Paulus Apoſtolus deſignatur, de Beniamin ſtirpe progenitus: qui manè prædam comedit, quia in primordijs ſuis fideles, quos potuit rapiens, crudelitati propriæ ſatisfecit: veſpere ſpolia diuiſit, quia fidelis, poſtmodum factus, Sacra colloquia, exponendo diuiſit.* Denique vt omittã plurimos alios, Tertull. hęc habet. *Mihi Paulum etiã Geneſis olim repromiſit: inter illas. n figuras, & prophetias, ſuper filios ſuos benedictiones Iacob cũ ad Beniamin direxiſſet, Beniamin, inquit, lupus rapax, ad matutinũ comedet adhuc, & ad veſperã dabit*

In quaeſt. Hebraic. in Geneſ.
l. de bened. Patriarch. cap. 12.
Lib. 18. Moral. cap. 11.
Lib. 5. aduerſ. Marcionem c. 1.

dabit eſcam. Ex Tribu Beniamin oriturum Paulum præuidebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id eſt, prima ætate vaſtaturum pecora Domini, vt perſecutorem Eccleſiarum. Dehinc ad veſperam eſcam daturum, id eſt, deuergente iam ætate oues Chriſti educaturum, vt Doctorem nationum. Hæc abunde ſint, vt appareat, hæreticos expoſitioni huic, ſtolidè contradicere. Fuit vero inſtar lupi Paulus: quando *ſpirans minarum in diſcipulos Domini*, raptabat viros & mulieres, ad carcerem, eáque præda manè, id eſt, in ipſo perſecutionis exordio, nutriebatur. Conuerſus deinde, nempe veſperè ſpolia Gentium diſtribuit, & Chriſto, atque eius Cruci, gentium earundem trophæa conſecrauit. Lupi ſimilitudo ei prætetea conuenit, nam agnum lupus appetit maximè: & Paulus de cœlo increpantem audiuit Agnum Dominatorem Terræ, ac dicentem; *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Lupus inſidiatur ouibus & gregi, Paulus perſequebatur oues illas, propter quas non ita multò ante, Chriſtus Paſtor bonus poſuerat animam ſuam. Sed ipſe in agnum mox cœleſti voce mutatus, ſolum aduerſus vitia manſit lupus: ex quo tempore conuerſa fuit in Paſtoris manſuetudinem, ſæuitia Perſecutoris.

METAPHORA XCIV.

Ego congregor ad populum meum. Gen. cap. 49. verſ. 29.

HOmines immortalitatis cupidi, ſicut maiorum ſuorum funera ſemper fleuerunt, ita ſtuduerunt etiam ſemper eoſdem, etſi morte ſublatos, aliquo modo in vita retinere. In quem finem ſubſidio fuêre Artes celandi, fingendi, pingendique. Atque hoc pacto *expreſsi cera vultus*, inquit Plinius, *ſingulis diſponebantur armarijs, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: ſemperq; defuncto aliquo, totus aderat, familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus.* Peculiariter Appius Claudius, poſuiſſe, in Æde Bellonæ, dicitur Maiores ſuos: quos placuit in excelſo ſpectari, & titulos honorũ legi, turbamque liberorum paruis imaginibus, ceu ſobolis nidum aliquem, oſtendi. Cæteri priuatim domi imagines Auorum habebant, quarum ea erat multitudo in vrbe Româ, vt iactauerit quis, duos in ea populos à ſe repertos, alterum viuum ſpirantemque, alterum verò marmoreum, ſic in obitu ij, ſpecie tenus, videbantur aggregari populo ſuo: at longe id felicius de ſe IACOB, & ante illum ABRAHAM Auus eius, affirmauit, nempe

Plin lib. 35. cap. 2.

Ibidem c. 3.

nempè *Ego congregor ad populum meum.* Frequenter verò in veteri Teſtamento ſancti viri cum obeunt, congregari dicuntur, & apponi ad populum ſuum.

In Teſtaméto auté nouo eſt loco eius, obdormire in Domino, ſeu in Domino mori. eaque varietas notabilis eſt, dum non apud populú piorũ, ſed apud Deum quies morientibus à ſcriptore ſacro tribuitur, vt ſit ſenſus: olim quia portæ Cœli nondum patuerant, ad cœtum piorum, ſeu ad Limbum, animas conceſſiſſe, poſtquam autem Chriſtus Dominus intrauit Reſurgens in gloriam ſuam, Cęlique clauſtra patefecit, ad placidiſſimam quietem cum Superis & cũ Deo, aditibus patentibus, animas introduci.

Hæc obiter: vt ad textum propoſitum regrediar, etſi fateor in illis verbis, *Congregor ad populum meum*, contineri Hebraiſmum, qui idem ſignificat, ac mori, ſicut eſt Latina Phraſis, excedere è viuis, ex vita migrare. Haud propterea exiſtimauerim carere inſigni aliquo myſterio, eam formulam loquendi, quã non fruſtra ſpiritus ſanctus toties iterauerit.

Philo Iudæus populum, ad quem dictus eſt Abraham congregari, ante Iacob nepotem ſuum, iuxta opinionem aliquorum, ait, credi eſſe, aut Solem, & Lunam, & ſtellas cæteras; aut Idearum archetypos; aut terram, aquam, aërem, & ignem, pro corpore, quod in ea reſoluitur, ſicut pro animá, cuius eſt Cæleſte genus, Cælum, ſeu regionem Aetheris puriſſimam: nam in iis ait materiam hominis, & eius exemplaria contineri. Sed hæc, Platonis potius, quam ſpiritus Sancti redolent Philoſophiam. Sicut vero id Philo ideo aſſeruit, quia videbat, haud poſſe Abraham congregari ad Parentes Chaldæos, de quorum domo & cognatione iuſſu Dei exierat.

Ita S. Auguſtinus de Iacob ſermonem inſtituens, (qui & ipſe hoc loco dicitur apponi, & congregari ad populum ſuum) quia is Auctor fuit populi Iſrael, & quia tam pauci iuſti eũ præceſſerunt, vt eos populũ appellare, vix, aut ægrè liceret, in eam inducitur opinionem, vt putet non ſolum ad populum hominum Sanctorum, ſed ad populum Angelorum dici Iacob obeundo, congregari, *Videamus*, inquit S. Auguſtinus, *quomodo dicant ſcripturæ, quod aſſidue dicunt de mortuis: & appoſitus eſt ad Patres ſuos, vel appoſitus eſt ad populum ſuum. Ecce enim de Iacob dicitur tam quidem mortuo, ſed nondum ſepulto: & ad quem populum apponatur, non in promptu eſt videre. Ex illo enim populus prior naſcitur, qui dictus eſt populus Iſrael. Qui verò eum præceſſerunt, tam pauci iuſti non inveniebantur, vt eos populum appellare cunctemur. Nam ſi dictum eſſet, appoſitus eſt ad Patres ſuos, nulla quæſtio fieret. An forte populus eſt non ſolum hominum Sanctorum, verum & Angelorum, populus ciuitatis illius, vnde dicitur ad Hebræos, ſed acceſſiſtis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei Hieruſalem, & ad millia Angelorum exultantium. Huic populo apponuntur, qui poſt hanc vitam placentes Deo fiunt: tunc enim dicitur apponi, quando nulla iã remanet ſollicitudo tentationũ, & periculum peccatorum. Quod intuens ait ſcriptura: ante mortẽ, ne laudes hominem* Quæſt. ſuper Geneſ. l. 1. q. 162.

Ee

Eccli c. 12. *minem quemquam.* Ita S. Auguſtinus Atqui vt rectè Lyranus notat, ante Chriſti Domini Reſurrectionem, ad cœtum, & conſortium Angelorum iuſtis via non patebat, ſed in Limbum ij, migrabant omnes. Vbi etſi frequenter eos interuiſere, ſolarique Angeli potuerint, hoc tamen non ſufficit ad ſolidam huius textus interpretationem.

Quare cum Lyrano, Ruperto Abbate, Cardinali Caietano, & alijs cenſeo, eum populum, ad quem congregatur moriens Iacob, eſſe cœtum & conuentum Piorum, qui ea in ſede quietis, cum ſpe gloriæ Dei, vna morabantur, Adã videlicet, Abel, Seth, Enos, Noe, Sem, Abraham, Iſaac, quorum nimirum populus, leuis erat, & expeditus ab onere, ac ſarcina corporis quod corrũpitur, & aggrauat animam.

Difficultas eſt tamen, quod etiam Iſmahel dicatur mortuus, & appoſitus ad populum ſuum. Præterea Roboam, Aſa, & Achar improbi Reges, dormiuiſſe perhibentur, cum Patribus ſuis At quod attinet ad Iſmaelem, veroſimile eſt, eum, etſi fuit figura populi reprobi, è viuis tamen exceſſiſſe cum pœnitentià. Nam dixerat Deus Abrahæ, dum is oraret pro illo, vt ambularet cum Domino, *ſuper Iſmahel quoq́, exaudiui te.* Itaq; potuit etiam ipſe, ad ſedes Piorum ire poſt obitum, & populo ſanctorum aggregari.

Sed ſi non fuerit ipſe ſcriptus in libro vitæ, & in albo electorum, dum de reprobis ea locutio interdum vſurpatur, diſtinguere oportet populos, in alia vita etiam, piorum nimirum, ac reproborum. Et fauent fortaſſe Hebræi codices, qui vtuntur numero plurali, ita vt de Abraham legatur, & congregatus
Gen. ſ. c. 25. eſt ad populos ſuos. Senſus verò erit, omnes, qui obeunt, ad populos hominum, ſiue Iuſtorum, ſi iuſti fuerint; ſiue reproborum, ſi fuerint improbi, migrare, quietem placidam, aut tormenta, iuxta vitæ meritum, reperturos. Duo igitur innuere ſemper poteſt phraſis antedicta ſcripturæ ſacræ, primo animæ humanæ immortalitatem, quæ dum expirat è corpore, non vtique ſicut aura, quam ducimus, vaneſcat, ſed aliò ſe conferat, vbi vitam aut mortem ineat ſempiternam: deinde rationem quandam ſocialem, quâ vnâ plures animæ, tanquam populus aliquis, & non ſolitariè morantur. Eodem modo, dormire ij, qui obeunt, (probi vel reprobi) dicuntur, quia, vt alibi expoſuimus, ea locutio ſolum indicat, reſurrecturos eos, qui moriuntur, vel ad Cœli vitam, vel ad Gehennæ ſuplicia ſempiterna.

META-

METAPHORA XCV.

Poſt mortem meam, Deus viſitabit vos. Geneſ.c.50.v.23.

DEſierat & loqui, & viuere, poſt filiorum benedictiones, Iacob, cum eſſet annus mundi CIↃ.CIↃ.CCC.XLI. vitæ vero ipſius Iacob annus CXLVII. Obierat, inquam, Iſrael magnus Patriarcha: ſed duodecim populi Duces, ſuperſtites reliquerat, ſicut Chriſtus Dominus duodecim Eccleſiæ Principes. Ex illis Ioſeph, dignitate, & principatu habitus veluti Parens cæterorum, primus etiam peruenit ad diem vitæ poſtremum, cũ vtriuſque filij ſui Ephraim, & Manaſſe vidiſſet tertiam generationem, expleuiſſetq; vitæ annos CX. ex quibus in principatu egerat annos LXXX. in qua diuturnitate dominandi, nulli Aſſyriorum, Græcorum, Ægyptiorum, Iudæorum, Romanorum Principes, illi pares fuerunt: adeo liberaliter Deus viſus eſt, ſeruitutis eius annos tredecim, remunerari. Annos reliquos, XVII. in complexu, & oculis Parentis, voluptas & delitiæ eius tranſegerat.

Ioſeph itaq; ſe moriturus, cum caderet quaſi ſol, ſicut quaſi ſol in omni gloria, vixerat, & cũ ad ſolatiũ populi Dei, relinqueret poſt ſe adhuc omnes fratres, id eſt ſtellas vndecim, quæ iam in Ægypto adorauerãt eũ, accerſiuit illos ad ſe, dixitque vltima ea verba, *poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta, ad terram, quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob.* Hoc eſt, Deus, quaſi reuertetur, vt videat vos, vt ex afflictionibus eruat, vt in regionem introducat, quam Auis, & maioribus veſtris promiſit. Futurum erat enim, vt tẽpore tribulationis Deus videri poſſet oblitus eorum, nec amplius intueri ærumnas, quas patiebantur, cum nihil admirandum preſtaret, pro eorundem liberatione.

Quando autem prodigijs, & flagellis Pharaonem, & Ægyptios perpauefecit, tum enimuero Iſraelitas viſitauit manifeſtè. Eſt in Exodo ſimilis locutio. *Reſpexit Dominus filios Iſrael, & cognouit eos*: id eſt, eruendo illos ex anguſtijs, oſtendit, ipſos agnoſci à ſe, vt plebem ſuam. Apud ſeptuaginta Interpretes legitur, *Reſpexit Dominus filios Iſrael, & cognitus eſt ab eis*: id vero palàm facit, quomodo hæ locutiones accipi debeant, in quibus viſitare, cognoſcere, reſpicere nos Deus, dicitur. Senſus enim eſt, quoties Deus ea

operatur, propter quæ ipſe quodammodo rurſus cognoſcere nos videtur: toties non ipſum de nobis, ſed de ipſo nos potius aliquid agnoſcere, prouidentiam videlicet eius, tutelamque & paternam charitatem, quà præſtò eſt, afflictionibus, & periculis noſtris.

Hæc dixiſſe, de hac Dei viſitatione ſufficiat, præſertim poſt ea, quæ attulimus alibi, Metaphora XLV. Vbi etiam indicauimus, quot modis in ſcriptura ſacra frequenter dicatur Deus in terris nos viſitare, *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Hoc præceptum, de aſportádis Lipſanis ſuis ex Aegypto, quod Ioſeph vltimis deſiderijs, obſignauit, ſatis indicat, de qua viſitatione Dei ergo fratres loqueretur. Nempe de illa, qua Deus omne genus Iſrael, in Terram Chanaan, eorum auis promiſſam, ex Aegypto erat adducturus. Quod factum eſt, annis CCXV. poſtquam illuc Iacob, cum poſteritate ſua immigrauerat.

Tum vero Ioſeph optauit, exuuias ſuas ſaltem, vna efferri, in eoque, vt S. Ioannes Chryſoſtomus, atque alij notant, confirmauit fratrum ſuorum fidem, circa adeundam aliquando poſſeſſionem Palæſtinæ. Quin etiam fidem ſuam, erga diuinas pollicitationes, in qua moriebatur, teſtatus eſt; & votum hoc fuit quieſcendi, in ea regione, in quá ſpecioſi pedes Euangelij pacis erant ambulaturi, ſeu quam Chriſtus Dominus, veſtigiis ſuis, erat conſecraturus, donec è ſomno mortis, & è ſepulturæ cubili excitaretur cum eo, interque alia corpora Sanctorum, qui tunc ſurrexerunt, & exeuntes ex monumentis venerunt in ſanctam Ciuitatem, illi triumphanti etiam ipſe gratularetur.

Aliam adfert cauſam S. Ioannes Chryſoſtomus, aitque Ioſeph voluiſſe: vt fratres oſſa indidem alio ſecum importarent, ex metu videlicet, ne Aegyptij, memores beneficiorum, quæ ab ipſo acceperant, *cum pro more ſuo*, inquit, *facile ex hominibus Deos appellent, corpus iuſti haberent, in impietatis occaſionem*, hoc eſt, ne tanquam Deum Aegyptij eum venerarentur: & hoc pacto augeretur inter ipſos Idololatria.

Li. de Mir. ſcrip. ſac. c. 25. S. Auguſtinus etiam ipſe hanc cauſam adfert ijs verbis: *Ioſeph, vt vir propheticus, prauidit, quod Aegyptiorum gens, Idololatriæ dedita ipſum qui terrenæ munificentiæ ipſis auctor fuiſſet, & ipſos de famis periculo liberaſſet, aliquando adorare vellet.*

Pie. l. 3. Hierogl. Nihilominus fraudatus fuit ea ſpe tam pia: ſcribunt enim aliqui, Aegyptios, grati animi ergo, ſimulacrum Serapidis, cũ modio in capite, vt beneficentię Ioſeph erga ipſos monumentũ, dedicaſſe: eumq; Serapidis nomine Deũ ab eis habitũ fuiſſe. Augetur coniectura, quia viui bouis cultus & religio apud eos, Gen. li. 11. chron. loco Serapidis, argumẽto erat, hoc ipſos dediſſe, gratæ recordationi principatus Ioſeph, qui quoad prouidẽtiá annonæ, in sũma totius Regni caritate, tá vtilis

lis

lis Præſes fuerat, annis LXXX, quam vtilis eſt Bos pro meſſis cultura, & pro agrorum vbertate. Vel certè alludere voluerunt, ad regij ſomnij felicem interpretationem, qua fuerat aſſecutus quid portenderent viſæ boues illæ à Pharaone, ſeptem graciles, & ſeptem opimæ.

Bouis ſimulachrum, inquit S. Auguſtinus, *iuxta ſepulchrum Ioſeph ſtatuerunt, eò quod bos viro in Agricultura cooperatur. Qua etiam cauſa filij Iſrael, cum in deſerto idolum adorare vellent, non aliam aliquam ſtatuam, quam vitulum, id eſt, Iouem fecerunt, hac vel maximè cauſa, quod ipſe in Aegypto iuxta ſepulchrum Ioſeph adoraretur.* Et poſtea concludit: *ne ergo Ioſeph Aegyptiorum ſuccumberet idololatriæ, profectionem filiorum Iſrael præuidens, dixit viſitatione viſitabit vos Deus, & efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* *Ibidem.*

Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. Inquirunt aliqui, cur non ſtatim etiam Ioſeph (ſicut Iacob exemplum dederat) curauerit vehi ſe, ad ſepulchra Maiorum ſuorum, in Terram Chanaan. Reſpondet Ioſephus Hebræus, eum ideo diſtuliſſe, quia ſperauit futurum, vt quamdiu inter Aegyptios maneret, ij memores beneficiorum ipſius, Populum Iſrael tractarent benignius. Sed hoc euenerit fortaſſe, in recenti memoria, nam Hebræi poſtmodum tyrannice habiti fuerunt. Idcirco crediderim potius, Ioſeph inter fratres ſuos, & liberos eorum, manſiſſe conſultò, vt Deus ſemper illis proſpera tribueret, ſaltem in ijs, quæ ad animam ſpectant: ex quo ſemper, in tot aduerſis, retinuere conſtantiam, & puram religionem, in medio Idololatriæ.

Quod ſi peccarent aliqui, & recederent à mandatis Dei, ſperauit fortaſſe futurum, vt ad veniam Deus permoueretur, dum aſpiceret oſſa, & exuuias, quæ ex ipſo tumulo ſpirare adhuc videbantur clementiam, & iniuriam omnem fratribus, eorumque poſteris condonare. *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos.* Mors Ioſeph ſanctiſſimi, & admirabilis Patriarchæ: fuit anno mundi CIↃ. CIↃ. CCC. XCIX. Iudas obijt quinquennio poſt, cum eſſet annorum CXIX. Hunc ſequutus eſt Ruben biennium, in ætate annorum CXXIV. Proximè deſideratus eſt Iſſachar poſt triennium, cum vixiſſet annis CXXII. Altero funere poſt biennium ſublatus eſt Zabulon, cum expleuiſſet annos CXXIV. Dein annus erat elapſus, cum exceſſit è viuis Dan, anno vitæ ſuæ CXXVII. Poſt annum item, Aſer migrauit, eratque annorum CXXVI. Triennio euoluto Beniamin mortuus eſt, cum agere: ætatis annum CXI. Nepthali & Gad, poſt annos duos, defecerunt, eodem anno nati olim, & poſtea item vita functi, quæ vita eorum ad annos prouenerat CXXXII. Quorum omnium funera, exacto adhuc triennio, rectè, veluti iam ſacerdos, vltimo loco proſequitur Leui funere ſuo, in ætate maximè omnium fratrum longæua, nempe annorum CXXXVII. Ita nobilis illa cohors fratrum, & Heroum & Ducum populi Dei ſenſim vniuerſa defecit.

METAPHORA XCVI.

Venite, ſapienter opprimamus eum.

Exodi. c. I. v. 10.

REgnabat in Aegypto Amenophis, communi vocabulo Regum, nuncupatus etiam ipſe Pharao, inieratque principatum, anno mundi CIↃ CIↃ CCCCXXXVIII. ab ingreſſu Iſraelitarum in Aegyptum, anno CX. Is Iudæos ſtatim à primis Imperij exordijs vexare cœpit: dicitur vero ſurrexiſſe Rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph. Et tamen ab obitu Ioſeph, vſque ad huius Amenophis Regis inaugurationem intercefſerant anni dumtaxat XXXIX. vt potuerit eius nouiſſe vultus, nedum famam & merita, propter ſeruatas Prouincias, miraculo prouidentiæ, in penuria annonæ ſeptem annorum, & propter prædia omnium, obligata ærario regio. Quonam igitur pacto hic Rex dicitur ignoraſſe Ioſeph?

Reſpondeo eſſe ſenſum eundem, locutionis huius, ac proximè ſuperiori Metaphora expoſuimus. Nempe ita durè, ac tyrannicè cum Iudæis egit: ac ſi neſciret, Ioſeph erga Aegyptum vniuerſam adeo beneficum fuiſſe, nec legiſſet in annalibus, & faſtis Regni, quam glorioſi Aui nepotes ij fuerint, quos in ſeruitutem ærumnoſam redigere interim ipſe non verebatur. Ait ergo, *ecce populus Iſrael multus, & fortior nobis eſt.* Creuiſſe populum numero magno, conijci poteſt ex eo, quod Moyſes, cenſu habito, inuenerit ad bellicas expeditiones idoneas, hoc eſt ab anno ætatis vigeſimo, ſexies centena & tria millia, & quingentos quinquaginta: cum quibus ſi Tribus Leui numeretur, adiectis etiam ſenibus & fœminis, & quotquot in vtroque ſexu necdum exceſſerant à pueris, cēſus erit facilè vltra trigeſies centena millia, ſolum adſcribendo quinque imbelles vni bellatori: vt ea sūma conſtet. Nec præter fidē videatur, intra non adeo multos annos à progenitoribus ſeptuaginta ortam eſſe ſtirpem ita numeroſam. Nā præterquā quod Dei benignitas fœminas Hebræas fæcundi vteri reddebat, conferebat etiam ad crebra earum puerperia Aegypti regio, & fauens cœlum: ſub quo vtique Ariſtoteles tradit, non binos modò, ſed ternos & quaternos infantes à matribus vno puerperio in lucem edi ſolitos. Imo & compluribus ait eueniſſe, vt quinos etiam effunderent.

Creſcente igitur populo Iſrael, eius numerum, & vires ſuſpectas Pharao habere cœpit, ideoque Aegyptios ſuos alloquitur, ac, *venite*, inquit, *ſapienter opprimamus eum.* Eſt in Hebræo codice, *Eia callidè agamus contra ipſum*; ſeu circumueniamus eum artibus, & dolis: & ſapienter opprimamus: ne ſi forte bellum ingruat, ſub hoſte mereat aduerſum nos. Sic vetus mos conſcientiæ prauæ

uæ

uæ fuit ſemper, moliri ſæua, & tegere tamen ſapientiæ vocabulis, quidquid crudelitas contra conſcientiam ſolet machinari.

Venite ſapienter opprimamus eum: rationem hominibus, in vſum boni conſilij, datam deflectit ad fraudes: & nihilominus iactat ſe tum ſapienter velle agere: adeo cæca eſt ambitio, & adeo impotens eſt libido retinendæ dominationis. *Conſiliorum gubernaculum diuina lex eſt*, inquit Diuus Cyprianus: iniqua oppreſſio autem innocentium, quam hic Barbarus Rex meditabatur, non eo regebatur gubernaculo, ſed æſtu inſano abripiebatur in ſcopulos illos, qui infames ſunt frequentibus Principum & Regum naufragijs. Sapientia vera eſt, vt ij perſuadeant ſibi, Regna per fraudem & dolum euerti: nec ijs artibus imperia conſeruari, ſed moderato regimine & innocentia, quæ eſt vna & fideliſſima Regum cuſtodia, atque inſuper clementia, quæ ornamentum atque certiſſima ſalus regnorum exiſtimatur. Vtinam non aliæ, quam hæ ſint regnandi artes in Principum Aulis & Prætorijs, qui Dei vicarium, eamque manſuetiſſimam adminiſtrant in terris poteſtatem. *Ariſtot. 5. Politic. Plinius in Panegyr. Senec. l. 1. de Clementia.*

Interim quod iniquè propoſuerat Pharao, id tyrannide ſumma expleuit: nam primo vectigalibus magnis, Hebræorum exhaurire fortunas cœpit, mox paupertati ſeruitutem adiecit, damnauitque eos coquendis lateribus, fluuio etiam in alueos nouos deriuando vrbibus condendis, & extruendis inſanis molibus. Opinantur verò Auctores graues, Memphis, Pyramides ab Hebræis fuiſſe (dum ij tum in Aegypto agerent) ædificatas. Cum autem in luto miſeri verſarentur perpetuo, (quod lutum tamen, magis Tyranni pectus, quam eorum manus inquinabat) cum flagris, vt pigra mancipia, cæderentur, ſi forte penſum diei, quod tamen vltra menſuram erat, non exſoluerent: cum eorum qui monebantur, paſſim iacerent inſepulta cadauera, nec humandi eos poteſtas agnatis daretur.

VI. anno huius duræ ſeruitutis, Pharao videns nihilominus, creſcere inuiſum Hebræorum genus, acciri ad ſe obſtetrices duas præcipuas mandauit, atque eis iniunxit, vt quotquot ex Hebræis matribus orirentur mares, eos interpreſſis faucibus, aut aliter necarent, & ſimularent abortum, ſed fœmellis parcerent, vel quia vim nullam ab eijs metueret, ſperaret verò lucrum ex earum induſtria, in plagulis, textura & lanificio, vel quia crederet, Aegyptios eis, vt pote pulchrioribus, quando eſſent viris maturæ, abuti poſſe. Attamen haud obſequi præcepto obſtetrices voluerunt, excuſatione illa vtentes, quod mulieres Hebrææ obſtetricia peritè callerent: & quamuis fortaſſe mendacium officioſum hoc fuerit, non abſtulit ipſis leuis ea culpa meritum magnæ charitatis, erga populum Dei. Tum Pharao incrementum non ferens eiuſdem inuiſi populi, & fraudatus ſpe, quam in obſtetricibus primum habuerat, anno inchoatæ ſeruitutis XIII. edictum promulgauit,

impe-

imperauitque vt mares omnes, filij mulierum Hebræarum proijcerentur in profluentem amnem. Sed enim hæc impia lex vna cum Tyranni vita poſt quinquennium (qui fuit annus ſeruitutis XVIII) finem habuit: atque hæc fuit inſaniens ea ſapientia, qua ille opprimere populum Iſrael meditabatur.

METAPHORA XCVII.

Loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Exod. c. 4. verſ. 16.

AMram vir ex Tribu Leui, ex qua Tribu coniux eius erat, nomine Iocabetha, tempore huius Hebraicę ſeruitutis, ſuſceperat Mariam, & quadriennio poſt ab eius partu, Aaron, ante Pharaonis edictum, de ſubmergendis infantibus mulierum Hebræarum. Exacto dein adhuc triennio, genuit Moyſen, quem domi clam aluit menſibus tribus: donec metu miniſtrorum Regis, qui ſcrutabantur Hebræorum ædes, exponere eum coactus eſt, & conijcere puerulum vagientem in vlnas altricis magnæ: nempe Diuinæ prouidentiæ. Infantulus intra fiſcellam, ſeu oblitam intus pice ſcaphulam, erat, ne aqua nimirum influeret, atque hæc hærebat in carecto ripæ fluminis, ſeu caricibus conſito, & paluſtri loco; (qualia loca exundans Nilus, & in alueum poſtea regurgitans paſſim relinquit.)

Eò interim fortè conceſſit filia Pharaonis, vt in Nilo amne ſe perlueret, ambulabantque ſecus crepidinem aluei puellæ gynecæi eius. Cum autem vidiſſet filia Regis, fiſcellam ſcirpeam, hoc eſt iuncis intextam, iuſſit eam ad ſe perferri, ac miſerans conditionem paruuli, quem Hebræum eſſe fortaſſis agnouit ex circumciſione, conſilium accepit à Maria ſorore illius, puella ſeptenni, deditque infantem pro ſe alendum propriæ matri tanquam nutrici conductitiæ, quam tamen ad id obſequij pietas materna, & non ſtipendia ſtimulabant. Sic euenit, quod lege immutabili, ac æterna diſpoſuerat Deus: vt videlicet populo Iſrael Dux egregius daretur, qui ex barbara cum Ægypti ſeruitute liberaret. Nomen pueri fuerat Moyſes, id eſt, *extractus ex aquis*, & is ablactatus, poſt triennium traditus eſt, filiæ Pharaonis, cui indoles pueri, & vultus liberalis in delicijs fuit.

Obierat Amenophis, vt dixi, anno ſeruitutis Iſraelitarum XVIII. ſucceſſeratque Orus Princeps aliquanto mitior, & qui creditur edictum immane, de mergendis pueris abrogaſſe. Moyſes porrò educabatur in omni litteratura: adeò vt ſapientiam vniuerſalem, quam cyclopediam Græci vocant, dicatur à Clemente Alexandrino, in pueritia ipſa didiciſſe.

Ægyp-

Ægyptios tamen ab Hebræis aſtronomiam, aliaſque diſciplinas primum hauſiſſe, ab Ioſeph nimirum, & ab alijs Patriarchis, exiſtimandum eſt, non verò à Mercurio Triſmegiſto: quem falsò ab alijs primum ſapientiæ apud Ægyptios inſtitutorem vocari, ex doctrina temporum conijcitur manifeſtè. Coæuus enim Moyſi fuit Atlas, Aſtronomus, & maioris Mercurij Auus Maternus, huius deinde Mercurij nepos fuit alter, cognomine Triſmegiſtus. Oro regnante, anno ſeruitutis XL. & anno XXVIII. vitæ Moyſis natus eſt Ioſue ex Tribu Ephraim, Dux alter populi Dei: & Moyſes cum annū deinde ageret XL. ac videret afflictionem gentis ſuæ, elegit conſors ærumnarum eſſe, quàm aulæ delitijs ac pompis inutiliter pius, & miſericors, intereſſe. Proinde negauit, ſe filiæ Regis ſobolem, ac Menophis nepotem eſſe: tametſi ſpe omnium, vt ait Philo, deſtinaretur ſucceſſor Aui, nec aliter quam Rex Iunior appellaretur. Ad hęc vt contraham quæ ſequuntur. Interfecerat Moyſes virum Ægyptium, nempe Præfectum aliquem operis, à quo duriùs accipi Hebręum hominē videat, nec adſcribi culpæ fortaſſe id Moyſi debet, quia tradita ei iam tum fuerat poteſtas, quando Deus Amram parenti reuelauerat, ipſum naſci ob ſalutem populi ſui. Quod ſi circumſpiciens ne conſcios alios facinoris haberet, in ſabulo cadauer occultauit, haud indicium hoc cenſeri poteſt dubiæ poteſtatis. Nam etiam legitimi Iudices cum violentiam alicuius Tyranni verentur, ſupplicia de Reis clam interdū ſumunt. Verum poſtridiè, exprobrantibus id Hebræis duobus, quos Moyſes conciliare in rixa mutua ſtuduerat, metu ne facinus emanaret, decreuit ſolum vertere, & fugere in Arabiæ finitimam Regionem. Dum ibi ageret in re priuata, ob defenſas filias Raguelis, ad puteum ex quo hauriebant aquam, tantam eiuſdem Raguelis iniuit gratiam, vt illius filiam Sephoram coniugem habuerit. Cęterum Æthiopiſſa hęc nominatur, quoniam habitabat in terra Madian, cui etiam Æthiopiæ nomē olim tribuerunt. Etenim Moyſen, cum triginta eſſet annorum, bellum geſſiſſe pro Ægyptijs contra Æthiopes, integro decennio, & duxiſſe ibi vxorem Reginā Æthiopiæ, fabuloſum cenſetur, tametſi hoc referat Ioſeph Hebręus, & Scriptores alij. Raguel ipſe, qui & Ietro nominatur, ex Abram & Getura ortum ſuum repetebat, quinta generatione, & Sephora ideò ſexta erat ab Abraham, Moyſes verò ſeptimus. Quod hic Ietro, Sacerdos à Moyſe appelletur, vel intelligi debet in eo ſenſu, in quo etiam filij Dauid vocantur Sacerdotes, quos tamen conſtat ad Tribum Iuda, non ad Tribum Leui pertinere. Vox enim Hebraica *chohen*, etſi vt plurimum ſignificat Præpoſitum rerum Sacrarum, ſeu Sacerdotem, interdum ſonat populi Magiſtratum, ac Principem. Vel dicitur *chohen* in vtraque ea ſignificatione, propterea quod gentis ſuæ Princeps ſimul, & Sacerdos haberetur. Sicut autem Moyſes ex diuino conſilio in eas oras exulauerat, in quibus ducere vxorem poſſet, ex ſtirpe Abraham:

Lib. 1. de vita Moyſis

2. Reg. c. 8.

braham:ſic Aaron in Aegypto coniugium inierat,cum Eliſabeth,Aminadab filia,ex Tribu Iuda:quaſi iam tunc prouidentia Dei voluerit,vt Tribus regia, & Tribus Sacerdotalis iungerentur, & vt ea res præluderet Myſterio Christi Domini, qui verus Rex & Sacerdos fuit,ortus ex Maria de ſtirpe Iuda,& cognata alterius Eliſabeth de Tribu Leui.

Orus Rex anno ſeruitutis LVI. exceſſit è viuis, & cœpit Regni habenas Acenchris filia eius, cuius loco fortaſſe Moyſes regnaſſet, niſi memorabili exemplo contemptæ Maieſtatis, profiteri ſeruilem conditionem, pro ſalute populi maluiſſet. Fuit nihilominus Princeps admirabilis Iſraelitarum,poſtquam paſtorem diu egerat apud Socerum Ietro, & exercuerat in ea re quoddam quaſi tyrocinium futuri Principatus. *Ars enim Paſtoralis*, inquit Philo,*ad Regnum eſt præludium,hoc eſt ad regimen hominum,gregis manſuetiſſimi. Quemadmodum bellicoſa ingenia præexercent ſe in venationibus, in feris enim experiuntur futuri Præfecti, brutis præbentibus materiam exercitij.* Acenchris Regina poſt annos XII. ab Ori obitu defuncta eſt:cùm ageretur annus ſeruitutis LXVIII. & in ſolio regni poſt eam Achor ſedit, ad annos alios IX. cui ſubrogatus eſt Chencres, ann.mundi CIↃ CIↃ CLXXVII.ſeruitutis verò Iſraelitarum ann.LXXVII.atq; hic Chencres fuit ille Pharao, qui hauſtus eſt rubro mari,dum Hebræos abeuntes perſequeretur,& ad quẽ Moyſes functus eſt ſua legatione percelebri.

Lib. 1. de vita Moyſis.

Instructio Dei hanc legationem præceſſit,pro qua putem fuiſſe operæ pretium hæc prænarrare,vt ſeries rerum proponeretur clarius, & Scripturæ Sacræ difficultates nonnullæ explanarentur. Venio iam ad propoſitam initio metaphoram,*loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Oppreſſi ab Ægyptijs Hebræi,Deum ſuum implorauerant,qui Moyſem liberatorem eorum inſtituit:viſus ei adeſſe in rubo ardenti,atque admonens, vt ſolueret calceamenta pedum. *Morticina enim mortuarum affectionum*, inquit S.Bernardus,*vel hominem mortuum à corde,terra ſancta nequaquam diu patitur.* Poſtea Deus permiſit adhuc oſtenta duo, tum virgę in colubrum abeuntis, tum vero manus lepræ tabem contrahentis,cumque incitauit,vt obire munus legati non reformidaret.Dum tamen Moyſes,hebetudinem oris, nec prompti, nec diſerti excuſaret, Oratorem illi Deus Aaron fratrem dedit,qui veluti os ipſius loqueretur. S.Baſilius & Origenes notant, Moyſem, qui omni ſapientia Ægyptiorum excultus erat,merito videri ſibimet mutum & elinguem:dum erat in conſpectu Dei, cui quis vnquam poterit comparari? *Nunquam deſuerunt*, inquit S. Cyrillus,*neque deſunt,qui humanam gloriam præſentem, & ſplendorem,magno opere ſectentur.* At non talis Moyſes fuit:recuſauit imò adeò conſtanter, vt odioſe reluctari propemodum Deo,viſus fuerit, & Deus propterea iratus credi potuerit: quamquam momento eodem iram Dei omnem Moyſis humilitas placauit. Poterat qui os hominis creauit,linguam hominis reparare,& ſtatim in Moy-

Serm. ad fratres de monte Dei.

Moyſe erat hebetior, illam acuere, ac perfectius formare. Maluit ei oratorem adiungere, vt moneretur imperfectione illa Moyſes, retineretúrque, ne, dum patraret admiranda prodigia, ſuperbiret. Contra ne Aaron plus ſibi authoritatis vindicaret, *ipſe erit*, inquit, *os tuum*: non à ſe loquetur, ſed à te ſermonis argumentum petet. *Sicut os non loquitur ex ſe*, inquit Abulenſis, *ſed eſt organum loquendi, vt quæ cor concipit, ea proferat: Ita Aaron erit os Moyſis, vt quæcumque is mandauerit, tanquam os exequens, loqueretur*. Sic vtriuſque dignitatem Deus miſcuit humilitate, & veluti temperauit, vt dum ambo a Deo exaltantur, à ſe interim humilientur. Obiter hic illud inſinuauerim, nõnullos infenſos Eccleſiaſtico Principatui, aut erga eum parum æquos, occaſionem hinc arripere, vt affirment, ſubiici laico magiſtratui, ſacerdotes (ex quorum ore tamen Dei lex eſt requirenda) quandoquidem Moyſi Aaron ſubiicitur à Deo. Sed enim hos erroris facile redarguas, Tum quia quando hæc acta ſunt, necdum fuerat Aaron inauguratus ſacerdos, & Pontifex Hebræorum: Tum vero præcipuè, quia Moyſes non erat Princeps Laicus, ſed verus Dei ſacerdos, ex quo & fratrem ſuum Aaron initiauit Pontificem, aliaque obiuit munia ſacerdotalia: vt merito proinde Dauid Rex eum recenſeat in albo ſacerdotum: dum *Moyſes*, inquit, *& Aaron in ſacerdotibus eius*. Cæterum homines aſſumit ſępenumero Deus, vt ſint veluti eius membra, ſicut Aaron os dicitur Moyſis, & Moyſes vocari viciſſim potuit manus Dei. *Oſtendimus apoſtolica authoritate*, inquit Origenes, *membra Chriſti dici dignos quoſque fidelium & diuerſa ſingulariter mẽbra nominari, pro eo quod vnuſquiſque omni Eccleſiæ corpori dependet officium. Erunt enim pedes Chriſti, qui currant ad faciendam pacem, qui pergunt ad ſubueniendum iis, qui in neceſſitate ſunt poſiti. Erunt manus Chriſti, quæ ad miſericordiam extenduntur, quæ auxilium indigentibus ferunt, quæ inualidis ad adminiculum porriguntur. Sic erunt & oculi Chriſti, qui ſcientia lumen vniuerſo corpori præſtant: ſicut in Euangelio ſcriptum eſt, lucerna corporis tui eſt oculus tuus*. S. Cyprianus etiam: *Nec difficile eſt Deo*, inquit, *aperire os hominis deuoti ſibi, & cõfeſſori ſuo inſpirare cõſtantiam, & fiduciam loquendi, qui in Numeris, aduerſus Balaam Prophetam, aſinam fecerit loqui. Quare in perſecutionibus, nemo cogitet, quod periculum Diabolus importet, ſed imo conſideret quod auxilium Deus præſtet*.

Homil. 17. in c. 49. Geneſ.

Math. c. 6.

De exhortat. martyrij cap. 1. Num. c. 22.

METAPHORA XCVIII.

Ego indurabo cor eius. Exod. cap. 4. verſ. 22.

VT Moyſes non imparatus ad prouinciam difficilem, & duram accederet, prænunciat ei Deus Pharaonis duritiam, & *Ego*, inquit, *indurabo cor eius*. Manichæi auſi ore ſacrilego, Deũ ipſum arceſſere iniuſtitiæ, indurationis huius Reum, eundẽ Deum expoſtularunt. In qua ſanè accuſatione videri poſſent, vel Pharaone ipſo, quem defendunt, iniquiores. Nam Pharao

Exod c. 9. rao, *Dominus iuſtus*, inquit, *ego & populus meus impij: Qua ergo conſcientia*, inquit D. Auguſtinus, *Chriſtianus, Deum iniuſtum eſſe conqueritur?*

Vt exponamus quonam pacto hæc induratio cordis Deo tribuatur, audiendus imprimis eſt idem S. Auguſtinus, magnus huius Theologiæ magiſter, qui hæc docet, Deum non ſua diuina potentia Pharaonis cor obduraſſe: quia quando criminibus adduntur crimina, cumulum hæc faciunt, ac Prouer. c. 18 demergunt. *Impius quippe, cùm in profundum venerit, contemnit.* Ex peccatis deinde, cùm ita frequentantur, oritur deſperatio, & ex deſperatione induratio. Deus indulget, permittit, differt pœnas, & tum quaſi ceſſet flagellum, cor induratur. Hoc videre eſt in Pharaone, quem quoties plaga Dei percuſſit, toties pœnituit. Vbi remiſit plaga, iterum ex indulgentia Dei eſt in ſuperbiam relapſus.

Eant iam, & querantur nonnulli, proſpere cum impijs agi, probos atque innocentes aduerſis exerceri. Agnoſcant hac proſperorum indulgentia illos indurari, donec in peccato ſuo moriantur: hos verò, vt ſalui fiant, amari viri-Apocal. c. 3 liter, & paternè: quia *quos amo & diligo*, inquit Deus, *corrigo, & caſtigo.* Exemplo illo idoneo vti poſſumus: famulum alit quis indulgenter, ac delicatè: ſi verò is excedat, ſilet, aut conniuet Herus. Tandem exprobrare vitium hic idem Herus auditur; Ego inquiens, indulgendo, parcendoque proteruum te, ac deſidem nutriui: Attamen non Heri voluntas vnquam fuerat, vt ſeruus ita educaretur: perinde non diuinæ voluntati, ſed propriæ cuiuſque iniquitati verti debet cordis induratio.

Alter modus indurandi eſt, ſi ſubtrahat Deus gratiam ſuam. *Quid erit igitur, ego indurabo cor eius*; inquit S. Auguſtinus; *niſi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia ſua?* Ex frigore aqua conglaciat: ſed ſi Sol adeſt, & fouet, reſoluitur: ſi Sol diſcedit, alget iterum, iterum dureſcit. Ita ineſt peccatis frigus, quo refrigeſcit charitas, & reſoluitur calore diurnæ miſericordiæ, cum adeſt: induratur denuo, cum idem calor abeſt. Hæc ſimilitudo eſt eiuſdem S. Auguſtini: Theodoretus aliam adfert, poſtquam dixerat Deum, qui potuiſſet ſtatim primam Pharaonis contumaciam punire, viſum eſſe ineffabili longanimitate, ſi quomodo ille reſipiſceret: Solis calor, ceram reddit mollem, lutum verò durum efficit. Sic ex Dei longanimitate molleſcunt alij, & alij contra obdureſcunt.

Ego indurabo cor eius. Rupertus Abbas ſubaudiri hæc, aut ſimilia verba putat, *non indurabo, eum corrumpendo, ſed filijs Iſrael patrocinando, quod ego iſtos diligam, cedet Pharaoni ad incrementum odij.* Sic eodem ſolis iucundo lumine, & glacies dura liqueſcit, & lutum molle dureſcit. Sordes peccatorum videlicet, in nobis luteas animas ſenſim efficiunt: eſt ſolis gloria, quod luceat: eſt ipſiuſmet luti fœditas, quod induretur: ſeu eſt Dei miſericordia, quòd citra homines luce-

luceant opera eius bona, eſt hominum nequitia, quod ex ijs arripiant occaſionem ſæpius peccandi, atque indurandi cor ſuum. Quæ induratio nunquam oritur à Deo directè, quaſi nequitiam ipſe ingerat, ſed obliquè, vel dum alijs prodeſt, & nos id ægrè adſpicimus, vel dum nos deſerit gratia eius, in pœnam ſcelerum præteritorum, vt S. Thomas & Theologi cum eo docent.

Ego indurabo cor eius: accipitur cor loco animæ, cuius præcipua ſedes & officina cor eſt: ipſa verò anima non ſine metaphora dicitur dura, vel mollis (& ſicut res quæ obſequitur, vel reſiſtit artifici formam imprimenti) ſi facilis aut difficilis aſſentiatur, vel ſecus Diuinæ inſpirationi. *Cor durum*, inquit S. Thomas, *ſonat in malum: durum eſt, quod non cedit, ſed reſiſtit impellenti, & ita cor dicitur, quando non cedit diuinæ iuſſioni.*

Vt concludam, ſaluberrimum conſilium eſt illud S. Auguſtini, vt peccata creſcere in cumulum non ſiuamus: quandoquidem ea ſi multa ſunt, deſperationem pariunt, & deſperatio deinde indurationem. *Quoties delinquitur*, inquit ipſe, *peccata noſtra iudices nos ſentiant, non patronos, accuſatores ſuos, non defenſores, ſecundum illud quod ſcriptum eſt, iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tu agnoſce, & Deus ignoſcit, nam quo pacto Deus dignetur ignoſcere, quod in ſe homo dedignatur agnoſcere?* Hunc ſenſum amittere, circa imperfectum ſuum, eſt ſenſim cor in nobis obdurari. *Pharaonis cor*, inquit S. Gregorius, *Dominus obduraſſe dicitur, non ipſe duritiam contulit, ſed quod exigentibus eius meritis, nulla illud deſuper infuſi timoris ſenſibilitate molliuit.* Lib. 31. moral. c. 9.

Videntur autem Silari aqua reſpergi peccatores, in quam ſi plantæ aliquæ conijciantur, dicuntur lapideſcere, colore tamen & priori forma ſuperſtite. Strab. l. 5. p. 163. In lapidem perinde abeunt improbi, pectore & corde obcæcati, obduratique. Remedium, ne id contingat, ſola humilitas eſt, neque hoc ex Euangelio tantùm diſcas, ſed etiam ſi libeat ex veteri Philoſophia. Plato poſtquam dixerat, Deum in ſui comitatu ſemper Iudicium habere: quo ij puniũtur, qui deſciuerint à Diuina lege, hæc habet: *Cui quidem iudicio, quicumque fœlix futurus eſt, adhærens, humilis ſubſequitur, atque compoſitus: qui autem ſuperbia elatus eſt, is penitus à Deo deſeritur.* 4. De legibus.

METAPHORA XCIX.

Hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Iſrael.

Exod. cap. 4. verſ. 22.

VErbum æternum, eſt Patris æterni filius vnigenitus; *qui neque fuit aliquando non filius*, inquit S. Hilarius, *neq; fuit aliquid antequam filius, neque quidquam aliud ipſe, niſi filius.* 12. de Trinitat. Contra nos fuimus aliquando

aliquando non filij, vtpote qui naſcimur, antequam ſimus filij eius, & naſcimur filij iræ: donec poſtea per Spiritus San & lauacrum rurſus geniti, filij adoptionis nominemur, ac ſimus. Alioquin ſola creatio Dei non propriè filios minimè conſtituit. Ibidem. *Nunquid pictori pictura filius*, addit S. Hilarius, *aut gladius fabro filius, aut Architecto domus filius. Hæc enim opera efficientium ſunt Patri ſolus, qui ex eo naſcitur, filius eſt* Sic ipſe.

At Dei imago, & ſimulacrum eſt homo, quid tum? haud propterea filius Dei erit cenſendus homo, quia nec ſtatua humana cenſetur, aut dicitur ſtatuarij filius, licet ab hoc illa minus in natura diſcrepet, quam homo diſcrepet à Deo. Itaque is cenſetur filius, quem generat alius in natura ſimilem ſibi: quo pacto Æternus Pater, in Æterni filij ſui generatione exſerens immenſam ſuam fœcunditatem, tantundem parturiuit, quantum in natura eſt ipſe, ſemper generans, quem ſemel genuit, atque in Patris eo gaudio feliciſſimè perennans. At in nobis, quod naturæ defuit, hoc Dei charitas conciliauit, hoc eius gratia suppleuit, vt eiuſdem filij habeamur. Diſtinguit porro maiores, & minores natu Deus, inter hos filios adoptionis, *Ecce hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus eſt Iſrael* quem vt à ſeruitute Aegypti in libertatem aſſerat, Moyſi Legato ſuo edicit fore, vt à Pharaone tandem extorqueat eius liberationem, illatâ ipſi plagâ omnium maximè luctuoſâ, nempe funere omnium primogenitorum.

Verùm ne contemptui Hebræis primogenitis, nos Chriſtiani forte ſimus, quaſi propterea in ſecundis nominibus habeamur, quia cœleſtis pater eos priores adoptauit, patrocinium adferam S. Hieronymi, cuius de hac re In Yſaia c. 1. illa ſunt verba: *ſi ſuperbierit Iſrael, audiens ſe eſſe primogenitum, intelligat primogenitum idcirco ſe dici, quia ſecundi filij ſignificentur ex gentibus: non enim appellatur vnigenitus, vt excludat omnes fratres, ſed primogenitus, vt monſtret alios ſequuturos.* Deinde Ibidem. ad ſolatium magnum Chriſtiani populi, etiam hæc addit, *& tamen iuxta myſteria Scripturarum, non primogeniti accipiunt hæreditatem, ſed ſecundi: primogenitus fuit Cain, ſed Abel munera placuerunt; primogenitus Iſmahel, ſed Iſaac accepit hæreditatem: primogenitus Eſau, ſed benedictionem Patris Iacob ſupplantator præripuit: primogenitus Ruben, ſed tamen benedictio ſeminis Chriſti transfertur ad Iudam. Itaque illi, iuxta vocationis ordinem primi fuerunt, nos ſecundi verſi ſumus in caput, & Dei appellamur filij.* Sic ipſe, nec deſunt huius rei plura exempla; Iacob enim Ephraim conſtituit ante Manaſſem. Dauid minimus fratrum ad Regnum vocatus eſt. Eleazar tertius genitus ſucceſſit Aaron in Pontificatu. Nos igitur in ſecundis filijs, ſed non in ſecundis hæredibus ſumus, vel in ima cera: imo cohæredes vnigeniti Dei, cum tabulæ teſtamenti reſignari in cœlo debuerint, ad hæreditatem vocabimur; præ ipſo primogenito, qui eſt populus Iſrael.

METAPHORA C.

Sponſus ſanguinum, tu mihi es. Exod. cap. 4. verſ. 25.

ITER, Ægyptum verſus, inierat Moyſes, vt legatione ſua fungeretur: cum in diuerſorio apparuit ei Deus, plenus minarum, mortemque ei, aut timorem mortis intentans. Siuè enſe diſtricto, ſiue manu aliter armata, voluerit eum adoriri. Cauſæ adducuntur variæ, & ſunt, qui exterrefactum ideo Moyſem putant, vt expeditionis ſuſceptæ impedimenta, nempe vxorem, & liberos ab ſe dimitteret. *Quidam putauerunt*, inquit S. Auguſtinus, propter hoc Angelum terruiſſe, ne ad impedimentum miniſterij, quod Diuinitus impoſitum, Moyſes gerebat, fœmineus ſexus comitaretur. Alij credunt voluiſſe Deum eo metu, ipſum inſtruere, vt diſceret magis formidare Deum armatum, quàm Pharaonem iratum, & ne amplius, ex huius nimio timore, impoſitum onus diuinæ legationis detrectaret. Ad hæc arbitrantur aliqui, Moyſi hoc eueniſſe, propterea quod filij circumciſionem diſtulerat, & hæc explicatio præ alijs cum Hiſtoria congruit. Attamen videbitur fortaſſe Moyſi minimè id vitio verti debuiſſe; tum quia infantes Hebræorum, citra Dei offenſam in deſerto circumciſionem diſtulerunt, tum vero quia, etſi circumciſio intra octo dies infantibus imprimenda erat, licebat ad duos & tres menſes illam differre, ſi proſperè infans non valeret, ne impar dolori, ex vulnere moreretur. Nihilominus Moyſen pleriq; non excuſant, quia cum electus eſſet Dux populi, debebat etiam ipſe ſicut Chriſtus Dominus, implere omnem iuſtitiam, & prius facere, quam docere. Cumque futurus eſſet Legislator, debebat legem ſcriptam, in ſe, in membris ſuis, & in ſuis liberis circumferre, quò deinde alijs eam efficacius perſuaderet. *Prouidens Deus*, inquit Tertullianus, *quod hanc circumciſionem, in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus populo Iſrael: idcirco filium Moyſis, Ducis futuri inſtigat circumcidi, vt cum cœpiſſet per eum populo dare præceptum circumciſionis, non aſpernaretur populus vidēs exemplum iſtud in Ducis filium iam celebratum.* Eſt igitur, cur indignationem Dei metuant ij qui præſunt honore, ac dignitate, niſi præſint etiam virtute, atq; exemplo: & quia non ſunt peræquè grati ac Sancti, atq; Moyſes erat, eſt cur adhuc magis Dei iuſtam iram reformident.

Super Exod. lib. 2. quæſt. 12.

L. aduerſus Iudæos c. 3.

Valuiſſe improſperè filium Moyſis, ex Scriptura ſacra non habetur; in deſerto autem fuiſſe dilatam circumciſionem, diximus alibi, metaphora XXXIII. nempe quia diſtingui eo ſigno in ſolitudine populum Dei, non erat neceſſe:

& quia

METAPHORA XCVI.

Venite, ſapienter opprimamus eum.

Exodi. c. 1. v. 10.

REgnabat in Aegypto Amenophis, communi vocabulo Regum, nuncupatus etiam ipſe Pharao, inieratque principatum, anno mundi CIƆ CIƆ CCCCXXXVIII. ab ingreſſu Iſraelitarum in Aegyptum, anno CX. Is Iudæos ſtatim à primis Imperij exordijs vexare cœpit: dicitur vero ſurrexiſſe Rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph. Et tamen ab obitu Ioſeph, vſque ad huius Amenophis Regis inaugurationem interceſſerant anni dumtaxat XXXIX. vt potuerit eius nouiſſe vultus, nedum famam & merita, propter ſeruatas Prouincias, miraculo prouidentiæ, in penuria annonæ ſeptem annorum, & propter prædia omnium, obligata ærario regio. Quonam igitur pacto hic Rex dicitur ignoraſſe Ioſeph?

Reſpondeo eſſe ſenſum eundem, locutionis huius, ac proximè ſuperiori Metaphora expoſuimus. Nempe ita durè, ac tyrannicè cum Iudæis egit: ac ſi neſciret, Ioſeph erga Aegyptum vniuerſam adeo beneficum fuiſſe, nec legiſſet in annalibus, & faſtis Regni, quam glorioſi Aui nepotes ij fuerint, quos in ſeruitutem ærumnoſam redigere interim ipſe non verebatur. Ait ergo, *ecce populus Iſrael multus, & fortior nobis eſt.* Creuiſſe populum numero magno, conijci poteſt ex eo, quod Moyſes, cenſu habito, inuenerit ad bellicas expeditiones idoneas, hoc eſt ab anno ætatis vigeſimo, ſexies centena & tria millia, & quingentos quinquaginta: cum quibus ſi Tribus Leui numeraretur, additis etiam ſenibus & fœminis, & quotquot in vtroque ſexu necdum exceſſerant à pueris, cẽſus erit facilè vltra trigeſies centena millia, ſolum adſcribendo quinque imbelles vni bellatori: vt ea sũma conſtet. Nec præter ſidẽ videatur, intra non adeo multos annos à progenitoribus ſeptuaginta ortam eſſe ſtirpem ita numeroſam. Nã præterquã quod Dei benignitas fœminas Hebræas fæcundi vteri reddebat, conferebat etiam ad crebra earum puerperia Aegypti regio, & fauens cœlum: ſub quo vtique Ariſtoteles tradit, non binos modò, ſed ternos & quaternos infantes à matribus vno puerperio in lucem edi ſolitos. Imo & compluribus ait eueniſſe, vt quinos etiam effunderent.

Creſcente igitur populo Iſrael, eius numerum, & vires ſuſpectas Pharao habere cœpit, ideoque Aegyptios ſuos alloquitur, ac, *venite,* inquit, *ſapienter opprimamus eum.* Eſt in Hebræo codice, *Eia callidè agamus contra ipſum;* ſeu circumueniamus eum artibus, & dolis: & ſapienter opprimamus: ne ſi forte bellum ingruat, ſub hoſte mereat aduerſum nos. Sic vetus mos conſcientiæ prau-

uæ fuit ſemper, moliri ſæua, & tegere tamen ſapientiæ vocabulis, quidquid crudelitas contra conſcientiam ſolet machinari.

Venite ſapienter opprimamus eum: rationem hominibus, in vſum boni conſilij, datam deflectit ad fraudes: & nihilominus iactat ſe tum ſapienter velle agere: adeo cæca eſt ambitio, & adeo impotens eſt libido retinendæ dominationis. *Conſiliorum gubernaculum diuina lex eſt*, inquit Diuus Cyprianus: iniqua oppreſſio autem innocentium, quam hic Barbarus Rex meditabatur, non eo regebatur gubernaculo, ſed æſtu inſano abripiebatur in ſcopulos illos, qui infames ſunt frequentibus Principum & Regum naufragijs. Sapientia vera eſt, vt ij perſuadeant ſibi, Regna per fraudem & dolum euerti: nec ijs artibus imperia conſeruari, ſed moderato regimine & innocentia, quæ eſt vna & fideliſſima Regum cuſtodia, atque inſuper clementia, quæ ornamentum atque certiſſima ſalus regnorum exiſtimatur. Vtinam non aliæ, quam hæ ſint regnandi artes in Principum Aulis & Prætorijs, qui Dei vicarium, eamque manſuetiſſimam adminiſtrant in terris poteſtatem. *Ariſtot. 5. Politic. Plinius in Panegyr. Senec. l. 1. de Clementia.*

Interim quod iniquè propoſuerat Pharao, id tyrannide ſumma expleuit: nam primo vectigalibus magnis, Hebræorum exhaurire fortunas cœpit, mox paupertati ſeruitutem adiecit, damnauitque eos coquendis lateribus, fluuio etiam in alueos nouos deriuando vrbibus condendis, & extruendis inſanis molibus. Opinantur verò Auctores graues, Memphis, Pyramides ab Hebræis fuiſſe (dum ij tum in Aegypto agerent) ædificatas. Cum autem in luto miſeri verſarentur perpetuo, (quod lutum tamen, magis Tyranni pectus, quam eorum manus inquinabat) cum flagris, vt pigra mancipia, cæderentur, ſi forte penſum diei, quod tamen vltra menſuram erat, non exſoluerent: cum eorum qui monebantur, paſſim iacerent inſepulta cadauera, nec humandi eos poteſtas agnatis daretur.

VI. anno huius duræ ſeruitutis, Pharao videns nihilominus, creſcere inuiſum Hebræorum genus, acciri ad ſe obſtetrices duas præcipuas mandauit, atque eis iniunxit, vt quotquot ex Hebræis matribus orirentur mares, eos interpreſſis faucibus, aut aliter necarent, & ſimularent abortum, ſed fœmellis parcerent, vel quia vim nullam ab eijs metuerer, ſperaret verò lucrum ex earum induſtria, in plagulis, textura & lanificio, vel quia crederet, Aegyptios eis, vt pote pulchrioribus, quando eſſent viris maturæ, abuti poſſe. Attamen haud obſequi præcepto obſtetrices voluerunt, excuſatione illa vtentes, quod mulieres Hebrææ obſtetricia peritè callerent: & quamuis fortaſſe mendacium officioſum hoc fuerit, non abſtulit ipſis leuis ea culpa meritum magnæ charitatis, erga populum Dei. Tum Pharao incrementum non ferens eiuſdem inuiſi populi, & fraudatus ſpe, quam in obſtetricibus primum habuerat, anno inchoatæ ſeruitutis XIII. edictum promulgauit,

impe-

imperauitque vt mares omnes, filij mulierum Hebræarum proijcerentur in profluentem amnem. Sed enim hæc impia lex vna cum Tyranni vita poſt quinquennium (qui fuit annus ſeruitutis XVIII) finem habuit: atque hæc fuit inſaniens ea ſapientia, qua ille opprimere populum Iſrael meditabatur.

METAPHORA XCVII.

Loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Exod. c. 4. verſ. 16.

AMram vir ex Tribu Leui, ex qua Tribu coniux eius erat, nomine Iocabetha, tempore huius Hebraicæ ſeruitutis, ſuſceperat Mariam, & quadriennio poſt ab eius partu, Aaron, ante Pharaonis edictum, de ſubmergendis infantibus mulierum Hebræarum. Exacto dein adhuc triennio, genuit Moyſen, quem domi clam aluit menſibus tribus: donec metu miniſtrorum Regis, qui ſcrutabantur Hebræorum ædes, exponere eum coactus eſt, & conijcere puerulum vagientem in vlnas altricis magnæ: nempe Diuinæ prouidentiæ. Infantulus intra fiſcellam, ſeu oblitam intus pice ſcaphulam, erat, ne aqua nimirum influeret, atque hæc hærebat in carecto ripæ fluminis, ſeu caricibus conſito, & paluſtri loco (qualia loca exundans Nilus, & in alueum poſtea regurgitans paſſim relinquit.)

Eò interim fortè conceſſit filia Pharaonis, vt in Nilo amne ſe perlueret, ambulabantque ſecus crepidinem aluei puellæ gynecæi eius. Cum autem vidiſſet filia Regis, fiſcellam ſcirpeam, hoc eſt iuncis intextam, iuſſit eam ad ſe perferri, ac miſerans conditionem paruuli, quem Hebræum eſſe fortaſſis agnouit ex circumciſione, conſilium accepit à Maria ſorore illius, puella ſeptenni, deditque infantem pro ſe alendum propriæ matri tanquam nutrici conducticiæ, quam tamen ad id obſequij pietas materna, & non ſtipendia ſtimulabant. Sic euenit, quod lege immutabili, ac æterna diſpoſuerat Deus: vt videlicet populo Iſrael Dux egregius daretur, qui ex barbara eum Ægypti ſeruitute liberaret. Nomen pueri fuerat Moyſes, id eſt, *extractus ex aquis*, & is ablactatus, poſt triennium traditus eſt, filiæ Pharaonis, cui indoles pueri, & vultus liberalis in delicijs fuit.

Obierat Amenophis, vt dixi, anno ſeruitutis Iſraelitarum XVIII. ſucceſſeratque Orus Princeps aliquanto mitior, & qui creditur edictum immane, de mergendis pueris abrogaſſe. Moyſes porrò educabatur in omni litteratura: adeò vt ſapientiam vniuerſalem, quam cyclopediam Græci vocant, dicatur à Clemente Alexandrino, in pueritia ipſa didiciſſe.

Ægyp-

Ægyptios tamen ab Hebræis aſtronomiam, aliaſque diſciplinas primum
hauſiſſe, ab Ioſeph nimirum, & ab alijs Patriarchis, exiſtimandum eſt, non
verò à Mercurio Triſmegiſto: quem falsò ab alijs primum ſapientiæ apud
Ægyptios inſtitutorem vocari, ex doctrina temporum conijcitur manifeſtè.
Coæuus enim Moyſi fuit Atlas, Aſtronomus, & maioris Mercurij Auus Ma-
ternus, huius deinde Mercurij nepos fuit alter, cognomine Triſmegiſtus. O-
ro regnante, anno ſeruitutis XL. & anno XXVIII. vitæ Moyſis natus eſt Ioſue
ex Tribu Ephraim, Dux alter populi Dei. & Moyſes cum annū deinde ageret
XL. ac videret afflictionem gentis ſuæ, elegit conſors ærumnarum eſſe, quàm
aulæ delitijs ac pompis inutiliter pius, & miſericors, intereſſe. Proinde nega-
uit, ſe filiæ Regis ſobolem, ac Menophis nepotem eſſe: tametſi ſpe omnium, *Lib. 1. de*
vt ait Philo, deſtinaretur ſucceſſor Aui, nec aliter quam Rex Iunior appella- *vita Moyſis*
retur. Ad hęc vt contraham quæ ſequuntur. Interfecerat Moyſes virum Ægy-
ptium, nempe Præfectum aliquem operis, à quo duriùs accipi Hebręum ho-
minē viderat, nec adſcribi culpæ fortaſſe id Moyſi debet, quia tradita ei iam
tum fuerat poteſtas, quando Deus Amram parenti reuelauerat, ipſum naſci
ob ſalutem populi ſui. Quod ſi circumſpiciens ne conſcios alios facinoris ha-
beret, in ſabulo cadauer occultauit, haud indicium hoc cenſeri poteſt dubiæ
poteſtatis. Nam etiam legitimi Iudices cum violentiam alicuius Tyranni ve-
rentur, ſupplicia de Reis clam interdū ſumunt. Verum poſtridiè, exprobran-
tibus id Hebræis duobus, quos Moyſes conciliare in rixa mutua ſtuduerat,
metu ne facinus emanaret, decreuit ſolum vertere, & fugere in Arabiæ fini-
timam Regionem. Dum ibi ageret in re priuata, ob defenſas filias Raguelis,
ad puteum ex quo hauriebant aquam, tantam eiuſdem Raguelis iniuit gra-
tiam, vt illius filiam Sephoram coniugem habuerit. Cęterum Æthiopiſſa hęc
nominatur, quoniam habitabat in terra Madian, cui etiam Æthiopiæ nomē
olim tribuerunt. Etenim Moyſen, cum triginta eſſet annorum, bellum geſſiſ-
ſe pro Ægyptijs contra Æthiopes, integro decennio, & duxiſſe ibi vxorem
Reginā Æthiopiæ, fabuloſum cenſetur, tametſi hoc referat Ioſeph Hebręus,
& Scriptores alij. Raguel ipſe, qui & Ietro nominatur, ex Abram & Getura
ortum ſuum repetebat, quinta generatione, & Sephora ideò ſexta erat ab A-
braham, Moyſes verò ſeptimus. Quod hic Ietro, Sacerdos à Moyſe appelle-
tur, vel intelligi debet in eo ſenſu, in quo etiam filij Dauid vocantur Sacerdo-
tes, quos tamen conſtat ad Tribum Iuda, non ad Tribum Leui pertinere. *2. Reg. c. 8.*
Vox enim Hebraica *chohen*, etſi vt plurimum ſignificat Præpoſitum rerum
Sacrarum, ſeu Sacerdotem, interdum ſonat populi Magiſtratum, ac Princi-
pem. Vel dicitur *chohen* in vtraque ea ſignificatione, propterea quod gentis
ſuæ Princeps ſimul, & Sacerdos haberetur. Sicut autem Moyſes ex diuino
conſilio in eas oras exulauerat, in quibus ducere vxorem poſſet, ex ſtirpe A-

Ff braham:

brahamꝫ ſic Aaron in Aegypto coniugium inierat, cum Eliſabeth, Aminadab, filia, ex Tribu Iuda: quaſi iam tunc prouidentia Dei voluerit, vt Tribus regia, & Tribus Sacerdotalis iungerentur, & vt ea res præluderet Myſterio Chriſti Domini, qui verus Rex & Sacerdos fuit, ortus ex Maria de ſtirpe Iuda, & cognata alterius Eliſabeth de Tribu Leui.

Orus Rex anno ſeruitutis LVI. exceſſit è viuis, & cœpit Regni habenas Acenchris filia eius, cuius loco fortaſſe Moyſes regnaſſet, niſi memorabili exemplo contemptæ Maieſtatis, profiteri ſeruilem conditionem, pro ſalute populi maluiſſet. Fuit nihilominus Princeps admirabilis Iſraelitarum, poſtquam paſtorem diu egerat apud Socerum Ietro, & exercuerat in ea ſe quodLib. 1. de vita Moyſis. dam quaſi tyrocinium futuri Principatus. *Ars enim Paſtoralis*, inquit Philo, *ad Regnum eſt præludium, hoc eſt ad regimen hominum, gregis manſuetiſſimi. Quemadmodum bellicoſa ingenia praexercent ſe in venationibus, in feris enim experiuntur futuri Præfecti, brutis præbentibus materiam exercitij.* Acenchris Regina poſt annos XII. ab Ori obitu defuncta eſt: cùm ageretur annus ſeruitutis LXVIII. & in ſolio regni poſt eam Achor ſedit, ad annos alios IX. cui ſubrogatus eſt Chencres, ann. mundi CIↃ CIↃ CLXXVII. ſeruitutis vero Iſraelitarum ann. LXXVII. atque hic Chencres fuit ille Pharao, qui hauſtus eſt rubro mari, dum Hebræos abeuntes perſequeretur, & ad quē Moyſes functus eſt ſua legatione percelebri.

Inſtructio Dei hanc legationem præceſſit, pro qua putem fuiſſe operæ pretium hæc prænarrare, vt ſeries rerum proponeretur clarius, & Scripturæ Sacræ difficultates nonnullæ explanarentur. Venio iam ad propoſitam initio metaphoram, *loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Oppreſſi ab Ægyptijs Hebræi, Deum ſuum imploraverant, qui Moyſem liberatorem eorum inſtituit: viſus ei adeſſe in rubo ardenti, atque admonens, vt ſolueret calceamenta pedum. *Morticina enim mortuarum affectionum*, inquit S. Bernardus, *vel hominem mortuum à corde, terra ſancta nequaquam diu patitur.* Poſtea Deus permiſit Serm. ad fratres de monte Dei. adhuc oſtenta duo, tum virgæ in colubrum abeuntis, tum verò manus lepræ tabem contrahentis, eumque incitauit, vt obire munus legati non reformidaret. Dum tamen Moyſes, hebetudinem oris, nec prompti, nec diſerti excuſaret, Oratorem illi Deus Aaron fratrem dedit, qui veluti os ipſius loqueretur. S. Baſilius & Origenes notant, Moyſem, qui omni ſapientia Ægyptiorum excultus erat, merito videri ſibimet mutum & elinguem: cum erat in conſpectu Dei, cui quis vnquam poterit comparari! *Nunquam deſierant*, inquit S. Cyrillus, *neque deſunt, qui humanam gloriam praſentium ſplendorem, magno opere ſectentur.* At non talis Moyſes fuit: recuſauit imo adeò conſtanter, vt ordine reluctari propemodum Deo, viſus fuerit, & Deus propterea iratus credi potuerit: quamquam momento eodem iram Dei omnē Moyſis humilitas placauit. Poterat qui os hominis creauit, linguam hominis reparare, & ſi ſcīte in

Moy-

